# CATALOGVS

# CODICVM LATINORVM CLASSICORVM

QVI IN

# BIBLIOTHECA VRBICA WRATISLAVIENSI

ADSERVANTVR

SOCIIS ALFONSO HILKA FRANCISCO SKVTSCH
GVSTAVO TVERK RICARDO WVENSCH

COMPOSITVS A

**KONRATO ZIEGLER**

CIVITATIS WRATISLAVIENSIS SVMPTIBVS IMPRESSVS

WRATISLAVIAE 1915.
PROSTAT APVD M. & H. MARCVS.

ALMAE · MATRI · WRATISLAVIENSI

SAECVLARIA · PRIMA · CELEBRANTI

OPVS · A · FILIIS · EIVS · CONFECTVM

D · D · D

BIBLIOTHECA · VRBICA · WRATISLAVIENSIS

Codices Latini classici, quorum catalogum nunc tandem viris doctis proponimus, trium sunt bibliothecarum, quarum opibus congestis annis 1865—1866 bibliotheca urbica Wratislaviensis quae nunc vocatur orta est.

Longe plurimos codices Latinos, 141 scilicet, possidet bibliotheca Rehdigerana, quae ut originem ita nomen accepit a Thoma Rehdigero iuvene illo et genere et doctrina illustri (1540—1576), qui in Italia Belgio Germania multos et nobiles libros manuscriptos aut ipse aut amicis adiutoribus collegit. Deinde 21 sunt codices Latini bibliothecae Magdalenaeae (id est ecclesiae S. Mariae Magdalenae Wratislaviensis), cuius primordia ad Johannem Hess reformatorem quem dicunt Wratislaviae recedunt, 10 tantum bibliothecae Bernhardinae (id est ecclesiae S. Bernhardini Wratislaviensis), quae ineunte saeculo XVII. orta est.

Quomodo hi codices Latini conlati fuerint, accuratius explicari nondum potest, quia historia continua singularum bibliothecarum adhuc egemus.

Cum catalogus codicum Graecorum qui in bibliotheca urbica Wratislaviensi adservantur anno 1889 in publicum emissus esset, Hermannus Markgraf, qui bibliothecae tunc praeerat, etiam Latinorum codicum catalogum conficere animum induxit. Quod munus cum initio Gustavus Türk tunc ex bibliothecariis subisset, mox maiorem esse laborem apparuisset, quam qui unius umeris imponi posset, vergente saeculo contigit, ut Franciscus Skutsch et Ricardus Wünsch in operis societatem adsciscerentur ita, ut tertiam fere codicum partem uterque horum trium philologorum examinandam et describendam susciperet. Re diu deliberata constitutum est catalogum lingua Latina concipere, ne differret a catalogo codicum Graecorum et ipso Latine conscripto.

Primus Wünsch adgressus ad opus absolutam fere partem suam reliquit, cum anno 1902 Wratislavia Gissam discessit. Ceterorum studia, utpote qui aliis laboribus occupati otium nancisci non possent, non

aequa celeritate progressa iacuerunt fere mortuo Hermanno Markgraf (die 12. Jan. 1906), revixerunt, cum anno 1910 Skutschio auctore consilium captum est, ut catalogus vel totus vel saltem pars universitati Wratislaviensi saecularia prima mense Augusto 1911 celebranti dedicaretur. Regendum opus sustinuit Skutsch, parti suae acriter incubuit Türk, novi socii strenui accesserunt Konratus Ziegler et mox Alfonsus Hilka, qui maiorem partem codicum a Skutschio et Türkio nondum descriptorum curandam sibi sumpserunt. Quo factum est, ut in festis saecularibus primi quattuor quaterniones catalogi, qui continerent codices R 10—97, typis impressi universitati Wratislaviensi exhiberi possent.

Iterum tamen operis progressum invida fortuna impedire conata est: Franciscus Skutsch die 29. Sept. 1912 ut ex ceteris ita ex hoc studio praematura morte sublatus est. Cuius in locum statim Ziegler successit, regendum opus sibi iniunxit, codices Rehdigeranos nondum descriptos quam celerrime fieri posset describendos curavit, omnes denique codices Magdalenaeos et Bernhardinos adiit et descripsit. Eius igitur praecipue opera factum est, ut tandem opus inceptum ad finem perduceretur. Idem descriptiones ab A. Hilka vernacula lingua conceptas in Latinum vertit, revidit quae erant revidenda, indices locupletes confecit, qui ianuae instar aditum faciliorem ad materiam in catalogo congestam praebebunt.

Multis locis haerentibus nobis auxilio venerunt Ernestus de Dobschütz, Josephus Jungnitz, Franciscus Xaverius Seppelt. Plagulas omnes fere perlegit Maximilianus Lehnert renascentium litterarum historiae vir peritissimus multaque ex provincia sua attulit. In conferendis cum ipsis codicibus Wünschii — quippe qui aberat — descriptionibus Zieglerum adiuvit Alexander Kiock. Qui praeterea viri docti hic illic consulti benigne responderunt, suis locis commemorati sunt. His omnibus etiam hoc loco gratias agimus maximas.

Instituendi totius catalogi rationisque describendi exemplum fuit catalogus codicum Graecorum. Addendae appendicis, quae scripta aliquot continet aut nondum edita aut ita ut pro ineditis haberi possint, auctores socii quidam operis fuerunt; quam gratam acceptamque fore viris doctis speramus. Nicolai de Valle versionis Operum et dierum Hesiodi et alios exstare codices haud ignoravimus, adhibere nunc quidem noluimus, et hac et ceteris, quae ad hunc textum pertinent, quaestionibus ad aliud tempus dilatis.

Quo modo socii opus inter se diviserint, ex hoc cognosces conspectu. Descripsit igitur:

Alfonsus Hilka codices R 180. 181. 194. 269. 274. 284. 285. 286. 294. 354. 356. 369. 370. 371. 372. 394. 419. 420. 435. 436. 458. 465. 468.

Franciscus Skutsch codices R 124. 125. 127. 128. 129. 135. 138.

Gustavus Türk codices R 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 105. 162. 163. 167. 168. 169. 177. 443a.

Ricardus Wünsch codices R 10. 17. 18. 20. 36. 37. 38. 43. 44. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 61. 62. 63. 78. 79. 84. 85. 96. 106. 107. 108. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 126. 130. 131. 132. 133. 134. 142. 172. 237. 238. 239. 459.

Konratus Ziegler codices R 59. 60. 77. 80. 81. 82. 83. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 97. 98. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 109. 110. 111. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 136. 137. 139. 140. 141. 289. 472. M 1006—1007. 1030. 1033. 1038. 1040. 1047. 1056. 1057. 1058. 1062. 1066—1067. 1068. 1305. 1357. 1371. 1385. 1438. 1443. 1455. B 1604. 1708. 1797. 1798. 1799. 1800. 1801. 1818. 1828. 1957.

Quis quemque codicem descripserit, his siglis signatum est: **H.** = Hilka, **Sk.** = Skutsch, **Tk.** = Türk, **W.** = Wünsch, **Z.** = Ziegler.

Codicibus quibusdam, in quibus describendis K. Zieglero enarrationibus iam pridem ab Hermanno Markgraf et Erico Fink factis uti licuit, siglae **M.-Z.** et **Fink-Z.** subscriptae sunt.

Numeri crassiores, qui singulis codicum descriptionibus praecedunt, sunt ii, qui anno 1876, cum totius bibliothecae novus ordo institueretur, codicibus inscripti sunt. Numerorum minutiorum infra positorum priores (Romanos quos dicimus) ad catalogum codicum Rehdigeranorum pertinent, quem Gottlob Krantz ab anno 1709 ad annum 1733 bibliothecae praefectus confecit, cuiusque exemplaria manu scripta — neque enim typis impressus est — et in nostra et in aliis bibliothecis exstant; posteriores sunt, quibus anno 1812 Johannes Theophilus Schummel, cuius scrinii quem locum singuli codices tenerent, significavit. De hoc argumento paulo plura in praefatione catalogi codicum Graecorum allata sunt. Aliquotiens Wachleri notum libellum (Thomas Rehdiger und seine Büchersammlung. Ein biographisch-literarischer Versuch von Albrecht W. J. Wachler, Breslau 1828) laudavimus.

Quaecumque in singulis codicum descriptionibus dicta sunt, eorum ab eo rationes repetendas esse, cuius nomen subscriptum legitur, consen-

taneum est. Commemorandum tamen Wünschium exorto bello ad officium militare vocatum inde a quaternione tertio decimo plagulas non iam emendavisse et Skutschium prius quam descriptiones suas impressas revidisset (praeter 4 priores) vita decessisse. Quare si quid ibi peccatum est, Ziegler teneatur.

Cum civitas Wratislaviensis tum nos, qui bibliothecae urbicae praesumus, viris doctis, qui catalogo conficiendo sinceris animis operam suam navaverunt, gratiam habemus maximam. Quam praeter ceteros meruerunt, qui opus moderati sunt, Franciscus Skutsch et Konratus Ziegler. Sed et Hermanni Markgraf praefecti pristini bibliothecae urbicae, qui primus operis consilio inito incohandum catalogum curavit et usque ad mortem dedito animo prosecutus est, grato cum animo memoria recolenda est.

Dabamus Wratislaviae mense Januario 1915.

**Maximilianus Hippe.**

# I. Codices Rehdigerani.

---

## R 10.

(LXXVI = S. I. 2. 1.)

Codex chartaceus formae maioris (0,21×0,28 m) foliorum 147, (quaternionis, cuius duo folia resecta sunt, senionum quinque, septenionis, quinionum septem, quorum ultimi tria folia interciderunt). In singulis foliis officinae signum impressa est trutina orbe circumdata[1]), in quavis pagina quadrageni versus scripti sunt. In primo scripturae folio, quod septimum est codicis, arma picta sunt gentis cuiusdam nobilis: arbor e colli viridi trium cacuminum rotundorum enata. Insunt in hoc codice:

**1)** f. 1r—3r Epistula nuncupatoria a **Theodoro Gaza** ad Antonium Panormitam missa, qua subsequens conversio Aeliani Τακτικῶν commendatur. Edita est a Friderico Haase in Ind. lect. Vrat. s. h. 1860 p. 18.

**2)** f. 3r—24v **Aeliani Tactica** a Theodoro Gaza in latinum conversa; quae saepius in lucem edita sunt, verbi gratia a Platone de Benedictis Bononiense *in alma ciuitate Bononiae anno salutis MCCCCLXXXXVI decimo sexto Kalen. Februarias* sub titulo *Aeliani de instruendis aciebus opus ad Diuum Hadrianum a Theodoro Thessalonicense latinum factum et Antonio Panormitae Alphonsi regis praeceptori dicatum.* Reliquae huius operis editiones enumeratae sunt a Baehrio s. v. Gaza in Erschii et Gruberi glossario. — f. 24v in fine legitur *Callii III. Idus Januarii MCCCCLXXI Laurentius Abstemius absoluit.*

---

[1]) Idem recurrit in codice Monacensi latino 5307, vide R. Wünsch, de Taciti Germaniae codicibus Germanicis p. 81. De signis officinarum cf. in universum C. M. Briquet, Les Filigranes. Genève 1907.

3) f. 25$^{v}$—74$^{v}$ ***Flauij Vegetij Renati*** *epithoma institutorum Rei Militaris de comentarijs Catonis Aug. Traiani Adriani et Frumptonis libri numero quattuor.* In fine legitur: *1468. Ex siccone polentonio. Flauius Vegetius natus illustri e familia constantinopoli oriundus rem docuit militarem. Vir namque hic doctus in litteris fuit et libros de re militari quatuor ad Valentinianum, qui tunc imperaret, scripsit. Artem quidem belli gerendi et terra et mari haud quaquam ut Frontinus exemplis, sed praeceptis et ratione dedit.* A Carolo Lang qui Vegetii artem militarem edidit anno 1869 codex noster adhibitus quidem non est, numeratus tamen octogesimus quartus inter Vegetii exemplaria (praef. p. XXXVI).

4) f. 75$^{r}$ *Sexti Julij* ***Frontini*** *Strategematicon Liber primus incipit* —133$^{v}$ *prȩlio uicti sunt. 1474 die 19. Julij Callij.* De hoc Frontini codice scripsit Gottholdus Gundermann in commentationibus philologis Jenensibus vol. I 1881 p. 109 cod. no. 67, cum de codice certior factus esset ab Ottone Rossbach; quod idem de codice Rehd. 79 accidit. — Reliqua 8 folia vacua sunt. [W.]

## R 17.

(CXXIX = S. I. 2. 8.)

Codex membranaceus formae quadratae maioris (0,16×0,23 m) foliorum 130 (unionis, ternionis, quinionum duodecim, unionis) versuum plerumque 29, scriptus s. XV. Variorum possessorum notae in margine additae, initia librorum picta sunt. f. 1$^{v}$—2$^{r}$, 130$^{r}$ sententiae quaedam philosophae recentiore aetate scriptae leguntur.

Insunt in hoc codice:

1) f. 3$^{r}$ **Leonardi Bruni** Aretini epistula nuncupatoria ad Martinum V missa, quae primum edita est a Mehusio, Leonardi Bruni Epistolarum libri VIII, Florentiae 1741, p. LXXVII.

2) f. 3$^{v}$ *Aristotelis Ethicorum libros* —7$^{r}$ *cum antea non essent.* Prooemium **Leonardi Bruni** libris Ethicorum praemissum, vide *Aristotelis Stagyritae Ethicorum l. X . . . Leonardo Aretino interprete,* Lugduni apud Jacobum Giunctam MDXLII f. 2 sqq.

f. 7$^{v}$—8$^{v}$ scriptura vacua.

3) f. 9[r] *Omnis ars* —f. 127[v] *legibus et moribus*: **Aristotelis** Ethicorum libri X a Leonardo in latinum conversi, vide editionem Iuntinam f. 4—177.

f. 128[r]—129[v] et 130[v] vacua.

f. 130[r] legitur: *MCCCCLVII. Emi istum librum die XXIIII⁰ octobris ab heredibus domini Ranutii de Castigliono arectino pro pretio ducatorum trium auri de cam(era) . . d. III.* Qui Ranutius, libri huius quondam possessor, fortasse Rinutius Aretinus fuit, qui anno 1448 Aesopi quam vocant vitam e graeco in latinum vertit (Krumbacher, Gesch. d. byz. Litt.[2] p. 898). [W.]

## R 18.

(CXXXV = S. I. 2. 9.)

Codex membranaceus formae quadratae (0,15×0,2 m) foliorum 82 (novem quaternionum, quinionis unius) versuum 27; scriptura nitida saeculum XV. prodit, initia librorum picturis sunt ornata. Insunt in hoc codice **Aristotelis** Ethicorum libri X, a Leonardo Bruno Aretino in latinum conversi: f. 1[r] *Aristotelis ethicorum* —f. 80[r] *legibus et moribus* = editionis Juntinae, quam ad cod. 17 attulimus, f. 2—177. [W.]

## R 20.

(LXXVIII = S. I. 2. 11.)

Codex chartaceus formae maximae (0,21×0,275 m) foliorum 150 (quindecim quinionum) versuum 39, scriptus s. XV. exeunte. Chartae idem quod in codice 10 impressum est signum. Repetuntur in margine ab ipso librario virorum nomina de quibus sermo est; altera manus aliorum auctorum locos similes addidit. Insunt in hoc codice **Diogenis Laertii** vitae philosophorum ab Ambrosio Camaldulensi in latinum conversae, quae translatio postea edita est a Benedicto Brognolo, *Venetiis per Peregrinum de Pasqualibus anno domini 1493 die XIX Julii*[1]).

f. 1[v] Laterculus eorum qui in primo libro tractantur philosophorum legitur, f. 2[r] ipsius operis prooemium: *(V)oluenti mihi quaedam*

---

[1]) Ita subscribitur id quod mihi praesto erat exemplar bibliothecae Wratislaviensis Urbicae (Ink. 86); sed prima Brognoli editio iam anno 1473 publici iuris facta est, v. Diogenis Laertii opus a Marco Meibomio editum, Amstelod. 1692 Tom. I p. **3.

*graeca uolumina* —f. 2$^v$ *existimaueris, iure tuo resecabis*: haec est Ambrosii ad Cosmam Mediceum epistula nuncupatoria, editionis f. II.

f. 2$^v$ *(P)hilosophiam a barbaris* —f. 145$^v$ *celeriorem obitum,* ipsa translatio, editionis f. III—CXII.

f. 145$^v$—147$^r$ Laterculus omnium totius operis philosophorum postea additus. — f. 147$^v$—150$^v$ vacua. [W.]

## R 36.

(CLVI = S. I. 3. 7.)

Codex miscellaneus formae quadratae (0,14×0,2 m) foliorum 128 continet varia variorum auctorum opuscula, s. XV. pleraque scripta et postmodo consuta.

1) **Phalaridis** epistulae a Francisco Aretino latine redditae. Praemissa est Francisci epistula ad Malatestam Novellum principem Cesinensem nuncupatoria. Ipsae Phalaridis epistulae alio ac volgari ordine sunt collocatae, quarum ultima editionis Hercherianae LIV. est. In fine legitur: τελως. *Petrus de Traiecto scripsit.* λωυχρεκηα δηβα (h. e. *Lucretia diva,* amasiae nomen). Codex est chartaceus fol. 50 (quinionum quinque), quorum fol. 2$^r$—49$^r$ completa sunt versibus duodetrigenis scripturae nitidissimae. Francisci Griffolini Aretini translatio addito prooemio saepius prelo mandata est; ego usus sum editione Lipsiensi, quae prodiit apud Jacobum Thanner anno 1502; reliquae enumerantur ab Adelungo (Fortsetzung zu Jöchers allgemeinem Gelehrtenlexikon I, p. 137).

2) **Andronici Bryennii** oratio ad Nicolaum V. papam ut videtur inedita. Ternio chartaceus, cuius quattuor folia priora (51$^r$—54$^v$) undetrigenos in singulis paginis versus exhibent negligentius scriptos. Edidi in appendice.

3) **Nicolai V. papae** responsio ad Imperatorem Constantinum, f. 57$^r$—60$^v$ (binio chartaceus versuum tricenorum diligenter scriptus). Oratio e graeco in latinum a Theodoro Gaza versa, quae saepius typis expressa est, v. c. apud Mignium, Patrol. gr. 160 f. 1201. Incipit: *(N)icolaus Episcopus Seruus seruorum dei* — explicit: *quinto Kal.* (l. *idus*) *oct. pontificatus nostri anno quinto.*

4) **Glossae** latinae diversam materiam complexae et ad homonymiam compositae. Codex chartaceus quaternionis unius, quinionum quattuor (f. 61—108).

**5)** *Oratio* ***Poggii*** *edita in funere cardinalis Florentini,* in fine mutila. Quinio unus chartaceus, cuius folia primum et extremum postea sunt addita, quibus reliqua conservarentur. f. 110$^{r}$ *etsi plurimo luctu doloreque* —f. 117$^{v}$ *nemo eum uidit quin uberrime* . . . (v. Poggii Florentini opera, Argentor. 1513, part. I, fol. 95$^{v}$—98$^{r}$ extr.).

**6)** Excerpta quaedam e **Ciceronis** operibus. Quaternio unus membranaceus s. XIV. ut videtur conscriptus binis columnis quinquagenorum versuum. Continet haec:

a) f. 119$^{r}$ col. A 1 *Excerpta de paradoxis t. ciceronis. Nil est tam incredibile* (§ 3) —f. 119$^{v}$ col. B 3 *inopes et pauperes aestimandi sunt* (§ 52). *Explicit de paradoxis.*

b) f. 119$^{v}$ col. B 4 *Excerpta de primo libro ciceronis de officiis. Facies honesti* (I, 15) —f. 123$^{v}$ col. A extr.: *utilitatis certe nichil habebit* (III, 120). *explicit de officiis.*

c) f. 123$^{v}$ col. B 1 *Qui ita se gerunt* (de amic. § 19) —f. 126$^{v}$ col. B med.: *etiamsi magna sunt* (§ 104). *explicit de amicitia.*

Fol. 127. 128 membranacea postmodo addita sunt, sparsis litteris computisque numerorum conscripta. Codicem inspexit Glaeser annis 1842—45. **[W.]**

## R 37.

(XXXI quart. = S. I. 3. 8.)

Codex chartaceus formae quadratae (0,13×0,19 m) foliorum 91 (unionis unius, quinionum novem, quorum ultimi ultimum resectum est folium) versuum 21, scriptus nitide s. XV.; folia 3 ∾ 12 membranacea sunt.

Insunt in hoc codice:

**1)** f. 1$^{r}$ *(D)ulcis amica veni* —f. 2$^{v}$ *siue sonare queant.* Carmen notissimum de Philomela, v. Anthol. lat. I2 no. 762.

**2)** f. 2$^{v}$ *Cum mea me genitrix — flumina thela crucem.* Carmen de Hermaphrodito, Anthol. lat. I2 no. 786 v. 1—10.

**3)** f. 3$^{r}$ **Phalaridis** epistulae a Francisco Aretino latine redditae. Praemissa est praefatio ad Malatestam principem data, ut in codice 36. Post eam epistulam, quae in illo codice et in editione Lipsiensi est ultima (LIV. ed. Hercherianae), sequuntur haec:

f. 70[r]: *Finis. Deo gratias. Iterumque finis.*

f. 70[v] Epistula nuncupatoria ad Alfonsum regem Neapolitanum missa, quae impressa est in editionibus Phalaridis epistularum ab Aretino versarum, quae prodierunt Tarvisii 1471 et Venetiae 1481. Sequuntur inde usque ad f. 72[v] epistulae vulgati ordinis no. LXIV LXVIII LXXII LXXIII.

4) f. 73[r] *Etsi tibi omnia suppetunt* —f. 86[r] *omni rationi perfectum,* h. e. epistula **Qu. Ciceronis** de petitione consulatus ad M. fratrem (ed. Mueller III, 1 p. 562). In fine legitur: *Finis. deoque gratias ago. Quinta die februarii et die festivitatis sancte Agate eodemque die Navigium Ragusium in litore pisaurensi fractum est. hanc orationem ego carolus perscripsi.* — f. 86[v] vacuum est.

5) f. 87[r] **Elegia** ut videtur inedita in honorem Mariae virginis. Edidi in appendice.

6) f. 88[r]—91[r] **Guarini** Veronensis quae dicitur Alda, edita a Suringario, Leidae 1867. De auctore cf. Bertalot, Mus. Rhen. LXVI (1911), 63 sqq. Adhibuit hunc codicem Glaeser anno 1845. — f. 91[v] vacuum. [W.]

## R 38.

(XI oct. = S. I. 3. 9.)

Codex membranaceus formae octavae (0,11×0,17 m) foliorum 76 (quaternionis unius, quinionum sex, quaternionis unius) versuum 23, scriptus s. XV. Continet **Phalaridis** epistulas e versione Francisci Aretini, ut cod. 36. 37; praemissa hic quoque est praefatio ad Malatestam principem, et sequitur f. 72[v] epistula ad Alfonsum regem data, additis iisdem quibus in cod. 37 quattuor epistulis. Plurimis locis addita sunt inter versus verba graeca, s. XVI. scripta. f. 72[v] post epistulam vulgati ordinis LXIV. legitur: *Laus tibi sit christe quoniam liber explicit iste.* Phalaridis epistulas excipit f. 74[v] epistula Francisci Aretini Francisco Pelato Patavino missa, quae in editionibus ad cod. 37 laudatis invenitur. Ultimi eius versus etiam in extrema editionis Lipsiensis pagina occurrunt (v. cod. 36). fol. 76[v] et 77[r] laterculus epistularum Phalaridis exaratus est ab eadem quae graeca illa suprascripsit manu; 76[v] vacuum. Usus est codice Glaeser anno 1845. [W.]

## R 43.

(XXXII = S. I. 3. 14.)

Codex membranaceus formae maioris (0,21×0,30 m) foliorum 168 (unionis scriptura vacui, cuius duo folia literis a et b signata sunt, senionum tredecim, quinionis unius) versuum 55, nitidissime scriptus s. XIV. binis columnis. Litterae initiorum pictae, formae mathematicae additae sunt. Inest in hoc codice f. 1ʳ—166ʳ **Ptolemaei** Almagestes *(Incipit liber almagestes ptholomei de motibus astrorum).*

Praemissum est prooemium: *Quidam princeps nomine albugnafe*[1]) —f. 1ʳ II v. 39 *propinque vero non dulcescunt.* Ipsa Almagesti verba incipiunt f. 1ᵛ *Bonum scire fuit* (l. I, 1) —f. 166ʳ *arroganciam et collaudacionem tunc iam sequitur et honestum est ut ponamus hic finem libro* (l. XIII extr.), quae versio latina ex Arabico confecta plane consentit cum ea, quae inscripta est *Almagestum Cl. Ptolemaei Pheludiensis Alexandrini astronomorum principis, opus ingens et nobile omnes celorum motus continens. Felicibus astris eat in lucem ductu Petri Liechtenstein Coloniensis Germani. Anno virginei partus 1515 die 10. Ja. Venetiis ex officina eiusdem litteraria.* Ibi praefatio quoque illa reperitur, quae tamen in hoc codice plenior est, cum post *dulcescunt* haec addat: *Liber hic precepto marmonis*[2]) *regum (*l. *regis) arabum qui regnauit in baldaleeth*[3]) *abaazez*[4]) *filio iosephi filii matre arsmetici*[5]) *et sergio filio ẽe*[6]) *christiano in anno XII et CC⁰ secte saracenorum transatus (*l. *translatus) est.* Sequitur nota quaedam de totius operis nomine deque capitibus libri primi.

Codici ad hunc diem nondum ut videtur excusso variae variorum notae s. XV. adscriptae sunt. [W.]

## R 44.

(LII = S. I. 3. 15.)

Codex chartaceus formae maioris (0,21×0,29 m) foliorum 138 (quinionum tredecim, quaternionis unius), versuum 45, binis columnis s. XV. scriptus. f. 133ᵛ sqq. scriptura vacant, continent f. 1ʳ—133ʳ **Haly heben Rodoan**[7]) commentarium in Ptolemaei librum quem

---

[1]) ‚Abû 'l Wafâ' huius viri nomen verum esse monuit C. Brockelmann, qui codicum 43. 44. 172 nomina inter vertendum depravata omnia restituit. [2]) ‚Mamûn, qui 813—833 regnavit' Brockelmann. [3]) ‚Baghdad' Br. [4])[5]) ‚Al Häggâz ibn Iusûf ibn Matar al hâsib (= *arithmetici*)' Br. [6]) ‚Sergûn b. Halia (= Eliae)' Br. [7]) ‚Abu 'l Hasan 'Ali ibn Riḍwân qui anno fere 1061 est mortuus' Br.

vocant quadripartitum. Incipit f. 1ʳ: *liber quadripartiti ptholomei pheludiani* a prooemio quodam: *Dixit egidius de thebaldis longbardus de civitate parmensi. Scire et intelligere gloriosum est* eqs., e qua praefatione apparet, ab Aegidio illo hanc versionem latinam factam esse ex Hispanorum lingua iussu Alphonsi, *regis Romanorum et castiliae,* qui proculdubio Alphonsus X. est, dictus ‚el Sabio', anno 1257 imperator Romanorum electus.

f. 129ᵛ legitur: *Explicit commentum halij abenrudyan super 4 tractatibus quadripartiti ptholomei. Incipiunt exempla tria natiuitatum trium eiusdem haly,* quibus exemplis subscriptum est f. 133ʳ: *Explicit liber quadripartiti ptholomei cum commentis haly haben rudiam conpletus in montissꝫ anno domini nostri iesu christi 1447 die 4⁰ augusti per me Martinum Borlin de Spira tunc scriptorem magnifici domini Nicolai Comitis de Comitibus Padue.*

Kranzius, qui p. 63 lectorem ad Albohazeni opera Basileae anno 1550 latine edita relegat, nomen oppidi *montissꝫ* ad civitatem Montispelgardensem spectare contendit, quod utrum verum sit necne, ignoro.

[W.]

## R 48. 49.

(VI = S. I. 3. 19. 20.)

Duo volumina formae maximae (0,245×0,33 m), membranae perelegantis, scripturae nitidissimae, litteris initialibus pictis et auratis plurimisque picturis ornata. Componitur prius volumen 380, posterius 349 foliis, binae in singulis paginis columnae sunt trigenorum senorum versuum. Insunt **Valerii Maximi** factorum et dictorum memorabilium libri novem, versione gallica et commentario perpetuo instructi. Quinam viri hanc versionem confecerint, docemur subscriptione in calce libri ultimi exarata: *Par layde diuine sans laquelle nulle chose est droitement continuee et menee a fin, est la translation de Valere le grant terminee laquelle commenca tres reverend Maistre simon de hesdin docteur en theologie religieux des hospitaliers de st jehan de jherusalem, qui poursuiuy jusquez au VIIᵉ liure ou chappitre des strategemes et la le laissa. De la en auant iusquez en la fin je Nicolas de gonnesse maistre es ars et en theologie ay poursuiuy ladite translation au moins mal que iay peut du commandement et ordonnance de tres excellent et puissant prince monseigneur le duc de berry et dauuergne conte de poitou et de bouloingne. A laquelle requeste de jacquemin conrard son tresorier. Et ne doubte mie que mon stile de translater nest si bel et si parfait comme est cellui de deuant. Mais je*

*prie a ceulx qui la lyront quilz me pardonnent. car ie ne suis mie si expert es histoires comme il estoit Et fut finee lan mil quatrecens et sept la veille de monseigneur sainct michiel larchangele. Deo gratias.*

Possedit hos codices Antonius princeps Burgundiae qui vixit intra annos 1421 et 1504 (Alwin Schultz, Beschreibung der Breslauer Bilderhandschrift des Froissart, Vratislaviae apud Maxium 1869 p. 4); verba quibus ille pro symbolo utebatur *Nul ne si* (sic 49, *sy* 48) *frote* et nomen obscurum *ob. de bourgoigne* ab ipsius manu in calce utriusque voluminis scripta sunt. Rehdigeranae bibliothecae codicem donavit Vit. Ferd. a Murdach anno 1704, cuius bibliothecae inter cimelia asservatur. A viris doctis saepius inspectus est codex, neque tamen in edendo Valerii opere adhibitus; e lectionibus hinc illinc in iudicium vocatis concludere licet, accedere eum propius ad exemplar Valerii Bernense, at corruptelis et coniecturis sequioris horrere saeculi. De versione Hesdinii cf. P. Paris, Les mss. français de la bibl. du roi, Paris 1836—48, vol. I 43. II 300. — Codicis 48 folii 131^r^ pulcherrimi ectypum phototypicum sub finem huius libri additum invenies. [W.]

## R 50.

(LXIII = S. I. 4. 1.)

Codex chartaceus formae maioris (0,29×0,22 m) foliorum 14, quorum duodecim scriptura expleta sunt; 46 versus in singulis paginis sunt, s. XV. exarati. Continet **Aethici Istri** qui vocatur Cosmographiam.

f. 1^r^ *In nomine dei summi Incipit cosmographia. Cum itinerariis suis et portibus et ex fastibus Romanorum Consulum nominibus et diuersis sine quo nemo prudencium esse potest. Lectionum peruigili cura* — f. 12^r^ 21 *magis celebres habentur. Explicit cosmographia breuis.*

Edidit hanc cosmographiam praeter alios Alexander Riese, Geographi latini minores p. 71—103, 1, cui editioni praefatus est p. XXVII sqq., cf. Teuffel-Schwabe § 453. Inspexit hunc codicem vir doctus Glaeser anno 1841; cf. Ritschl, opusc. III, 783, adn. 40 et 787. [W.]

## R 51.

(Oct. XIII = S. I. 4. 2.)

Codex chartaceus formae minoris (0,17×0,12 m) foliorum 118, quae librarii errore falsum numerum adscriptum ostendunt: ita enim

memoria lapsus est, ut post f. 7 poneret 9 sim. Constat ex ternione, quaternione, senione, quinionibus sex, senione, quinione integro, quinione mutilo, cuius duo postrema resecta sunt folia. Versus sunt in singulis paginis 24, anno 1469 neglegentius scripti; variae correcturae notaeque passim additae sunt. Insunt:

**1)** f. 4^r^ *(Q)Vom frequenter me digna moneat* —f. 7^r^ med. *quia muros Troiae primus inuaserat ac in*; cetera desunt, foliis octo et dimidio non conscriptis. Pergitur autem f. 17^r^ 1 *urbis iecisse* —f. 22^v^ *cęsar auguste* τέλος. Primus et extremus est libellus ille saeculo XV. conscriptus, qui volgo inscribitur **Valerius Messala** de progenie Augusti, cf. Teuffel-Kroll-Skutsch § 222, 4. Contuli codicem cum Justini editione Coloniensi anno 1556 impressa, cuius exhibet p. 293—296, 8 et 307, 12 sqq.

**2)** f. 23^r^ *(C)omendo me tibi quantum decet. Tibi non ita distincte* —f. 24^r^ *multas nunc nouitias virgines scriptas legi, quarum nomina narrare non ualerem Vale. Athleti. r. corinthi.* Compilatio est ex Joannis **Boccatii** mulieribus claris sine ullo iudicio expressa.

**3)** f. 24^v^ *Emylius* (fuerat *Exm.*) *Probus de exellentibus ducibus exterarum gentium. Non dubito* —f. 116^v^ *possit iudicari. Finis 1469.* **Cornelii Nepotis** opusculum est, inde a primis prooemii usque ad extrema Hannibalis verba. Sequitur laterculus vitarum.

**4)** f. 117^v^ ***Versus*** *amabilij auctoris manu scripti* (hunc titulum addidit manus quaedam recentior). Edidi in appendice.

**5)** f. 118^r^ ***Emylij Probi*** *versus. Vade liber fato* eqs.; eadem quae f. 117^v^ titulum manus scripsit. Epigramma est quod legitur praeter alios apud Baehrensii poetas lat. min. V, 83, cf. Teuffel-Schwabe § 198, 7.

Huius codicis notitiam quidem, usum tamen non habuit Rothius, cum Aemilium Probum, i. e. Cornelium Nepotem ederet Basil. 1841, cf. p. 221. Inspexit codicem praeter alios vir doctissimus G. Gemss, qui tamen in iis quas ad hunc diem exhibuit dissertationes de Cornelii manuscriptis compositas (Progr. Gymn. Luis. Berl. 1888, Berl. phil. Wochenschr. 1889, p. 801) verba de eo, quoad video, fecit nulla. [W.]

## R 52.

(CXIX = S. I. 4. 3.)

Codex membranaceus formae quadratae (0,25×0,20 m) foliorum 55, septem quaternionibus constans, quorum conglutinatoris errore quartus

quinto loco positus est, quintus quarto; sexti quaternionis ultimum folium, salvo ipso verborum contextu, est recisum; 30 in singulis paginis versus leguntur, scripti ab uno librario saeculi XII., qui largas addidit notas inter versus et in margine exaratas.

Insunt in hoc codice:

f. 1r *Incipit introductio carminis anchicii manlii seuerini boetii. Tempore theodrici regis . . . gladiis interemptus. Explicit.* Est vita auctoris.

f. 1v *Anchicii manlii seuerini **Boetii** ex consulari ordine patricii philosophicae consolationis. Incipit liber primus feliciter. Carmina qui quondam . . .* In calce libri quinti (f. 54v) haec duo adduntur epigrammata latina, a recentioris librarii manu conscripta:

*Ut laetus ponti spumantis nauita limphas*
*Munere congaudet summi transnasse tonantis*
*Sic sacro calamo scriptor sulcante libellos.*

*Ut gaudere solet fessus iam nauta labore*
*Desiderata diu litora nota videns*
*Haut aliter scriptor optato fine libelli*
*Exultat uiso lassus et ipse quidem.*

Contulit hunc codicem eoque in edenda Boëthii consolatione usus est Rudolfus Peiper, qui de eo fusius egit in Teubneriana editione, Lipsiae 1871 p. XIII. Peipero codex R audit; vitam Boëthii in illo repertam typis mandavit p. XXX sq., cum de versiculis in fine additis disseruisset in Leutschii indice philologico II fasc. 7 p. 370 sqq.

Extremum folium 54v et folium 55r theologicis quibusdam complentur, quae in appendice edidi. Folium 55v quisquilias exhibet, quales in fine librorum saepe leguntur, velut haec: *unde venis asine? De molina — Infelix uitulus — terentius salustius et tusculanum ciceronis* alia. Additae sunt in ima pagina turres navesque puerili manu delineatae, quibus adscriptum est: *alexandria portus mare naues pharus.* Omnia autem, quae in f. 54v et f. 55 leguntur, a diversis manibus haud multo recentioribus ipsa librarii manu videntur exarata. [W.]

## R 53.

(IV oct. = S. I. 4. 4.)

Codex membranaceus formae quadratae minoris (0,17×0,14 m) foliorum 77 (decem quaternionum, quorum ultimi folia posteriora recisa sunt) versuum 20, s. XI./XII. exaratus; notae uberrimae et margini et

inter versus adscriptae sunt. Inest **Boethii** philosophica consolatio. Incipit f. 1r *Anicii manlii seuerini boetii excons. ord. patr. philosophicae consolationis incip lib primus Carmina qui . . .*

Desinit liber quintus f. 74r, cui in calce addita sunt eadem illa epigrammata quae in codice 52; f. 74v sequitur tractatus quidam de metris Boethianis conscriptus, quo reliqua pars codicis expletur. Possessoris pristini nomen apparet f. 1r in margine additum *Sancti Michaelis*, quo significari monasterium Sancti Michaelis in Hildesheim coniecit R. Peiper, qui hunc codicem, priusquam Boethii consolationem ederet, consuluit; extat autem codicis nostri, littera H signati, brevis descriptio in illius editione Teubneriana p. XIIII, ibidem p. XXIV—XXIX tractatus ille de metris Boethianis est editus. [W.]

## R 54.

(CXIV = S. I. 4. 5.)

Codex membranaceus formae quadratae (0,25×0,20 m) foliorum 94, quorum

**1)** f. 1—85 continetur **Boëthii** institutio arithmethica, testante inscriptione f. 2r:

*Incipiun't duo libri de arithmetica anitii manilii seuerini boetii uc et ill. excsl. ord. patr. Domino patri Simmacho Boetius. In dandis accipiendisque . . .*

Scriptus est codex saeculo nono Peipero iudice, qui fortasse nimiam ei tribuit vetustatem; mihi quidem decimi vel undecimi saeculi videtur; 27 versus in singulis paginis leguntur. Initiales quas vocant litterae et figurae quibus illustratur verborum contextus minio diligentissime pictae sunt. Ipsius codicis folium duplex 18 ∾ 25 casu aliquo pessum datum e tertio quaternione remotum est, eiusque locum occuparunt duo folia a manu paullo recentiore conscripta; folium 18 resecto folio 25 ita adhibuerunt, ut toti libro tamquam titulus praefigeretur. In tergo folii pumice polito leguntur haec:

*Item duo libri Boetij de Arismetrica*
*Item liber qui dicitur Rithmimachia*

saeculo XIV. aut XV. exarata; in ima pagina a manu paullo vetustiore pennae probandae gratia scriptum *Johe filius.*

Illi folio praefixo numerus primus concessus est; opere ipso complentur decem quaterniones, f. 2—81, numero in ultima cuiusque

pagina notato, et binio unus, f. 82—85; desinunt autem Boëthii verba in ima pagina f. 84 v fine operis non indicato. Deinde librarius f. 85 nonnullas notas addidit, quales inter lineas aut in margine adscribi solent; incipiunt a verbis: *inter diatessaron et diapente · tonum differentiam dicit,* desinunt in medio folio 85v: *similiter una medietas id est CXII.* Post haec recentior manus, iterum ut pennam probaret, exaravit: *dominus iesus christus postquam.* Reliqua folii pars scriptura vacat. Non suppeditabat hic codex Godofredo Friedlein, cum Boëthii institutionem apud Teubnerum ederet anno 1867: editori si quis alter exsistet, necessario est adeundus.

2) f. 86r incipit **Fortolfi** Rythmimachia, quam s. XII. scriptam esse Peiper, s. XIII. ego iudicamus, atque in Germania quidem, ut e scripturae ductibus apparet. Incipit f. 86r *Prologus in Rithmimachiam,* complentur hoc opere quaternio unus et schedula dimidii folii magnitudine; scriptae sunt in quaternionis paginis binae columnae, schedula unam exhibet; 37 in foliis integris leguntur versus; litterae diligenter scriptae et figurae magna cura delineatae minio illustratae sunt. Finitur opusculum f. 94v subscriptione: *finit opus fortolfi. amen.*

Descripsit hunc codicem cum Fortolfi rythmomachiam ederet R. Peiper, p. 210 sqq. supplementi ephemeridis quae inscribitur Zeitschrift für Mathematik und Physik, litt. hist. Abtheilung, 1880, p. 169—227. Ibidem Peiperus monuit, indice folii primi demonstrari, iam XV. saeculo iunctos fuisse Boethium et Fortholfum. — In calce huius libri ectypum phototypicum folii 60v addidimus. [W.]

## R 55.

(S. I. 4. 6.)

Codex membranaceus formae oblongae (0,26×0,16 m) foliorum 80 (decem quaternionum) versuum 29, s. XV. diligentissime conscriptus, titulos et figuras minio delineatas exhibet plurimas. Insunt:

1) f. 2r, v. 1: *Incipiunt libri anntii mallii seuerini* ***Boetii*** *artis geometricȩ et armericȩ numero V. ab euclide translati de greco in latinum. Geometria est* —f. 13v 4 *ad sequentia propositum conuertamus.* = Anitii Manlii Severini Boethi Philosophorum et Theologorum principis opera omnia, Basileae 1570 p. 1536 extr. — 1546 extr. (f. 13v 5 *Quoniam autem naturaliter* — ib. 25 *ad sequentia conuertamus* suo loco omissa in fine libri adduntur.)

2) f. $13^v$ 26 *Incipit liber geometriae tertius de figuris. Principium mensurae punctum uocatur* —f. $19^v$ 5 *dato rectilineo collocare quadratum.* = editionis Basileensis p. 1487—1510.

3) f. $19^v$ 6 *Explicit liber III. b. incipit eiusdem IIII. Si in circulo* —f. $21^r$ 4 *suis terminum facientes.* = ed. Basil. p. 1514—1516.

4) f. $21^r$ 5 *Incipit altercatio duorum geometricorum de figuris numeris et mensuris* —f. $22^v$ 10 *atque sibi defendat.* = **Agrimensorum** Romanorum scripta ediderunt F. Blume K. Lachmann A. Rudorff T. I, p. 407, 1—410, 7.

5) f. $22^v$ 11 *Si duo circuli* —f. $23^r$ 17 *sunt aequales.* = Agrim. I p. 389, 28—391, 13.

6) f. $23^r$ 17 *Quadrilaterarum figurarumque circulis ambiunt. Stadium habet passus CXXV. VIII stadia miliarium faciunt. Centuria habet in se iugera CC* —f. $26^r$ 7 *mensurarum expositiones.* Eadem illa sunt, quorum summa edita est Agrim. I 410,8—412,21 quorumque de singulis partibus disputavit Lachmannus ibid. II p. 88.

7) f. $26^r$ 7 *Item eiusdem artis liber V. B. podismus id est mensura. Podismi mensuraram sunt tria genera* —f. $27^v$ 14 *prescisuras.* = Agrim. I 295, 16—301, 19.

8) f. $27^v$ 14 *trigoni ortogonii* —f. $38^r$ 17 *de fabis tribus. Explicit geometria euclidis.* Ad verbum consentiunt cum agrimensorum codice Rostochiensi, quem accuratius descripsit Lachmannus l. s. p. 91—93.

9) f. $38^r$ 20 *Suprapositarum* —f. $39^r$ 26 *adinuenire potest et componere.* = ed. Bas. p. 1514—1516.

10) f. $39^v$ 1 *Incipit geometria lucii julij moderati. Quoniam familiariter a nobis* —f. $42^v$ 29 *laxiora spacia faciemus.* Iunii Moderati **Columellae** de re rustica sunt l. V. c. 1—3 praeter primum enuntiatum integra.

11) f. $43^r$ 1 *Castrensis iugerus* —f. $44^r$ 20 *sic quaeritur pedaturam.* = **Agrim**. I p. 354, 1—356, 24.

12) f. $44^r$ 20 *Genera liniamentorum. Gradus habet* —f. $44^v$ 10 *et his similia.* = Agrim. I p. 96, 4—97, 13.

13) f. $44^v$ 14 *Bini rigores singulis interuenientibus* —f. $47^r$ 18 *ex tribus circumferentibus et duabus rectis.* = Agrim. I p. 98, 11—106, 8.

**14)** f. 47$^{r}$ 19 *De nominibus mensurarum. Mensurarum appellationes* —f. 47$^{v}$ 6 *leuua XII.* = **Gerberti** Geometriae (N. Bubnov, Gerberti postea Silvestri II. papae opera mathematica, Berolini 1899.) c. XV.

**15)** f. 47$^{v}$ 6 *Omnis trigonus aequa latera* —ib. 24 *si uideris consequentiam nullus error impediat* (*-et* supra scr.) *te ceteras multiangulas figuras persequenti.* = Gerberti geom. c. LV paullo in amplius diductum.

**16)** f. 47$^{v}$ 24 *Trigoni hisopleuri* —ib. 29 *embadi CCCXC.* = Gerberti geom. c. XXXXIX in.

**17)** f. 48$^{r}$ 1 *Cuiuscumque circuli si uis* —ibid. 6 *dimidium diametri duceretur.* = Gerberti geom. c. LVI.

**18)** f. 48$^{r}$ 6 *Circulum incrassare* —ibid. 10 *sperae crassitudo.* Videas Lachmanni verba **Agrim.** II p. 95.

**19)** f. 48$^{v}$ 10 *Item de mensuris. Mensura est* —f. 48$^{r}$ 19 *mutare non potuerunt.* = Agrim. I p. 371, 6—372, 28.

**20)** f. 48$^{v}$ 20 *De agris. Alluvius ager dictus est* —f. 49$^{r}$ 2 *in ea nisi arida.* = Agrim. I p. 369, 14—370, 4.

**21)** f. 49$^{r}$ 3 *De finibus agrorum. Limites appellati antiquo verbo* —ib. 17 *quadrifinium quod IIII$^{or}$* = Agrim. I p. 366, 14—367, 7.

**22)** f. 49$^{r}$ 19 *De itineribus. Mensuras viarum* —f. 49$^{v}$ 12 *ab obambulando dictus.* = Agrim. I p. 370, 5—30.

**23)** f. 49$^{v}$ 12 *sex habet sextantem unum* —ibid. 17 *sestercium uocauerunt.* Conspectus quidam de numeri nummique partibus conscriptus. Post *uocauerunt* legitur *explicit* in pagina ceteroquin vacua.

**24)** f. 50$^{r}$ 1 *Ad altitudinem cum astrolabio metiendam. Si fuerit altitudo* —f. 58$^{v}$ 23 *b · e ad b · a.* = **Gerberti** geom. c. XVI—XXXIX.

**25)** f. 58$^{v}$ 24 *Incipiunt figurae acceptae* (*al. excerptae* cod.) *de geometria. Geometricales* —f. 59$^{r}$ 7 *sua figura subiungatur.* = Gerberti geom. c. XIV.

**26)** f. 59$^{r}$ 8 *Ad altitudinem cum sagittis* —f. 59$^{v}$ 24 *notis supponatur.* = Gerberti geom. c. XL.

**27)** f. 59$^{v}$ 25 *Rebus in obscuris oritur lux clara figuris.* Quem versum memorialem excipiunt *Mensurarum appellationes* —f. 60$^{r}$ 14 *stadia octo.* = Gerberti geom. c. XV.

**28)** f. 60$^{r}$ 15 *In ampligonio* —f. 72$^{v}$ 16 *et intervallo e circulum scribimus. finit.* = Gerberti geom. c. XLI—XCIV.

**29)** f. $72^v$ 17—$76^v$ 1 nonnulla sequuntur ad **artes geometricam mechanicamque** pertinentia. Ego ne investigando unde haec petita essent tempus tererem, nihil nisi singularum paragraphorum prima verba enotavi et ultima, unde harum rerum periti quid sibi velint singula facile agnoscent.

f. $72^v$ 17 *De gnomica institutione et umbrarum discurribus. Quotiens in leuga rotetur rota. Ratione circuli probatur* —f. $73^r$ 5 *in leuga rotatur.*

f. $73^r$ 6 *Omnis trigonus* —ib. 9 *aream suam implet.*

10 *Sciatis triangulum* —ib. 29 *habet in triangulo.*

f. $73^v$ 1 *Est quedam altitudinis metiendae* —5 *carere estimemus.*

6 *(C)ubitum geometricum dicit origenes* —24 *sinistra in dextram.*

25 *Construe quadratum* —f. $74^r$ 14 *in cbf.*

f. $74^r$ 15 *De alio orologio. Janus et apollo* —21 *inconstanter assignat.*

22 *Primum observandum est in spera* —f. $75^r$ 20 *procedat et recedat.*

f. $75^r$ 22 *Si diei horas scire desideras* —f. $76^r$9 *reliquum fuisse liquet.*

f. $76^r$ 11 *Speram caeli facturus* —f. $76^v$ 1 *sperae docet yginus.*

**30)** f. $76^v$ 3 *Domino suo* (l. *Silvestro*) *summo pontifici et philosopho adalboldo g.* (l. *adalboldus*) *vitae felicitatem et felicitatis perpetuetatem. Macrobius super* —f. $78^v$ 13 *in puteorum profunditatibus.* Epistula **Adelboldi** episcopi Traiectensis ad Silvestrum II. pont. max. de ratione inveniendi crassitudinem sphaerae data, quam prelo mandavit primus Pezius, Thesaurus anecdotorum novissimus, Augustae Vindelicorum 1721 III, 2 p. 86 sqq. Desunt in codice extrema tractatus integri enuntiata.

**31)** f. $78^v$ 14 *Adalboldo nunc usque dilecto* —f. $79^v$ 5 *et mei semper memento.* Epistula **Silvestri** ad Adelboldum data, Pezii thes. III 2 p. 83. 84.

**32)** f. $79^v$ 6 *Quando uis scire profunditatem alicuius pelagi uel stagni siue fluminis* —29 *et sic probabis.* Eiusdem generis cuius n. 29. Desinit codex nulla subscriptione addita.

f. 80 vacuum est nisi quod in $80^v$ caput barbatum delineatum est.

Ex eo qui iam finitus est conspectu apparet hunc codicem ex iis esse qui agrimensorum fragmentis conferti Boethii nomen prae se ferunt; est autem quantum omnino fieri potest simillimus codicis

Rostochiensis IV. III. 4 s. XIII. in., id quod neminem fugiet, qui illius codicis descriptionem a Carolo Lachmanno confectam in Gromaticorum editione II p. 83 sqq. perlegerit. Quantum vero e scripturae ductibus concludere licet, in Italia exaratus est, ubi codicem, Rehdigerani quasi fratrem, olim Florentiae invenit et descripsit Lindenbrogius, cuius apographum nunc inter Monacenses codices latinos est n. 959. Ex Italia autem Gandaviam pervenisse volumen nostrum probat titulus quidam nuncupatorius, in eo quod codici praeglutinatum est folio exaratus: ‚ὑγίεντα δ'εἴ τις ὄλβον ἄρδει, ἐξαρκέων κτεάτεσσι, καὶ εὐλογίαν προστιθείς, μὴ ματεύσῃ θεὸς γενέσθαι. (Pind, Ol. V, 23.) *Clarissimo viro D. Jacobo Redingero Patritio celeberrimae reip. Vratislauiensis Gerulphus Ruterius Gandauensis. D. D.* Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.‘ (Il. VI, 208.) Qui Jacobus Redinger Thomae, bibliothecae Rehdigeranae conditoris, fratris filius fuit (cf. Wachler p. 63); ex illius possessione ad Joannem Gottliebium Uberum transiit, Borussorum quondam fisci regii patronum, qui, ut manu sua testatur in folio quodam chartaceo reliquis membranaceis praevio, codicem in bibliothecam Rehdigeranam inseri iussit die 29. mensis Maii anni 1709. Ibi ad hunc diem latuit, cum nullus eum inspexisset vir doctus praeter R. Peiperum anno 1868. **[W.]**

## R 56.

(LXXI = S. I. 4. 7.)

Codex membranaceus formae maioris (0,28×0,19 m) foliorum 102 (tredecim quaternionum, quorum primi folia primum et ultimum interciderunt). Singulae paginae bifariam divisae 30 exhibent versus, qui scriptura nitidissima s. XV. sunt exarati, ornamentis ad capitum initia auro minioque adpictis. Insunt:

**C. Iulii Caesaris** de bello Gallico commentarii octo, quorum verba leguntur inde a I, 2, 4 *rebus fiebat*; post VIII, 55, 2 *contendit* adduntur suo loco omissa *exceptus est* (VIII, 51, 1) — *cum ces* (VIII, 52, 4) a librario, *aris* (VIII, 52, 4) — *admonebantur* (VIII, 53, 2) a manu recentiore. Variae inter versus et margini adspersae sunt notae. In folio ipsi codici praevio haec possessorum nomina leguntur:

*Sum Adelbarti Assendelphi* και *amicorum ex legatione illustrissimi principis d. francisci a Burgondia, non tam stemmate quam humanitate clari. anno domini 1535.*

*Sum Gisleni a Sceneringle candidissimae Religionis premonstratensis professoris apud Middelburgum Zelandie ex donatione D. Albarti ab Assendelft eidem religioni mantforati*(!) . . . *anno XV*$^{C}$*. XXXVIII. quarto Nouembris a partu Virginis. Superanda omnis fortuna ferendo est. Hemistichus Virg.* (Aen. V, 710.)

Inspexit hunc codicem vir doctissimus C. E. Chr. Schneider anno 1821, cui cod. Vrat. B audit (Commentarii de bellis C. Julii Caesaris, Halis 1840 p. XXXVIII). Recedere videtur hoc apographum ad cod. Laur. Med. LXVIII, 6 s. XI (Bandini Catal. lat. II, 838), in quo extrema libri octavi capita eodem modo turbata sunt. [W.]

## R 57.

(LX = S. I. 4. 8.)

Codex chartaceus formae maioris (0,21×0,28 m) foliorum 145 per seniones distributorum, versuum fere 50; scriptura s. XV. neglegentior, minii rarior usus. Insunt commentarii qui **Caesaris** nomine feruntur omnes: de bellis gallico (f. 1$^{r}$), civili (f. 64$^{r}$), Alexandrino (f. 107$^{r}$), Africo (f. 121$^{r}$), Hispaniensi (f. 137$^{v}$), cuius ultima verba sunt *quarum laudibus et virtute* (bell. Hisp. 42 extr.) *non est plus in huius originali.*

Inspexit codicem v. d. Schneider (vide ad cod. 56), a quo Vratislaviensis C nomine describitur p. XXXVIII libri laudati. [W.]

## R 58.

(LXXIX = S. I. 4. 9.)

Codex chartaceus formae maioris (0,21×0,275 m) foliorum per seniones dispositorum 238, versuum 33, anno 1473 ab uno librario scriptus. Insunt:

**1)** f. 1$^{r}$ *Incipiunt libri gaii* ***cesaris*** *belli Gallici. Julii celsi de narracione temporum.* Singulorum librorum subscriptiones adnotatione dignae sunt, ut f. 13$^{v}$ *Julius celsus constantinus v. c. legi. c. cesaris c. f. belli gallici liber I explicit.* f. 20$^{r}$ *Julius celsus constantinus v. c. legi. flauius licerius firminus lulicinus* (leg.: *lupicinus*) *legi. belli gallici liber II explicit.* f. 80$^{v}$ *Julius celsus contantinus*(!) *v. c. legi tantum*

*feliciter gaii cesaris pont. max. ephimeris rerum gestarum belli gallici liber VIII explicit.*

De Celsi et Lupicini recensione videas Teuffel-Schwabe § 196, 2. Caesaris commentarios excussit C. E. Chr. Schneider (comm. p. XXXVIII, Vratisl. A).

2) f. 80ᵛ **Versus** varii argumenti, quos quatenus ignoti mihi erant in appendice edidi. Intersunt septem disticha **Martialis** ex apophoretis petita (XIV 190. 186. 185. 188. 191. 192. 195).

fol. 82ʳ—84ᵛ vacua sunt.

3) f. 85ʳ *Historia regis Alexandri magni domini dominancium. Sapientissimi egyptii scientes mensuram terre atque unde maris dominantes et celestia cognoscentes* —f. 128ʳ *remansit preda feris seuissimis deuoranda A quo nos conseruat optimus et misericors deus qui et fuit et erit benedictus in secula seculorum Finitum est hoc a. d. XIIIIᶜ LXXIII 4ª Junii.*

*Vixit alexander ter denis et tribus annis.*
*Qui darium vicit et porum morte tributa.*
*Totus ei mundus se subicit dando tributa.*

Recensio est eius libri qui vulgo inscribitur ***Leonis** historia de proeliis* a recentioribus interpolata: cuius generis plures codices enumeravit G. Landgraf, Die Vita Alexandri Magni des Archipresbyters Leo, Erlangen 1885.

4) f. 128ᵛ ***De diuersis sibillis*** tractatus medio aevo celeberrimus, e Lact. de falsa rel. I 6 deductus et recentiorum inventis auctus. Enumerantur XII Sibyllae et vaticinia quaedam de Christo facta, quae consentiunt cum iis, quae a Servatio Gallaeo proferuntur ‚ex Ruillio' (diss. de Sib., Amstelodami 1688, p. 73 al.).

5) f. 129ʳ extr. —f. 130ᵛ Diversi **tractatus** versusque qui videntur inediti; v. appendicem.

f. 131. 132 vacua sunt.

6) f. 133ʳ *Incipit prologus in vita et facta Karoli magni regis Francorum Et Imperatoris Romanorum. Etsi passim et varie odoris pigmentarii* eqs.

Eius, quae vulgo **Turpino** archiepiscopo Remensi tribuitur, vitae Caroli Magni recensio aucta atque interpolata, cf. G. Paris, de Pseudo-Turpino, Paris 1865 p. 13. Prologus iste una cum libris primo

et secundo consentit cum iis, quae quondam e codice Vindobonensi edidit Lambecius (Commentariorum de augustissima bibliotheca Caesarea l. II p. 329); inde a libro tertio f. 152r *Tulpinus dei gratia remensis arcepiscopus* —f. 181v *ecclesias collocatur* ad verbum repetunt quae apud Sebastianum Ciampium, De vita Caroli Magni et Rolandi historia, Florentiae 1822, p. 1—89 leguntur. De ultimis codicis capitibus (f. 181v *Excipit de rotolando. Sed valde dignum est* — f. 183v *celesti munere remunerabuntur. Expliciunt gesta karoli magni Rotholandi et oliueri*) iterum Lambecius est adeundus, l. l. p. 336—339.

**7)** f. 183v *Ordine praepostero inuencionem sequitur uita s͠ci* ***Judoci*** *confessoris quod est VIII kl. aug. Inuencio corporis s͠ci. Judoci. Regni francorum proceres ad id semper* eqs.

f. 186r *De vita s͠ci. Judoci. yd. decembr. Reuerendissimus dei famulus iudoc nomine ex regia brittonum nacione* eqs.

Huius translationis fragmenta publici iuris facta sunt a Mabillone, Acta Sanctorum ordinis S. Benedicti II, p. 542; vitam vero integram exhibent eadem Acta V, 536.

**8)** f. 189v *Incipit sermo de s͠ca* ***clara*** *virgine ordinis s͠ci francisci instituti ad s͠cm damianum . . . prope assisium quod est pridie ydus august. Venerabilis christi sponse deo dicate virginis clare natalicium diem* eqs.

Huius vitae recensio paucis discrepat ab Actis Sanctorum Augusti II, p. 755—767.

**9)** f. 193v *Incipit vita beati* ***wilhelmi*** *de primordiis sui* (sic!) *tirannidis. Scripturus vitam serui tui prout tu dederis et inspiraueris domine deus* eqs.

Quae vita ab iis Guilelmi Aquitaniae ducis vitis, quae mihi innotuerunt (Potthast, Bibliotheca historica medii aevi II² 1357) toto caelo diversa est et fortasse inedita. Paucis notetur, narrari f. 194v *quomodo beatus bernardus conuersionem s͠ci wilhelmi affectabat* (*Eo tempore id est anno domini MCXV fundatum est monasterium clare uallis*); f. 201r agi *De accessu eius* (Wilhelmi) *ad eugenium papam XI*; in fine addi f. 217r *Genealogia wilhelmi ducis aquitanie* et hymnum in eundem compositum: *Flos ortus inter lilia quorum radix est francia quibus flagrat cicilia wilhelmus* eqs.

**10)** f. 217v *Incipit vita* ***lodovici*** *regis francorum nobilissimi. Beatus ludouicus francorum rex nobilissimus ab infancia pietati uacare*

*studebat . . .* —f. 218$^{r}$ *in angelum lucis, sed non potuit se transformare in eandem formam. Finis.*

Excerptum paucis enuntiatis absolutum ex uberiore quadam Sancti Ludovici vita, qualis in Actis Sanctorum legitur die 25. Augusti.

**11)** f. 218$^{v}$ *Incipit legenda s̃ci* ***symeonis*** *in columpna. Sanctus symeon ex utero matris* —f. 220$^{v}$ *qui commemorationem eius fecerunt, mercedem a deo accipient. Cui honor in saecula saeculorum. Amen.*

Narratio excerpta e Simeonis vita vulgo tradita (Acta Sanctorum Jan. I, 269—274), cuius v. g. c. VI—VIII plane omittuntur.

**12)** f. 221$^{r}$ *De sancta* ***kunera*** *virgine. De vita igitur et morte sancte cunere virginis et martiris, que de ea scripta sunt recitemus* eqs.

Edita in Actis Sanctorum Junii II, p. 562—563 (— *in saecula saeculorum*).

**13)** 222$^{v}$ *Incipit vita sancti* ***Edmundi*** *arcepiscopi cantuariensis. Excellentis ingenii et fecunde facundie oratores* —f. 237$^{v}$ *Datum lugdunum* 3$^{a}$ *kal. marcij pontificatus nostri anno quinto. Finis.*

Edita a Martène et Durand, Thesaurus novus anecdotorum, Paris. 1717, III p. 1757—1858.

**14)** f. 237$^{v}$ Subscriptio: *Deo laus et gratiarum actio perpetue amen. Hec scripta sunt anno XIIII$^{C}$ LXXIII et finita in vigilia assumptionis beate semper virginis marie* (= 14. VIII.) *in oppido de hoirn partium westfr.* (Hoorn Westfrisiae.) [W.]

## R 59.

(CXLVII = S. I. 4. 10.)

Codex chartaceus formae quadratae (0,145×0,21 m) foliorum 116 (folii unius a bibliopega inserti, unionis membranacei ad conservandum librum additi, quinionum duorum, binionis, quinionum duorum, quaternionis, quinionum quinque, quaternionis, unionis unius membranacei, folii chartacei a bibliopega additi) compositus est ex duobus codicibus a diversis librariis s. XV. scriptis; prioris (f. 4—27) singulae paginae 26 versus, posterioris (f. 28—113) 22 continent. Dracontio manus recentior notulas adspersit, in ceteris partibus ipsi librarii

hic illic pauca adnotaverunt. f. $2^r$ et $3^v$ laterculi sunt eorum quae toto libro continentur; $2^v$ et $3^r$ vacua sunt. In ipso codice insunt:

**1)** f. $4^r$—$24^r$ **Calpurnii et Nemesiani** eclogae, solito codicum more non distinctae et hoc titulo instructae: *Calphurnii poetae ad nemesianum carthaginensem bucolica incipit.* Calpurnii carmina septem leguntur f. $4^r$—$18^r$ v. 20, inde ad $24^r$ 20 Nemesiani quattuor. $24^v$—$26^v$ vacant scriptura. $27^r$ repetitur titulus, quem ex fol. $4^r$ adscripsi, et additur *Simphosii enygmata,* quorum tamen nihil in codice invenitur. Videtur qui haec scripsit praefigere hoc folium codici voluisse. $27^v$ vacuum est. Cf. Baehrens, Poetae lat. min. III 68. H. Schenkl in editione, quae Lipsiae et Pragae 1885 prodiit, p. XLVI.

**2)** f. $28^r$ *Quinti **sereni** medici liber. [P]Hoebe salutiferum quod pangimus* . . . $54^v$ v. 11 *Finit Q. Sereni liber.* Cf. Baehrens, Poetae lat. min. III 106.

f. 55 et 56 vacua sunt.

**3)** f. $57^r$ **Dracontii** de laudibus Dei libri III ut solent Augustino attributi sic: *Aurelii augustini de deo liber incipit foeliciter. [Q]ui cupiunt animis* . . . Libri sequentes distincti sunt, sed carent titulis. Explicit f. $108^r$ v. 22 sic: *Finis A. Augustini.* Vollmeri de hoc codice verba sunt haec (Monum. Germ. hist. auct. ant. XIV, praef. XII): ‚V codicem (ie. Vat. lat. 5884) nondum correctum propagavit R(ehdigeranus) . . . Rehdigeranum priusquam corrector parum acutus invaderet, Federicus Veteranus Urbinas transscripsit anno salutis MCCCCLXXXI id. Aug., ut ipse in fine testatur, in codicem U membraneum forma maxima (ie. Vat. Urb. lat. 352).‘

f. $108^v$—116 vacua sunt.

Inspexerunt vel contulerunt codicem viri docti Ritschl 1836, Glaeser 1842 et 1843, Grosse Regiomonti 1867, Baehrens 1869. Cf. Glaeser, Gymn. Freder. Vratisl. progr. 1839. 1843. 1847. [Z.]

## R 60.

(XXX quart. = S. I. 4. 11.)

Codex chartaceus formae quadratae (0,14×0,193 m) foliorum 128, versuum 22, s. XV. ab uno librario scriptus, compositus est ex unione membranaceo servandi codicis causa praefixo, quaternione chartaceo

(3—10), cuius folia extera (3 et 10) membranacea sunt, ut quae picturis aptiora essent, quaternionibus quattuordecim et ternione chartaceis. fol. 2$^r$ exhibet indicem rubro scriptum operum, quae *in hoc volumine continentur,* f. 1 et 2$^v$ vacant scriptura. In prima ipsius codicis pagina littera initialis satis nitide picta est. Insunt:

**1)** f. 3$^r$ **Calpurnii** et **Nemesiani** eclogae haud disiunctae et ita inscriptae: *C. Calphurnij poetę clarissimi: Buccolicon carmen incipit. Interloquutores ornitus. & coridon: amici beniuoli. Nondum solis equos . . .* Personarum notae ubique margini rubro adscriptae sunt. f. 5$^r$ v. 11 *Explicit prima Egloga Incipit II$^a$ Pastores duo Astacus & Idas Emuli. Poeta incipit. Intactam . . .*; similiter in ceteris. Calpurnii VII. eclogam f. 20$^r$ v. 6 excipiunt quattuor Nemesiani, finiunt f. 27$^r$ 7 sic: *C. Calphurnii Bucolicon carmen desinit.* τέλος κάλος. Cf. Schenkelii editionem ad cod. 59 laudatam p. LI sq.

**2)** f. 27$^v$ *Pio II$^o$ pont. max.* ***nicolaus de ualle*** ∾ *Si vacat . . . cadatque tuo.* Disticha novem, quibus sequens conversio Pio II. papae commendatur; v. appendicem.

**3)** f. 28$^r$ ***Hesiodi*** *Poetae* εργα κὰι ημερὰι *i.* (= idest) *opera et dies georgicon. liber* ***Nicolai de valle*** *è greco conversio. Pierides Musae . . .* 37$^r$ 10 *uarios operare labores.* v. 12. *Eiusdem liber secundus. de agricultura. Cum celo emergunt . . .* 47$^v$ 17 *exercet ad usus. Finis.* Edita est haec Hesiodi versio in editione Silii Italici, quae Romae 1471 prodiit. Quae cum rarissima sit, iterum in appendice Nicolai versionem edidi. f. 48$^r$ vacuum est.

**4)** f. 48$^v$ **Vergilii vita** quae Valerii Probi dicitur, v. M. Valerii Probi in Verg. Buc. et Georg. comm. ed. Keil, p. 1. C. Suetoni Tranquilli reliquiae ed. Reifferscheid, p. 52.

**5)** f. 49$^r$ 17 ***Alcinus***(!) *poeta de Virgilii laude. De numero . . . secundus erit* = Anth. lat.$^2$ I 740. Praebet v. 2 lectionem notabilem *Tu Maro primus eris.*

**6)** f. 49$^v$ 1 ***Cornelius gallus*** *poeta de aeneiade virgilii. Temporibus letis . . .* 11 *ora Dei* = Anth. lat.$^2$ I 242.

**7)** f. 49$^v$ 12 *P.* ***virgilij*** *maronis hortulus. Adeste Musae . . .* f. 50$^r$ 15 *multiforme gaudium* = AL$^2$ I 635.

**8)** f. 50ʳ 17 *Argumenta librorum* ***aeneidos.*** *Aeolus immittit uentos* . . . 51ᵛ 21 *cingula Turno* = AL² I 591—602; sed desunt poetarum nomina.

**9)** f. 52ʳ 1 *P.* ***virg(ilii)*** *maronis ad octauium culex. Lusimus Octaui* . . . 61ʳ 13 *pro munere reddo* (sic).

**10)** f. 61ʳ 15 *P.* ***virg(ilii)*** *mar. dire i. carmen execratorium ad battarum. Battare cygneas* . . . 65ʳ 22 *cognoscere possis.* Solito igitur more Dirae et Lydia nullo interstitio nec titulo addito coniunctae sunt. Diris ipse librarius scholia quaedam adiecit.

**11)** f. 65ᵛ *P.* ***virgili*** *maronis copa. Copa Syrisca* . . . 66ʳ 18 *uiuite ait: uenio.*

**12)** f. 66ʳ 19 *P.* ***virg(ilii)*** *maronis Est et non. Est et non* . . . 66ᵛ 22 *monosyllaba versant* = AL² I 645. Auson. ed. Peiper p. 91.

**13)** f. 67ʳ 1 *P.* ***virgili*** *maronis vir bonus. Vir bonus et sapiens* . . . 67ᵛ 6 *premia rectis* = AL² I 644. Auson. ed. Peiper. p. 90.

**14)** f. 67ᵛ 8 *P.* ***virgili*** *maronis rose. Ver erat* . . . 68ᵛ 12 *sic properare tuum* = AL² I 646. Auson. ed. Peiper p. 409.

**15)** f. 68ᵛ 14 *P.* ***virgili*** *maronis moretum. Jam nox* . . . 71ᵛ 4 *condit aratrum. Finis.*

**16)** 71ᵛ 7 *P.* ***virgili*** *maronis versiculi. Nocte pluit* . . . 14 *nidificatis aues* = AL² I 256+257 additis tribus versibus, qui a Rieseo sub textu afferuntur.

**17)** f. 71ᵛ 15 *P.* ***virg(ilii)*** *maron(is) in balistam latronũ. Monte sub hoc* . . . 17 *uiator iter* = AL² I 261.

**18)** f. 71ᵛ 18 ***Ovidij*** *nasonis carmen. Qualis Buccolicis* . . . 22 *carmina nostra* = AL² I 2, 1—4.

**19)** f. 72ʳ 1 *Que contineantur intribus operibus* ***virg(ilii)*** *Pastorum musam* . . . 20 *mesta sub umbras.* τελῶς = AL² I 720ᵃ interpolatis post v. 16 duobus versibus *Mezenti* — *Camilla,* quos editores in notis afferunt. f. 72ᵛ vacuum est.

**20)** f. 73ʳ *P.* ***virgili*** *maronis aetna que a quibusdam cornelio tribuitur. Aethna mihi* . . . 87ᵛ 3 *iura piorum. Finis. P. virgili marõ aetna finit etsi nonnulli cornelio tribuantur* (l. *tribuant*).

**21)** f. 88ʳ *P.* ***virg(ilii)*** *mar. catalecton priapus loquitur. Vere rosa* . . . *agricolis* = AL² I 773. PLM² I. p. 127. Adiciuntur sine

interstitio *Ego haec* ... 88ᵛ 3 *claua dexterae* et v. 4 (*Hunc ego*) ... 89ʳ 2 *feret ipsa* = AL² I 774. 775. PLM² I p. 127—129. Subsequuntur sine interstitio titulove neque inter se disiuncta **Catalepton** quae dicuntur I—XI et f. 92ᵛ 9—10 Catal. XII 1—2 *Superbe* ... *petis datur.* v. 11 *Finis.* Cf. PLM² I p. 130—139. Omnia haec carmina foede corrupta et hic illic versus mutilati lacunaeque relictae sunt, unde exemplar huius codicis lacerum vel maculis vitiatum fuisse conicias.

**22)** f. 93ʳ *Excerpta ex **priapeia**.* *Carminis incompti* ... Priapea sunt omnia eodemque ordine disposita, quo a Buechelero (Petronii saturae et liber Priapeorum quartum edidit F. B., Berolini 1904) sub numeris I—LXXXIII (additis igitur *Vilicus aerari* [*Rusticus* cod.] et *Quid hoc noui est*) eduntur, nisi quod V et LXIII omittuntur. Carmina XIV ∾ XV, XXV ∾ XXVI, LVIII ∾ LIX, LXXIII ∾ LXXIV, LXXVI ∾ LXXVII in unum conjunguntur, cetera omnia titulis *Ad Priapum* vel *Priapus* ornantur; peculiares titulos habent IV: *Ad lalagem.* VIII: *Ad matronas.* X: *Ad puellam.* XXXVII: *Ad spectatores de priapo.* XL: *De eletusa.* LXXV; *Que quorum locorum sint numina.* LXXXIII: *Querela priapi.* Carmen XXXXIV ante XXXXIII est. Carmen LXVIII post v. 8 dividitur novo titulo *Priapus* addito, item carmen LXXII post v. 2. Finiunt f. 108ʳ 11 *ruperit latus.* (= LXXXIII 45) *Finis.*

**23)** f. 108ᵛ 1 ***Sulpitij** carthaginen̄. versus.* *Jusserat haec* ... 7 *cremata rogo* = AL² I 2, p. 121 in notis.

**24)** 108ᵛ 9 ***Octavij augusti** pro vir̃g. aeneid̄. versus.* *Ergone supremis* ... 109ʳ 23 *relegatur. ametur.* τελῶς = AL² I 672 (omissis vv. 12. 16. 17. 30. 31. 32).

**25)** f. 109ᵛ 1 ***Palladius.*** *Conditus hic* ... *arma uirum* = AL² I 518. Sequuntur v. 4—f. 110ʳ 15 reliqua Epitaphia P. Vergilii Maronis disticha praefixis poetarum nominibus sed foedissime depravatis, quae in AL² I no. 507—517 leguntur. Adduntur 110ʳ 16 *Aliud.* *Subduxit* ... *uirum* = AL² I 158, 1—2, et iterum v. 19 *Aliud.* *Lucis* ... *plutei* = AL² I 158, 3—4. Claudit agmen v. 22 —f. 110ᵛ 2 sub titulo *Virgilius* ipsum thema *Mantua me genuit* ... *duces.*

**26)** f. 110ᵛ 4 ***Musarum** nomina et officia.* *Clio gesta canens* ... 15 *complectitur omnia Phoebus* = AL² I 664. Auson. ed. Peiper p. 412. Sequitur v. 17—20 illud *Clio historias inuenit* ... ,

quod et in AL et apud Ausonium Peiperi ipsos versus praecedit, sed mutato Musarum ordine.

**27)** f. 111$^r$ 1 *Incerti auctoris elegeia. Defleram iuuenis* . . . 114$^v$ 22 *ipsa sinu.* τελός. **Elegiae in Maecenatem** sunt quae dicuntur, sine interstitio ut mos est coniunctae. Desunt vv. 105/6 et 124/5 (ut in Vossiano, cf. PLM I$^2$ p. 152).

f. 115 vacuum est.

**28)** f. 116$^r$ ***Leonardi Dathi*** *ad Gregoriũ corrar̃.* (ie. *-rum*) *venetũ* / *In quasdam fabellas exopi prefatio* sex distichis miselle conferruminatis concepta. Sequuntur v. 15—127$^r$ 3 ipsae XL fabulae Aesopeae in disticha 3—10 redactae, ingenii pauperis testimonium, quas tamen, cum adhuc ineditae sint, v. d. Otto Tacke propediem in museo Rhenano edet. Adnexa sunt 127$^r$ 5 quattuor disticha *Ad Marrasium* missa, quae ibidem edentur.

**29)** f. 127$^v$ 1 *Pio pontifici maximo* ***Campanus.*** *Quod uictore pio* . . . 7 *matris habet* = Jo. Antonii Campani episcopi Aprutini epistolae et poemata . . . rec. Jo. Burchardus Menckenius, Lipsiae 1707, carm. VIII 42, p. 209; sed omissa sunt in codice vv. 5. 6. Excipit v. 8 eiusdem carmen V 6 *Ad eundem campanus. Est crumena mihi* . . . 12 *nunc minima,* ibidem p. 139 expressum; v. 14 *Finis.*

**30)** f. 127$^v$ 15 ***Ant(onii) Pan(ormitae)*** *Epigramma inlaudē Aldae puellae Si tibi sint* . . . 21 *deabus eris* = Hermaphroditus ed. Forbergius, Coburgi 1824, II 3, p. 99. Sequitur f. 128$^r$ 1 *Antoñ Panormita Petro lunensi r(espo)ndet q(uod) nolit scribere Bella nostri temporis tam etsi illa sint. Scilicet etrurii* . . . 128$^v$ 18 *lauta Talia polos.* (20) *finis.* = Appendix Hermaphroditi VIII, p. 191 Forberg.

Inspexit codicem Glaeser 1838. 39. 42. 43. Cf. A. Naeke, Valerius Cato, (Bonn 1847) p. 372 sq. R. Ellis, Aetna (Oxford 1901) p. XIII. Vollmer, PLM I$^2$ p. 36. [Z.]

## R 61.

(XVIII = S. I. 4. 12.)

Codex membranaceus formae maximae (0,32×0,245 m) foliorum 153 per seniones distributorum, binis columnis 45 versus continentibus s. XIV. scriptus. Initia capitum minio litterisque variis indicantur; in

margine hominum et animalium προτομαὶ ab eodem homine pictae sunt, qui talibus nugis codicem 130 conspersit. Insunt:

**1)** f. 1r—102r (ut titulo f. 2v exarato utar): *Magni Aurelii* ***Cassiodori*** *Senatoris uiri clarissimi et illustris exquaestoris palacij exconsulis ordinarij exmagistri officij atque patricij uariarum formarum* libri undecim.

**2)** f. 102v—122r Eiusdem *cartarum urbane prefecture* libri duo. Hanc priorem codicis partem adhibuit Th. Mommsen cum Cassiodori Varias ederet; cuius editionis (Mon. Germ. auct. antiquiss. t. XII Berol. 1894) p. LXXXIX haec verba facit:

‚cod. no.] 50. Breslaviensis Redigeranus ... continet (Cassiodori variarum libros)

1) I—VII 41 cum laterculis suis (quorum primi libri qui est praefationem praecedit), in his septimi libri integro . . .
2) VIII—XII, quorum octavus et nonus recte numerantur, decimus non comprehendit nisi ep. 1—30, undecimus eiusdem libri ep. 31—35. ... XI et XII hic dicuntur libri primus et secundus *cartarum urbanae praefecturae.* Laterculi adsunt. Auctoris tituli pleni dantur in praescriptione libri noni.

Varias lectiones duorum codicum qui scripsit librum passim apposuit. examinavit librum missum Marburgum Kruschius.‘

**3)** f. 122v *Egiptii autem ex inicio* —f. 132v *finem numquam est habiturus. Explicit.* Tractatus sine auctoris nomine traditus initio et fine mutilus **Isidori Hispalensis** liber de natura rerum est inde a p. 4, 11—78, 12 editionis Beckerianae (Berol. 1857).

**4)** f. 133r ***Laurencius*** *de tabernaculo et de diuisione testamentorum. Domino et amico suo carissimo Mauricio monacho laurencius suus assiduam in domino salutem. Sepe numero ut recordor a te rogatus sum, quatenus magistrum Hugonem de sancto Victore* . . . —f. 153v *Hic est filius meus dilectus in quo michi bene complacui. Explicit.* Utrum in lucem editae sint hae Laurentii dissertationes necne, parum comperi. Fuit Laurentius Hugonis de Sancto Victore clarissimi ordinis Sancti Augustini praedicatoris Parisini (1097—1141) discipulus, id quod ex initio opusculi apparet. Praeter Mauricium amicus laudatur Dulcilius quidam (f. 152v). [W.]

## R 62.

(LXXX = S. I. 4. 13.)

Codicis folia 1—138 membranacea, f. 139—153 chartacea sunt. Liber formae quaternariae maioris (0,275×0,2 m), e quinionibus quaternionibusque compositus, 35 versuum, scriptus est anno 1358, ut e subscriptione f. 78$^v$ apparet:

*Scriptus est liber iste Cassiodori per me Ugerium Manfredi ugerii ciuem Paduanum Apostolica et Imperiali auctoritate notarium ac Magnifici domini dominique potentis domini Francisci militis de Carraria etc Padue domini et uicarij generalis pro sacro Imperio Romano notarium et familiarem Existentem Avinione pro seruicijs et arduis negocijs eiusdem domini mei in Romana curia pertractandis. Anno domini nostri yesu christi Millesimo trecentesimo quinquagesimo octauo Indictione undecima die XXVI. Januarij.*

Continet hic liber:

**1)** foliis 1$^r$—138$^v$ membranaceis **Cassiodori** Varias, de quibus Th. Mommsen l. s. p. XC addit:

‚(Codex 51) exceptis ep. VII 42—47 Cassiodorana omnia exhibet, sed perturbata tota ... codex cum ab ipso Ugerio tum ab aliis aequalibus mox emendatus est ... et auctus lectionis varietate ... lectiones correctae additaeve ... ex eodem codice fluxisse videntur, quem descripsit Ugerius ... memorabilis est codex eo uno nomine, quod non ipse, sed similis Accursio praesto fuerit necesse est et quem editio princeps repraesentat textus ex parte formatus est ad hunc librum ... excussit librum missum Marburgum Kruschius.‘

**2)** foliis chartaceis 139$^r$ sqq. librum **Cassiodori** de anima. *Cum iam suscepti operis* —151$^v$ *meruerunt conuersatione tractare.* Liber integer est, vid. Cassiodori editionem Parisinam apud Sebastianum Niuellium anni 1579 p. 284—306. In fine (f. 151$^v$ 152$^r$) adduntur laterculi libri de anima et *Tituli libri secundi variarum.* — 152$^v$ et 153 vacua sunt.

[W.]

## R 63.

(LII quart. = S. I. 4. 14.)

Codex membranaceus formae minoris (0,13×0,19 m) foliorum 114 per quiniones plerumque distributorum, versuum 30, scriptus saec. XIV.,

continet **Cassiodori** Varias e duabus recensionibus conflatas, secundum quas hunc unum in duos distinguit codices Th. Mommsen his verbis:

l. s. p. LXXX: ,cod. no.] 11 Breslaviensis bibl. civ. no. 63 . . . (Variarum) continet

**1)** l. I, II, III, IV ad ep. 39 omissis epistulis I 33. 41. III 50, quarum secunda tota, tertia ad verba *ydoneos ad* suppletae sunt post ep. VIII, 25.

**2)** l. VIII 1—25 *inquisitione fortassis.* reliqua desunt libro ipso integro. desiderantur tam subscriptiones librorum quam epistularum laterculi et inscriptiones.'

l. s. p. C: ,cod. no.] 83 Bresl. bibl. civium no. 63 . . . secundo loco habet earum (Variarum) l. VI integrum, l. VII ad ep. 21 verba *quantitas deferatur ne opinionis* et rursus ep. 26—32 verb. *quando necesse,* denique spatio septem versuum vacuo relicto, ep. 36—47, l. VIII, 1—10 (transpositis epp. 3. 4) ad verba *memorie sensum relinquitur.* Versiculus extremus non est perscriptus et codex ipse tam initio quam fine integer, descriptus scilicet ex archetypis mutilis. laterculi epistularum et singularum inscriptiones desiderantur nec magis adsunt librorum inscriptiones vel subscriptiones. Librum a Guilelmo Meyer diligenter collatum Kruschius recognovit.'

Adhibuit praeter istos hunc librum Baumann Monacensis vir doctus. Prior codex — ut Mommseni divisionem sequar — incipit f. 3$^r$, desinit f. 80$^v$ v. 13, ubi posterior nullo versu intermisso incipit perscriptus ab eodem librario usque ad f. 114$^v$. In fine huius folii nomen possessoris erasum est; legitur tamen *epistulae cassiodori [ex] pro[prietate]* . . . Folia primum et secundum inter se conexa et scriptura vacantia manifesta vestigia litterarum deletarum servarunt. Artis chymicae ope apparuerunt quadraginta fere versus ita scripti, ut initium ab ima margine sinistra folii 1$^v$ fiat. Sed praeter singula vocabula litterasve nihil legi potest, ut ne hoc quidem dici possit, qualis textus fuerit. [W.]

## R 64.

(XXXV = S. I. 4. 15.)

Codex chartaceus formae maioris (0,296×0,210 m) foliorum 187 ita distributorum, ut quaternionem initio positum sequantur septem

quiniones, tum septenio, senio, quinio, senio, quinque quiniones, denique quaternio tribus foliis praeglutinatis. Charactere satis puro et legibili forsan XV. saeculo in Italia scriptus est. Notae marginales passim additae, tituli librorum a manu postera adscripti sunt.

Insunt complura **Ciceronis** scripta:

**1)** f. 1—28 de natura deorum paginis in binas columnas divisis. Subscriptum: *Marci tulii ciceronis de natura deorum liber tertius et ultimus explicit. Deo gratias amen.*

**2)** f. 29—70ʳ de divinatione. Subscriptum: *M. T. Ciceronis liber de diuinatione feliciter explicit. deo gratias amen.*

**3)** f. 70ᵛ—77 de fato. Subscriptum: *M. t. ciceronis de fato liber explicit. deo gratias. amen.*

**4)** f. 78—84 Timaeus. Subscriptum: *M. t. Ciceronis de creatione mundi feliciter explicit. qui a Boetio thimeus nuncupatur.*

**5)** f. 85—88 Somnium Scipionis. Subscriptum: *Marci. tulii. ciceronis. de Sonnio Sipionis liber explicit. deo gratias.*

f. 89. 90 vacua.

**6)** f. 91—187 Tusculanae disputationes. Subscriptum: *Marci tulij Ciceronis tusculanarum disputationum liber Quintus et ultimus ad brutum feliciter explicit. deo g̃ras.*

Codex ab Heindorfio ad edendos libros de natura deorum (prodierunt anno 1815) adhibitus est ab illo magni aestimatus. **[Tk.]**

## R 65.

(LXXXIII = S. I. 4. 16.)

Codex chartaceus formae maioris (0,245×0,188 m) foliorum 211, quorum ultima duo vacua sunt. Paginae singulae tricenos versus continent. Compositus est liber ex 3 quinionibus, quaternione, 8 quinionibus, quinione uno folio carente, quinione, septenione, senione, 4 quinionibus, quaternione, scriptus fere saec. XV.

Exhibentur f. 1—209 **Ciceronis** epistolae ad familiares. Superscriptum f. 1ʳ: *Marcii tulij ciceronis Epistolarum Liber primus.* Subscriptum f. 209ᵛ: *M. Tullij Epistolarum ad lentulum suum liber*

*sextus decimus Explicit.* Notae marginales paucis locis additae, litterae initiales titulique epistularum plerumque omissi sunt.

In libro, qui inscribitur M. Tullii Ciceronis epistulae ed. Joann. Aloysius Martyni-Łaguna, Lips. 1804, nostri codicis mentio fit inter fundamenta, quibus lectio nitatur. Praeterea codicibus 65, 66, 68, 74 C. E. Chr. Schneider usus est, quod commemorat in indice lectionum Vratislaviensium 1837; de codice 65 etiam antea in indice lectionum 1832/33 dixerat. [Tk.]

## R 66.

(XCI = S. I. 4. 17.)

Codex membranaceus formae maioris (0,270×0,185 m) foliorum 144, quorum primum et ultimum vacua sunt (constat ex quattuordecim quinionibus praefixo uno illo vacuo folio additoque binione uno folio carente) satis accurate et distincte saec. XV. scriptus, litteris initialibus auro ornatis. Singulae paginae inter 37 lineas 36 versus habent; etiam margines dexteri et sinistri lineis significati sunt. Prima pagina clavo ornatissimo circumdata est.

Continet **Ciceronis** epistulas ad familiares.

f. $1^r$: *Marci Tullii Ciceronis epistolarum Liber primus incipit Ad publium Lentulum proconsulem.* Simili modo omnium 16 librorum initia et exitus designati sunt.

f. $142^v$: *Marci Tullii Ciceronis epistolarum liber sextus decimus explicit.*

De codicis usu cf. 65. [Tk.]

## R 67.

(CIX = S. I. 4. 18.)

Codex membranaceus formae oblongae (0,259×0,149 m) praeter duo praefixa folia vacua 95 foliis constans, nempe quinione primo folio carente, 8 integris quinionibus, ternione. Scriptura admodum pulchra et distincta XIV. vel XV. saeculi videtur. Paginae lineatae 29—32 versus continent. Vacua sunt folia 66—69. In primo folio ceterum vacuo hi tituli leguntur, quos bibliothecarius quidam Vratislaviensis scripsisse videtur: *M. T. Ciceronis* 1 *Ad Hortensium liber.* 2 *De*

*Essentia Mundi.* 3 *Orationis Partitiones ad Ciceronem suum.* Continentur igitur codice:

**1)** f. 1—52 **Ciceronis** Academica priora. Superscriptum est f. 1: *Marci tulii ciceronis liber incip̃ introducẽs lucullum loquentem ad hortensium.*

Subscriptio f. 52ᵛ: *Marci Tullii Ciceronis ad Hortensium liber explicit feliciter.*

**2)** f. 53—65 **Ciceronis** Timaeus. f. 53: *Marci Tullii Ciceronis de essentia mundi liber incipit feliciter.* f. 65: *Explicit liber dessētia* (sic) *mundi M. T. Ciceronis.*

**3)** f. 70—95 **Ciceronis** orationis partitiones. f. 70: *Marci Tulii Ciceronis orationis partitiones ad Ciceronem suum incipit feliciter.*

f. 95ᵛ in fine additum: τελος.

Codice usus est Glaeser a. 1846.

**[Tk.]**

## R 68.

(CXIII = S. I. 4. 19.)

Codex membranaceus formae maioris (0,252×0,188 m), foliorum 146 firma atque constanti manu scriptorum, quibus vacua duo praefixa et duo in calce addita sunt. Ex 146 illis foliis compositi sunt 14 quiniones et ternio. Codex saec. XIV. exaratus videtur. Initia librorum auro et coloribus ornata sunt.

Continentur codice **Ciceronis** epistulae ad familiares. Inscriptio libri primi f. 1ʳ: *M. Tullii Ciceronis ad publium Lentulum et ad Alios Epistolarum Liber primus incipit. lege feliciter.* Ceterae inscriptiones similes.

f. 146ᵛ subscriptum: *FINIS:- LAVS DEO:- Marci Tullii Ciceronis ep(istu)lar(um) Liber XVIus et ultimus finitur;* In priore foliorum praefixorum bibliothecarius ille, qui ad cod. 67 commemoratus est, titulum scripsit: *M. T. Ciceronis Familiarium Epistolarum librj XVI.* In eiusdem folii pagina aversa inveniuntur verba: *Iste liber est mei bernardi* et infra ea: *Iste liber est mei andree.* In altero folio legitur: *Conto dñi . . .* (nomen periit). In eo folio, quod post 146 sequitur, idem distichon bis

legitur, primum festinante calamo, tum accuratius scriptum: *Tulius in latiis retor* (2: *rethor*) *fecondior* (2: *fecundior*) *orris* (2: *oris*) / *Tulius es claro primus in eloquio.*

De codicis usu cf. 65. [Tk.]

## R 69.

(CXVII = S. I. 4. 20.)

Codex membranaceus 111 foliorum (14 quaternionum ultimo folio resecto). Singulae paginae 22 lineas habent. Manus satis bona XIII. saeculi videtur. Continentur:

**1)** f. 1—6 **Ciceronis** liber qui inscribitur Somnium Scipionis. Inscriptio 1ʳ: *somnium scipionis · p · affricani · excerptum · ex libro · VI · m · tullii ciceronis de re puplica ·* des. f. 6ʳ: *ego somno solutus sum.*

Sequuntur quattuor figurae:

a) f. 6ᵛ: *COSMOPEIA ·/· genitura mundi.* Describuntur elementa et qualitates addita explicatione.

b) f. 7ʳ: *Fabule.* Earum genera enumerantur, cf. Macrob. I 2, 7.

c) f. 7ᵛ: *Cogitatio dormientis sine freno rationis, quinque genera somniorum* etc. (cf. Macrob. I 3).

d) f. 8ᵛ: De regionibus, elementis, aetatibus anni et vitae, temperamentis.

**2)** f. 7ᵛ et 8ʳ eam partem, quae vacua relicta erat, scriba posterior fere XIV. saeculi carmine Germanico (lingua quam dicimus niederdeutsch) explevit edito a Th. Jacobi in Zeitschr. f. deutsch. Altert. 3, 130—134: „Bruchstück eines Marienliedes".

Inc. *O Johannes vil guder Nu plig wal diner muder. Si en hat nit kindes me wan din, Nu du ir ganze truwe schin.*

Des. *Da hilp mir, maget suze, Dat ich dich loven muze Da ich vrouden muze taben.*

**3)** f. 8ᵛ item manu quadam posteriore interpositae sunt duae versuum Latinorum series: a) **inscriptiones** quaedam ex nescio quo sancto ut dicunt sepulchro sumptae, b) narratiuncula quaedam ludicra ex **vita monastica.** Hi versus qui ad a) et b) pertinent in appendice legentibus proponuntur.

Praeterea in hac pagina hi versiculi inveniuntur:

*Nobilitas operis constans ex uiribus artis*
*laudat in articulo quod cordis dictat ymago*;

ad zodiaci signa pertinentes (praemissis verbis *ordinem signorum*):

*Hinc aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo*
*Libraque, scorpius, arcitenens, capricornus et urnam*
*Qui tenet et pisces.*

(praemissis verbis *Quid cui sit contrarium*):

*Libra quod est ammon, nepa bos, geminos fuge chiron;*
*Egan cancer aget, urnam leo, virgoque pisces.*

**4)** f. 9r—109r **Macrobii** commentarius in Somnium Scipionis adiunctis variis notis marginalibus.

f. 9r inscriptio: *explicit somnium scipionis · ex ciceronis libro . VI . excerptum · incipit macrobii · ambrosii · theodosii · in idem somnium commentorum liber primus.*

f. 69r: *aur · memm · symmachus · vc · emendabam veldis meum ravenne cum macrobio plotino · eudoxio · v · c · macrobii · ambrosii · theodosii · v · c · et in · l · de somnio scipionis liber primus explicit · incipit secvndvs.*

f. 109r des.: *philosophie continetur integritas.*

**5)** f. 109r—111r Variae **definitiones:** 109r *Modius dictus est ab eo quod sit suo modo perfectus* . . . 110r *Philosophia trifarie dividitur · in theoricam practicam et logicam* . . . 110v *Grammatica est articulate vocis custos* . . . *Rethorica* . . . 111r *Astrologia* . . .

Accedit f. 111r tabula de dividendis decadibus 10—100, f. 111v tabula eiusdem argumenti maior et copiosior.

Codicem descripsit et excussit Ludovicus Jan in editione Macrobii. Cf. prol. p. LXVIII. **[Tk.]**

## R 70.

(CXXVIII = S. I. 4. 21.)

Codex membranaceus foliorum 56 (= 7 quaternionum), 0,233×0,157 m, quorum singulae paginae plerumque quadragenas ternas lineas habent, litteris minutis, distinctis tamen et satis legibilibus saec. XIV. scriptus. Passim glossulae adiectae, partim a recentiore manu.

Continentur codice:

**1)** f. 1v—27v med. **Cicero** de inventione (f. 1r vacuum). Subscriptum est: *marci · tullii · ciceronis rethorum liber explicit; tullius erexit*

*romane insignia lingue · rethoricas latio dum sonat ore tubas; m · t · ciceronis · ad herennium · liber primus incipit;*

**2)** f. 27ᵛ—51ᵛ ad Herennium.

**3)** f. 52—55ᵛ, 6 **Commentarius** in quartum librum **Topicorum Aristotelis.** inc.: *(S)iquis operis titulum · Quartus Liber topicorum B incipit; diligens examinator inspiciat. cum* (l. *quem*) *de topycis differentiis conscribebamus. non id a nobis tantum exspectare debebit. ut locorum a se dialecticorum vel etiam rethoricorum differentias demus; verum id multo magis. ut dialecticos locos a rethoricis segregemus.*

des.: *Quo autem modo de his dialectis rationibus disputetur. in his commentariis quos in aristotilis topica nobis translata conscripsimus expeditum est; topicorum · b · liber quartus explicit;*

**4)** f. 55ᵛ, 8—56ʳ med. ex **commentario** quodam **rhetorico** inc.: *Si tam agentis persone quam rei geste turpitudine offensionem causa contraxerit. eam defendere oratori commodum non erit.* des.: *Cur igitur marium ciuem optimum omni uita sua purissimum a uitiis ad sustinendum cogitis supplicium. Nonne cuique probo cernetur turpe pro uel repetendis pecuniis talem hominem penis affligere. et hoc est quod ait aut pro re hoīeta;*

**5)** f. 56ʳ—56ᵛ Variae **explicationes grammaticae.** inc.: *De formis patronomicorum. Sciendum quod vocabulum istud patronomicum compositum est a graeco patros uel latine pater. et onoma quod est nomen* ... f. 56ᵛ, 2: *Omnia nomina in lis desinentia si ueniunt a nominibus producunt penultimam . . . si ueniunt a uerbis corripiunt penultimam* . . . f. 56ᵛ, 4: *tercie persone passiuorum et impersonalia* . . . f. 56ᵛ, 6: *Considerandum est cum soleat dici quia una dictio regit aliam quia hoc non sunt uerba autoritatis; immo ex usu puerorum talia commendata sunt memoria uerba.* etc.

Usi sunt codice Dr. Pinzger 1822, Passow 1826, stud. Weber 1854. Cf. Passow et Car. Schneider, Museum crit. Vratisl. 1820, p. XIII et 97—328, ubi librorum ad Herennium lectiones ex hoc libro sub littera A propositae sunt. [Tk.]

## R 71.

(CXXXI = S. I. 4. 22.)

Codex membranaceus 0,227×0,160 m foliorum 62 binis columnis quinquagenarum linearum (= 8 quaternionum, quorum ultima duo folia

resecta sunt) litteris minutis multisque abbreviationibus scriptus, ad legendum satis difficilis. Exaratus saec. XIII vel XIV videtur.

Inest incerti auctoris **commentarius** in libros **ad Herennium.** Qui commentarius ex prooemio, quo de arte rhetorica agitur, et notis perpetuis constat, quibus singula verba operis illius illustrantur. Post has notas prooemium iterum exhibetur minutiis quibusdam discrepantibus, ut duo exemplaria praesto fuisse videantur.

Superscriptum f. 1[r]: *Incipiunt scripta super Rethoricam Tullii* (a manu recentiore).

f. 1[r]—1[v], col. 2, 34 Prooemium de arte rhetorica. inc.: *Tam apud grecos quam apud latinos artis rethorice constat diuersos fuisse scriptores. Qui apud grecos in hac arte fuerunt celebres. hi sunt aristoteles. gorgias. et hermagoras.* des.: *Benedicere uero cum sit huius opus; utile est. hoc enim primo hominum concordiam facit. hoc amicitie federa instituit. hoc denique omnem inter homines iusticiam fecit. et factam conseruauit contrariumque destruxit. De eius ergo utilitate; non licet dubitare. Et hec ante litteram sufficiant;*

f. 1[v] 2, 35—61[v] 2, 6 Scholia in libros ad Herennium. inc.: *Etsi in negociis. Artem dicturus rethoricam; tullius prohemium operi suo praescribit. in quo de quo in hoc libro sit agendum et quis sit agendi modus et quae utilitas; aperit.* des.: *ornate; ad ornatum sententiarum. suauiter ad colores uerborum. igitur quia omnes partes artis rethorice hic continentur. nil deest. haec omnia adipis. si rationes praecep. id est rationabilia praecepta. diligenter id est studiose. et exercitatione id est in exercendo causas assequemur.*

f. 61[v] 2, 7—62[v] 2, 11 idem tractatus qui prooemii loco positus est, des.: *et hec extrinsecus* (supra: *ante litteram*) *sufficiant*:

Codice usi sunt Dr. Pinzger 1822, Passow 1826. Descripsit codicem C. E. Glaeser, Rhein. Mus. f. Philol., N. F. 7. Jahrg. 1850, p. 291 et p. 291—297 tractatum illum, qui commentario ipsi praemissus idemque in calce adsutus est, edidit. [Tk.]

## R 72.

(CXXXVIII = S. I. 4. 23.)

Codex membranaceus 0,220×0,140 m foliorum 122 (sunt 12 quaterniones, quinio demptis duobus foliis post 98 et 101, 2 quaterniones, ultimo quaternioni folium 121 adglutinatum, folium 122 singulare

additum) lineis 30 vel 31, litteris satis bonis, sed abbreviationibus obscuratus, fere XIV. saeculo scriptus. Litterae initiales multae diversis coloribus distinctae sunt, nonnullae eximiae magnitudinis varia colorum ornamentorumque arte excellunt (f. 1, 3, 30, 61$^{v}$, 84$^{v}$, 96), quibus coloribus ornamentisque verisimile fit codicem in Italia exaratum esse. f. 64 in margine imago simplex est matrem cum infante exprimens, ad libri argumentum minime pertinens. Litteris capitalibus atramento scriptis ea verba picta sunt quae magnas illas initiales sequuntur, prout spatium iuxta eas patebat, eaeque litterae capitales ornatae et inter se partim colligatae partim inclusae aut superpositae sunt, genus scribendi et ad spectandum taetrum et ad legendum difficile. Cuius generis litteris scriptum f. 29$^{v}$ inf.: *incipit secundus liber,* 61$^{v}$ *explicit prima incipit secunda,* 122$^{v}$ *explicit retoricorum liber.* His aliisque locis alia manus explicationes addidit. Eadem manus hic illic codicem ex alio libro correxit, cuius rei gravissimum exemplum invenis f. 113$^{v}$, ubi satis multa auctoris verba a scriba omissa afferuntur. Praeterea foliorum 4—16 magna pars marginum vocabulorum biblicorum indice foedata est.

Insunt in codice:

1) f. 1—61$^{v}$ **Cicero** de inventione.

2) f. 61$^{v}$—122$^{v}$ Rhetorica ad Herennium. Casu in hoc codice duo folia exstant multo vetustioris libri (XI. vel XII. saeculi) a bibliopega praesuta, quae exhibent locos quosdam ex **Sulpicii Severi** dialogo primo. Inveniuntur apud Halmium (Corpus script. ecclesiast. I, Vindobonae 1866) p. 158 et 165 s. Folia inter se cohaerent; quod nunc prius est, olim in suo codice alterum intermisso quodam spatio (sex videntur folia intercidisse) sequebatur. Verisimile est extremam partem quaternionis his foliis constitisse. Insunt in folio priore haec: inc.: *radicem deperisse ferunt. Verum hoc sancto illi labor cum peccore communis et propria praestabat industria.* des.: *Alium aeque singularem uirum uidimus;* (= Sulpic. Sev. dial. 1, 13 et 14, apud Halmium p. 165, 3—166, 4). Haec sunt in folio posteriore: inc: *Et tamen catholice disputata retineret.* des.: *Cum hec atque alia istius modi ab episcopis proderentur, ex istius partium* (= Sulp. Sev. dial. 1, 6. 7, apud Halmium p. 158, 4—28). De auctore huius fragmenti me docuit Bruno Krusch vir harum rerum peritissimus. [Tk.]

# R 73.

(CXLIX = S. I. 4. 24.)

Codex foliorum 120 (0,206×0,147 m) chartaceus immixtis 19 foliis (1. 6. 7. 12; 13. 18. 19. 24; 29. 30. 35; 36. 41. 42. 48; 109. 114. 115. 120) et uno panno post folium 69, a me signato 69ª membranaceis, decem senionibus constans, nisi quod tertius fasciculus uno folio minor, quartus uno amplior est quam senio: folium enim 35 quinioni 25—34 extremo additum, folium 47 senioni ita interpositum est, ut cum foliis 37. 46 cohaereat. Folia 119ʳ et 120 vacua sunt. Folioli 69ª inter 69 et 70 interiecti (0,068×0,119 m) pars antica inscripta est. Scriptus est codex vel totus vel maximam partem annis 1451 et 1452 (cf. fol. 48ʳ inf. et 96ᵛ med.) in Germania.

Rubricatae sunt inscriptiones et initiales. Scholia et notae inter lineas et per margines hic illic dispersa sunt. Quae in extremis marginibus erant, a bibliopega resecta sunt.

Continentur codice haec:

1) f. 1—48ʳ **Rhetorica ad Herennium.** Inscriptio: *Rethorica noua Merci Tullii Ciceronis incipit.* Subscriptum f. 48ʳ inf.: *Marci Tullii Ciceronis ad gayum herennium Rethorica nova Explicit. Scripta anno domini MCCCCLII⁰. Finita vero in crastino Jacobi apostoli* (= die 26 mensis Julii).

Folio 48ᵛ nihil habes nisi distichon:

*Tullius exose confert hic arma senecte*
*Etatum varia scribit et officia.*

2) f. 49—96 **Cicero** de officiis. Inscriptio: *Merci Tullii Cyceronis de officiis liber primus incipit.* Subscriptum f. 96ᵛ med.: *Expliciunt tres libri Marci tullii de officiis Anno domini M⁰CCCCL1⁰ scripti ipso die oduphi confessoris.* (Odulphi confessoris dies in dioecesi Leodiensi — germanice urbs appellatur Luettich — celebratur.) Miniator addit: *completi per manum fratris cuius anima post hanc vitam requiescat in pace.*

Sequitur eadem pagina: *Epytaphium cyceronis editum a XII sapientibus ysmenio · basilio · vemanio · euphorbio · juliano · hilasio · paladio · asclepiado · eustenio · pompeliano · maximiano · vitale.*

*Hic iacet arpinas* etc. = Anthol. Lat. 603. Discrepantiae: *v.* 1. *amici, v.* 5. *volnere nempe tuo.*

Accedunt duo versus:

*Excellunt cunctos hii libros philosophorum;*
*Libri quos fecit tres tullius officiorum.*

f. 69ª continetur locus alius Ciceronianus: *Cui liber imperabit qui non potest cupiditatibus imperare* etc. Scriba addit: *haec tullius in libro de oratore.* Revera verba excerpta sunt maximam partem ex Parad. V et extrema sunt ex Parad. II, quod Schönborn in ipso folio adnotavit.

**3)** f. 97—108ʳ med.: **Cicero** de senectute.

Inscriptum: *Incipit Merci tullii cyceronis de senectute liber.*

Subscriptum: *Explicit tullii liber de senectute.*

Folii 108ʳ reliqua parte mors Ciceronis secundum **Valerium Maximum** 5, 3, 4 describitur: *Valerius libro quinto c. 3 de ingratis de tullio sic refert. Marcus cicero tullius popilium lenatem picene regionis rogatu m. celii non minore cura quam eloquencia defendit eumque causa admodum dubia fluctuante saluum ad penates suos remisit. . . . alius cicero non extat. haec valerius.*

Folium 108ᵛ completur 38 versibus ex **Senecae** tragoediis desumptis. Haec frustula Annaeana omnia reperis in eclogis uberioribus quas Fridericus Leo ex codice bibliothecae Lugdunensis 191 B edidit. (Commentationes in honorem Buecheleri et Useneri 1873 p. 29—60).

Inc.: *dum fata sinunt vivite leti*
*properat cursu vita citato*

Des.: *non sibi felix pauper habetur*
*nisi felices cecidisse videt.*

**4)** f. 109—112ʳ, 23 **Ciceronis** oratio pro Marcello.

**5)** f. 112ʳ, 24—116ʳ, 19 **Ciceronis** oratio pro Archia poeta: *Sequitur oratio M. tullii ciceronis pro aulo lucinio archipoeta.*

**6)** f. 116ʳ, 20—119ʳ **Ciceronis** quae fertur oratio pridie quam in exsilium iret: *Sequitur oratio eiusdem M. T. Ciceronis quam habuit pridie quam in exilium mitteretur.*

Descripsit codicem Franc. Passow in libro qui inscribitur Museum criticum Vratislaviense (1820) p. XIV et eiusdem libri p. 97—328 eam partem codicis, quae auctorem ad Herennium continet, nomine C usus accurate cum aliis libris manuscriptis comparat, sicut commemoravimus de codice 72. Idem Passow in indice lectionum universitatis Vratislaviensis per aestatem anni 1828 instituendarum lectiones codicis 73 ex oratione pro Marcello collectas sub littera R proposuit.

Praeterea codice usi sunt Pinzger 1822, Glaeser 1846. **[Tk.]**

## R 74.

(CLVIII = S. I. 4. 25.)

Codex chartaceus 0,200×0,141 m constans ex 7 quinionibus, senione, quaternione, quinione, senione, cuius primum folium resectum est, quinione, quaternione, ergo 129 foliis, quorum 3 ultima vacua sunt, lineis vicenis quaternis vel senis partim anno 1453 partim 1455 scriptus. De hac re cf. f. 80$^r$, 89$^v$, 126$^v$.

Insunt:

**1)** f. 1—80$^r$ **Ciceronis** epistulae selectae.

Subscriptum: *Anno dño MCCCCLV die XIX Maij xps euouae.*

f. 80$^v$ et 81$^r$ vacua.

**2)** f. 81$^v$—89$^v$ **Batrachomachia** a Carolo Aretino in latinum versa. Praemissa est praefatio, quae incipit f. 81$^v$ ab his verbis: *Nuper, suavissime Marrasi cum apud quosdam praestantissimos iuueneis studiis humanitatis mirifice deditos Homerum summopere laudassem dixissemque . . .* explicit f. 82$^v$: *Hoc opusculum tanquam homeri mittimus, ut ipsum emendes ac hiis diebus aliquo ridiculo amenium* (l. *animum*) *relaxare possis. Finis. Evovae.* Haec praefatio nuper edita est a R. Sabbadini, Biografia documentata di Giovanni Aurispa, Noto 1891, p. 176—178.

f. 83$^r$ rubris litteris superscriptum: *homeri poete cl. batracomyomachia. per Karolum arietinum in latinum traducta. Ad marasium siculum incipit feliciter.*

inc.: *Ranarum murumque simul crudelia bella*
*Quaeque super genibus descripsi carmina nuper*
*Nunc canere atque omnes hominum vulgare per aureis*
*Est animus.*

des. f. 89$^v$: *Phebus, cum tanti cessit discordia belli.*

Subscriptum: *xps. Homeri poetae clarissimi batrachomiomachia feliciter explicit. Deo Gratias. Amen.* Sequitur rubris litteris: *Anno MCCCCLV die XXIII februarii.* Marsuppini Aretini Batrachomyomachiae editiones describuntur in Hainii Repertorio bibliographico, no. 8784. 8785.

f. 90 vacuum.

**3)** f. 91—111 **Ilias latina** cum glossulis interlinearibus.

Superscriptum rubris litteris: *Incipit liber primus homerj.*

inc.: *(I)ram pande mihi pellide diua superbi*

des. f. 111$^v$: *Tuque faue cursu uatis iam phebe peracto.* Cf. appendix.

**4)** f. 112—126 Novem **tractatus de metris.**

Superscriptum f. 112r rubris litteris: *Incipit tractatus primus de metris.*

Inc: *Tractaturi de metris primo uidemus quid sit metrum et unde dicatur. et ipsorum diversitatibus ut per eas ab aliis nostra carmina euidentius secernamus.*

Des. f. 126v: *Nos decet uti pentimemere et sincopi. vero aliis non.* Rubris litteris: *Utilia ad uersificandum. Explicit.* Viridibus litteris: *Amen.* Rubris litteris: *Anno domino MCCCCLIII die VIII mensis genuarii.*

Codice usi sunt G. E. Lessing 1763, Tzschirner 1843, Glaeser 1846.

**[Tk.]**

## R 75.

(S. I. 4. 26.)

Codex membranaceus 0,236×0,164 m foliorum 78, quorum 19—22 desunt, tricenis quaternis lineis, inter quas 32 vel 33 versus scripti sunt. Praeterea quattuor folia vacua 23 linearum praefixa sunt. Fasciculi singuli sunt quaterniones. Decimi quaternionis ultima duo folia resecta sunt, folium 78 vacuum est. Exaratus nitidissime est codex fere anno 1420, cf. fol. 77v. Initiales quaedam admodum ornatae inveniuntur.

Insunt:

**1)** f. 1—45v **Cicero** de officiis.

Expl.: *M. T. Ciceronis de officiis liber perfectus est.*

**2)** f. 45v—52r **Ciceronis** paradoxa.

Expl.: *Hic finem habent paradoxa Stoycorum.*

**3)** f. 52r—64r **Cicero** de senectute.

Expl.: *hic de senectute perficitur.*

**4)** f. 64r—77v **Cicero** de amicitia.

Expl.: *hic de amicitia finis est. 1420 die XI Aprilis.* Codice usi sunt stud. Weber 1854, C. F. W. Mueller 1876. **[Tk.]**

## R 76.

(S. I. 4. 27.)

Codex chartaceus 0,202×0,155 m saeculo XVI. exeunte conscriptus commentarios quosdam continet compositos secundum scholas

vel omnes vel partim in universitate Francofurtensi habitas. Olim 3 fasciculi erant, quos litteris a, b, c denomino.

a) Explicantur tres orationes **Ciceronis**:

1) in Milonem. Titulus: *Annotata in orationem Milonianum M. Schosseri anno 94* (= 1594). Joannes Schosserus Isenacensis Francofurti docebat, phil. magister 1575, professor latinae linguae 1580, professor rhetoricae 1587, mortuus Crosnae 1626. Cf. Saecularia sacra' Academiae Regiae Viadrinae ..., Francofurti 1706, Notitia universitatis Francof. (haec est pars saecularium sacrorum) p. 68. Scripta sunt 19 folia, praemissum unum, quod titulum habet, sequitur 1 vacuum.

2) pro S. Roscio Amerino. Titulus: *In orationem Ciceronis pro S. Roscio Amerino Annotata M. Schosseri Anno 93 9. octobris.* Sunt folia 1 (cum titulo) + 26 + 5 (vacua).

3) de imperio Cn. Pompei. Titulus: *Annotata in orationem Ciceronis pro lege Manilia M. Schosseri.* Folia 1 + 25 + 4 (vacua).

b) Explicatur oratio **Ciceronis** de imperio Cn. Pompei. Titulus: *Annotata in orationem Ciceronis pro lege Manilia.* Haec verba multo post addita sunt, non ab eo qui libellum conscripsit. Verisimile videtur hunc fasciculum cum superiore parte, quae ad eandem orationem pertinet, quodammodo cohaerere. Nec tamen accuratius in hanc rem inquisivi. Folia 1 + 21 + 2 (vacua) + 37.

c) Scholae ad philosophiam et ad antiquitates pertinentes.

1) *In dialecticen,* folia 1 (vacuum) + 4 + 6 (vacua) + 28 + 2 (vacua).

2) *In librum III. Ethices Aristotelis ad Nicomachum.* Folia 36 + 3 (vacua).

3) Quaedam de antiquitatibus: de praemiis et honoribus, praeterea de sepultura ac funeribus. Folia 17 + 4 (vacua).

[Tk.]

## R 77.

(LXXXVII = S. I. 4. 28.)

Codex chartaceus formae maioris (0,19×0,27 m) foliorum 72 (unionis, quinionum septem) versuum 31, scriptus est anno 1465, v. f. 72v. Insunt:

**1)** f. 1$^r$ vacuum est. f. 1$^v$ *Sdruzoli in laude duna donna. La laude . . . possa possedere,* v. appendix.

f. 2 vacuum est, nisi quod in folio verso varia (velut soles et lunae) plumbo delineata erant, quae postea rursus erasa sunt.

**2) Claudii Claudiani** carmina haec:

a) f. 3$^r$ 1 *C: claudii claudiani poetae clarissimi de raptu proserpinae liber primus. Incipit. Inuenta secuit . . .* Sequuntur interstitiis factis sed titulis a rubricatore intermissis f. 7$^v$ 28 lib. II., f. 15$^r$ 17 lib. III., qui f. 22$^r$ 30 explicit. Inter libros II. (qui f. 14$^v$ 19 finit) et III. interposita est:

b) f. 14$^v$ 21—15$^r$ 15 Panegyrici de VI. consulatu Honorii Augusti praefatio *Omnia quae . . . aula parem* titulo nullo instructa. Eundem errorem contigisse in codice Florentino bibl. St. Crucis pl. XXIV sinistr. n. 12 (s. XII. membran.) videre licet ex apparatu critico Birtianae editionis. Ipse Panegyricus non est in codice.

f. 22$^v$ vacuum est.

c) f. 23$^r$ 1 *C. claudii claudiani. poetae clarissimi exordium libri epigrammatum diuersorum feliciter incipit.* Sequitur carminum minorum et privatorum corpusculum quod dicitur, nisi quod carmina I, L, LII eius corpusculi omittuntur. Carmina II ∾ III. V ∾ VI. XIV ∾ XV ∾ XVI. XXXIV ∾ XXXV ∾ XXXVI ∾ XXXVII ∾ XXXVIII ∾ XXXIX sine interstitio conexa sunt. Singula carmina praeter II (huius codicis primum) et XXVIII (quod rubricator praeteriit) et ea, quae praecedentibus adnexa sunt, titulos prae se ferunt plerumque a vulgatis recedentes, velut IV *Laudat Armenta stiliconis.* V *De portu calcidensi.* VII *De çurru marmoreo.* VIII *De pertica amante filium.* IX *Describit hystricis naturam.* X *De burro.* XI *Epitaphion puellae* etc. Carminis XXV praefationem sub titulo *Prohemium* seiunctam sequitur ipsum carmen *Venus in siluis* inscriptum. Explicit ultimum carmen (LIII 128) f. 46$^r$ 2 *En iterum conuulsa feror.* Reliqua pars paginae et f. 46$^v$ vacua sunt.

d) f. 47$^r$ 1 *C. claudij claudiani poete clarissimi de laudibus stiliconis liber primus incipit.* Sed manus vetusta verba *de laudibus stiliconis* linea transversa plumbo inducta delevit

et in margine adscripsit: *in Ruffinum.* Est revera *in Rufinum* liber primus praefatione ornatus (*[P]hębeo domitus python* . . .), quem post spatium duarum linearum, sed sine inscriptione, f. 53$^v$ 8 ipse liber II. omissa praefatione sequitur (*[I]am post edomitas* . . . 62$^r$ 7 *litora uenti*); quae tamen sub finem libri II. spatio duarum linearum vacuo relicto additur: 62$^r$ 10 *Pandite* . . . 29 *modis.*

e) f. 62$^r$ 30 *Claudiani poetae clarissimi De gildone quem interfecit Stilico.* Est De bello Gildonico liber I.; explicit f. 70$^v$ 29. f. 71 et 72$^r$ vacua sunt.

f) f. 72$^v$ in extremo margine superiore verba quaedam scripta erant nunc partim abscisa, quorum dubitanter litteras *aqua coffa,* pro certo *multarum* agnovi. In ipsa pagina scriptum est: *Petri de sancto flore est codex iste. — & per ipsum scriptus padue anno d̃ni M°IIIILXV in contrata del agnus dio.*

Inspexerunt codicem vv. dd. Glaeser 1845 et Degen Lignitiae 1866. cf. Aug. Degen, De Claudii Claudiani poetae codice Vratislaviensi, pars prior, Rogasen 1870 progr.; pars II ibidem 1874. Th. Birt in editione = Monum. Germ. hist., auct. ant. X (Berolini 1892), p. CXXVI. [Z.]

## R 78.

(XXXIII = S. I. 4. 29.)

Codex chartaceus formae maximae (0,3×0,21 m), foliorum 159 (duorum quinionum, quaternionis, quinionis, ternionis, undecim quinionum, quaternionis, cuius tria folia resecta sunt) versuum 38 vel 39, s. XV. scriptus; chartae impressa est capitis equini figura, quod officinae chartariae signum videtur. Insunt:

1) f. 1$^r$—42$^r$ *L. annaei **flori** epitoma in t. livium. incipitur foeliciter.* Hanc codicis partem ultimus inspexit Otto Rossbach, qui in Flori epitoma apud Teubnerum anno 1896 edita p. XXI laudavit codicis librarium, qui *magis ab interpolationibus abstinuit quam alii qui eadem aetate Florum exaraverunt, et quaedam aut ipse aut ab alio monitus scite correxit.*

f. 42$^v$—44$^v$ scriptura vacant.

2) f. 45$^r$: ***Suetonii** tranquilli de XII ςaesaribus liber incipitur a julio caesare incipiens. julius caesar annum agens sextum decimum —*

f. 158$^{r}$ τέλος. *Suetonii tranquilli domitiani vita finitur et consequenter XII caesarum historia.* Additae sunt in margine reconditioris doctrinae notae, quibus Festi Asconii Gellii testimonia afferuntur quibusque codicem viri cuiusdam inter Italos s. XV. doctissimi fuisse demonstratur. Lectiones primi libri qui de divo Iulio scriptus est praecipuas publici iuris fecit C. E. Chr. Schneider in indice Scholarum Vratislaviensium 1817. 18; nec huic nec codici no. 126 ullam omnino auctoritatem tribuit C. L. Roth (C. Suetonii Tranquilli quae supersunt omnia, Lips. 1841, p. XXIX sq.); adstipulatur Ihm (C. S. T. opera I, Lips. 1907, p. XXIII). In folio 158$^{v}$ exarati sunt Plaut. Amphitr. vv. 633—636. (*Plaut. in Alcmena*) pessime habiti, Ovidii Fast. I, 493. 494., verba *imperium fato dari.*

f. 159$^{v}$ haec leguntur manu quae s. XVI. videtur esse scripta:

*Carissime frater idemque mihi uita iucundior, saluti. Doppo la partita mia di costà non ui ho dato auiso di niente, per non auere auto tempo e occasione di scriuere e non é achaduto per auer caminato sine ulla requiae et intermissione per daruj adoncho auiso del mio successo.*

*prouerbium d. f. s. pontiani.*
*bonum uinum cum sapore bibat abas cum priore*
*conuentus autem de peiore.*

*Reverende domine unicum mihi praesidium et dulce decus meum saluti* [postea deletum]

*Meamque videbo*

*Carissima et dilectissima vita Paullo* (?) *mille saluti.* [postea deletum].

Proverbio illo d(e) f(ratribus) s(ancti) Pontiani scripto demonstratur codicem quondam in ea Italiae parte latuisse, quae ad septentrionem spectat; Pontianus enim Spoleti (AA. SS. 14. Jan. I p. 933) et Tuderti (9. Jul. II p. 690) colitur. Inspexit codicem praeter alios F. Ritschelius anno 1834. [W.]

## R 79.

(CXXXII = S. I. 5. 1.)

Codex membranaceus formae quadratae (0,23×0,18 m) foliorum 40, versuum 38 vel 40, unione, quattuor quaternionibus, ternione compositus, s. XV. scriptus est; ornamenta coloribus picta et litterae minio ductae

inveniuntur passim. Insunt Iulii **Frontini strategemata** (f. 3[r] *Sexti iulij frontinj strategemathycon incipit prologus. cum ad instruendam* — f. 37[r] *proelio victi sunt. deo gratias. Sexti Iulij Frontini rei militaris strategematicon liber explicit*). In fine manu a librarii diversa addita sunt: *Sexti Julij Frontini Rei militaris stratagematicon liber finit. deo gratias amen. liber nicolai de gualdo.* — f. 37[v]—40[v] vacua sunt.

Scripsit de hoc codice Gottholdus Gundermann in Commentationibus philologis Ienensibus vol. I 1881 p. 110. Is codici, de quo ab Ottone Rossbach certior erat factus, numerum tribuit 68. Eadem fere monuimus ad codicem Rehdigeranum 10, quem adeas. [W.]

## R 80.

(XX = S. I. 5. 2.)

Codex membranaceus formae maximae (0,23×0,31 m) foliorum 88 (duo quinionum, octo quaternionum, binionis) anno 1418 (v. sub finem) scriptus est binis columnis a duobus librariis aequalibus, quorum alter, qui ff. 1—28 exaravit, bis 55—65, alter, qui minus subtiliter librum ad finem perduxit, bis 48—52 versibus singulas paginas complevit. Litterae initiales et librorum et capitum rubro vel caeruleo colore simpliciter nec non eleganter pictae sunt. Margines notis diversarum manuum scatent, quae praecipue verba Graeca ab ipsis librariis spatiis vacuis relictis omissas inseruerunt. Tegumenti parti interiori schedula agglutinata est (0,095×0,185 cm), in qua manus recens (saeculi fortasse XVIII.) hanc codicis descriptionem fecit: *Codex / Agellii / Hic Codex a. 1413* (sic), *difficillimus / lectu, nulli locorum insanorum, / quorum pars magna est in / Agellio, medetur / Orditur ab indice Capitum. / Quae in editis reperitur / praefatio, ad finem totius / libri adscripta in hoc Cod. / est, sed ne integra quidem, / quantum vidi. / Desunt enim loca græca, quae in / edd. leguntur, litera / ɑ plerumque notata. / Finitur totum opus h. v. / Per deos imortales nolite / vos atque — / pro quo in edd. est — nolite / vos sequestro ponere. / Recentior manus passim / adscripsit loca similia / ex gr. lat. que auctoribus /* Incipit igitur **Gellii** codex ab indice capitulorum libri primi f. 1[ra] 1 ita: *Primo comentario haec insunt /. 1. Quali proportione* . . . 1[rb] 35 *Expliciunt cap(itu)la p(ri)mi libri / Plutarchus in libro* . . . = Gell. I 1, 1. Auctoris igitur nomen in hac prima pagina non legitur, nisi quod manus recens (saeculi fere XVIII.) in margine

inferiore adscripsit: *A. Gellij Noctium Atticarum libri.* — f. $5^{va}$ extr. *Agellii Nocciũ atticarũ liber p(ri)mus / explicit. Incipiũt cap(itu)la s̃cdi:* col. b v. 1 *Quo genere solitus* . . . f. $6^{ra}$ 18 *Incipit lib(er) scd's ca(pitul)is expletis / Ille* (sic) *labores uoluntarios* . . . Simili modo uni cuique libro suorum capitum index praefigitur, sed singula capitula argumentis carent. Incipit: f. $10^{va}$ lib. III; $13^{va}$ lib. IV; $16^{vb}$ lib. V; $19^{va}$ lib. VI; $22^{ra}$ lib. VII; $26^{ra}$ capitula libri VIII; $26^{rb}$ lib. IX; $29^{va}$ lib. X; $35^{va}$ lib. XI: $39^{va}$ lib. XII; $45^{ra}$ lib. XIII; $52^{vb}$ lib. XIV; $56^{vb}$ lib. XV; $62^{ra}$ lib. XVI; $66^{va}$ lib. XVII; $73^{vb}$ lib. XVIII; $77^{va}$ lib. XIX., qui capitulis caret; $81^{vb}$ lib. XX antepositis capitulis. Inter libros IX. et X. f. $29^{va}$ hoc epigramma insertum est, quod manus recentior in margine *C. Aureli Romuli* esse significavit: *Cecropias noctes* . . . *docenda dedit* = Anth. lat. $I^2$ no. 904. Libri XX finem (f. $85^{rb}$ v. 43 *nolite uos atque*) nullo spatio facto v. 44 excipit Gellii praefatio *iocundiora alia* . . ., quae explicit f. $86^{rb}$ v. 29 *invenirique possit.* Post spatium duarum triumve linearum vacuum relictum subscripti sunt undecim versus, quorum 6 priores facile leguntur, sequentes 4 ita erasi sunt, ut etiam chymicae artis remediis adhibitis nihil distingui posset. Versus 11 pars extrema satis perspicua est. Verba sunt haec:

*Benedicamus domino. Deo gr(ati)as*
*Laus t(ibi) sit chr(ist)e q(uonia)m lib(er) explicit iste*
*Finitus est in die s(an)c(t)e Elizabet. 1418.*
*Agelli noctium atticar(um) liber ex*
*plicit. p(er) manus mei petri finitus*
*sed non inchoatus. Florencię*
7—10 obscuri sunt.
11 . . . . . *Deo gratias. Amen.*

In fine versus 9 Hertzius iterum *florencie* legere sibi visus est, fortasse recte. In reliquis paginis quinque (f. $86^{v}$—$88^{v}$) a librario vacuis relictis m. rec. indicem nominum Gellianorum instituere coepit ita, ut singulas paginas binis lineis in quaternas areas quadratas divideret, quarum cuique littera praefixa nomina locosque congereret. Verum non diu in hoc labore sibi constitit, quo factum est, ut pauca tantum nomina locique legantur.

Adhibuit codicem v. d. Martinus Hertzius annis 1864. 68. 75; vide eius editionem, vol. II (Berolini 1885), p. LXXIII s. Quem ipsum quoque ad eruendam subscriptionem chymicae artis auxilio sed non satis caute usum esse pagina ipsa pessumdata docet. [Z.]

## R 81.

(XXVIII = S. I. 5. 3.)

Codex chartaceus formae maximae (0,21×0,30 m) foliorum 112 (novem quinionum, senionis, quinionis, cuius ultimum folium [112] a bibliopego tegumento posteriori adglutinatum est), versuum 35, anno 1451 nitidissime scriptus est; legitur enim f. 90ᵛ (i. e. in fine pristini codicis) in margine sinistro: *XIIII. Iulii MCCCCLI. GA. S.* Tituli, subscriptiones, litterae initiales subtiliter delineatae miniatorem desiderant, qui tamen paucissimis locis colores rubrum, caeruleum, subviridem alternantes superinduxit. Notae frequentissimae marginales partim ab ipso librario adiectae partim a possessore codicis aequali haud minus nitide quam ab illo adscriptae sunt. Codex compositus est e duobus libris ab eodem librario in eadem charta scriptis, quorum continet

**1)** f. 1—90 **Pseudacronis** scholia in Horatii odas, epodas, carmen saeculare. Est igitur exemplar recensionis *p*, quam Keller in praefatione editionis anno 1902 Lipsiae publicatae p. VI sq. descripsit, quaeque omissis scholiis in epod. 17, 53—81, sermones, epistulas, artem poeticam insignis est. Revera plerumque codicem cum *p* consentire compluribus locis passim collatis intellexi, sed liberius nonnulla hic illic et omissa et addita sunt, quae ad ordinem enumerare neque huius loci est neque omnino operae pretium videtur esse. Tituli graviores lemmataque sunt hi: f. 1ʳ *Acronis grammatici in odas òratii* (sic). *Q. flacci venusini comentum. Vita. horatii. haec est. Ooratius q. flaccus precone patre* . . . = I 1—3, 8 Keller. f. 1ᵛ 27 *Prima odes ad mecenatem inscribitur in qua hominum describit officia pragmaticem. [M]onocolos* . . . In sequentibus carminibus librisque tituli omissi rubricatoris operam non experti sunt. Incipit igitur f. 30ʳ 10 carminum libri II. commentum sine titulo, similiter f. 45ᵛ 31 lib. III., f. 68ᵛ 22 lib. IV., f. 79ʳ 25 Epodon libri, f. 89ᵛ 23 carminis saecularis parcae explicationes. Explicit f. 90ᵛ *quam ad sacrificia offerenda,* cf. I 479, 29 Keller. Hunc finem esse pristini libri et necessitudo recensionis *p* et quinionum series desinens et subscriptio temporis addita (v. supra) demonstrat. Nec tamen multo post adiecta codicis pars altera continet:

**2)** f. 91ʳ *Acronis grammatici artis. poetice. q. flacci. venusini. commentum. Humano capiti cervicem. de inequalitate* . . . = II 309 ff. Keller. f. 107ᵛ 22 *Irudo sanguisuga; Acronis expositio finit.*

ff. 108—112 vacua sunt. Adhibuit codicem adhuc nemo. [Z.]

## R 82.

(XV quart. = S. I. 5. 4.)

Codex chartaceus et membranaceus mixtus formae quadratae (0,145 × 0,205 m) foliorum 152 compositus est ex unione chartaceo (0 [quod tegumento adhaeret] ∾ 1) complectenti duo folia a bibliopega inserta (a ∾ b), folio membranaceo (2) adglutinato quaternioni (3—10) ita composito, ut folia exteriora et interiora (3 ∾ 10. 6 ∾ 7) e membrana, cetera (4 ∾ 9. 5 ∾ 8) e charta sint, senionibus undecim (11—142) in eundem modum conligatis (ut v. g. f. 11 ∾ 22 et 16 ∾ 17 primi senionis membranacea, cetera chartacea sint); ultimi senionis (olim ff. 143—154 tenentis) folia ultima (153 et 154) bibliopega tegumento adglutinavit et post f. 152 (nunc ultimum codicis folium) folium chartaceum a codice alienum intermisit. Scriptus est s. XIV. vel XV. in Germania. Litterae initiales carminum et praecipue librorum rubro vel caeruleo colore pictae sunt.

f. 1r manus recens titulum *Quinti Horatii Flacci poemata cum aliis quibusdam quae sequens pagina indicat* scripsit. f. 1v vacuum est. f. 2r a manu s. XIV./XV. scriptum est: *Lib(er) dom(us) saluatoris mu(n)di ord(in)is cano(n)icor(um) r(e)gulariu(m) in Eemsteyn p(ro)pe dordracu(m).* Consulentibus nobis archivarius Dordracensis v. d. Lawalen humaniter respondit, eam domum regularium s. Augustini conditam esse anno 1382 a Reynout van Minnebode in ripa dextra fluminis quod vocatur Eem, inundatione vastatam mense Novembri anni 1421, restitutam alio loco anno 1430, iterum aquis submersam esse anno 1572 mense Aprili; fundamenta effossa annis 1895 et 1896 descripta et delineata esse in ephemeride quae vocatur Jaarverslag der Vereeniging Oud Dordrecht 1895/96 et 1896/97; librorum partem diu in bibliotheca ecclesiae quae vocatur Grootekerk fuisse, deinde in bibliothecam urbicam Dordracensem pervenisse; qua anno 1768 divendita dispersos esse. — Supra hos versus alii duo scripti erant, qui postea erasi sunt; artis chymicae ope haec dispexi:

*Iste liber . . . Regula(rium)* (?) . . . *Vindraco* (?) *prope dordracum*

Videtur igitur fuisse inscriptio eius domus, cuius codex fuit priusquam ad Eemsteynienses perveniret. — Sequitur index eorum, quae in libro continentur, ab alia manu eiusdem aetatis exaratus. Insunt:

**1)** f. 3—10 (quaternio) binis columnis bis 46—55 versus continentia institutionis instar praefixa sunt et hos tractatus exhibent:

a) f. 3r col. 1. *Horacius Quintus Flaccus praecone . . . bucolicorum est* = **vita Pseudacroniana** apud Kellerum (in editione Acronis) I 1—2, 14.

b) f. 3r col. 2. *Horacius p(oeta) dubium utrum apulus . . . Inpaciens etenim fuit libidinis,* alia **vita Horatiana** mihi ignota.

c) f. 3r col. 2 sub finem: *Horacius flaccus venusinus . . .* f. 3v col. 2 med. *mecenatis tumulum* = **Suetonii** vita valde depravata.

d) f. 3v col. 2 med. *Horacius flaccus libertino . . . vicit ingenio* = **vita Pseudacroniana,** I 2, 16—19 Keller. Sequuntur *Scripsit autem . . . melius omnibus* = I 3, 4—8 Keller.

e) f. 3v col. 2—5r col. 1 med. *Decem et novem tantum odas . . .* = Expositio metrorum **Pseudacroniana** (I 4, 4—12, 7 Keller) sive **Servii** (cf. H. Keil, Gramm. Lat. IV 468 sqq.).

f) f. 5r col. 1 med. Alius **tractatus metricus** Servii centimetri similis; exhibet enim lemmata haec: *Adonium, Dactilica metra, De iambicis metris, De trochaicis, De anapesto, De metro coruambico atque heroico, Metra antispastica, De metro ionicis maioribus, Metra ionica a minore, De dispersis metris.* Explicit f. 8r col. 1 extr. *scribendi precium voluntatis exsoluat.*

g) f. 8r col. 2. *Seruius incipit. Clarissimo albino . . .* 9v col. 2 init. *voluntatis exsoluat. Explicit **centimetrum Seruij** grammatici q(ui) fuit m(a)g(iste)r p(rae) sci(enti)am.* Cf. H. Keil, Gramm. Lat. IV 456 ff. — Sequitur tractatus recentissimus de metris ‚modernis' versuum 22. Deinde: *Sequitur de pedibus veterum quibus usi sunt in carminibus et metris. Pirrichius constat ex duabus breuibus ut fuga . . .* In fine huius tractatus (f. 10r col. 1) initiis binorum versuum scribitur *Bachius, Proceleumaticus, Coruambus* omissa explicatione. Reliqua pars paginae et f. 10v vacua sunt.

2) f. 11r—152r in priore parte 28, in altera 29 versus continentia **Horatii opera** exhibent hoc ordine disposita: f. 11r incipit liber carminum I sine titulo. 27v 6 *Carminum explicit liber primus Incipit libris secundus.* Similiter incipiunt f. 38r liber III. 56v liber IV. carminum. f. 67r 19 *Quinti horacij flacci carminum liber quartus explicit. Incipit quintus eiusdem de arte poetica. Humano capiti . . .* f. 75v *horacij flacci de poetica arte explicit. Incipit eiusdem epodon.* 86v Carmen saeculare. 88r Sermonum liber I. 106r liber II. 125r Epistularum liber I. 142v

liber II. f. $146^{v}$ et $147^{r}$ librarius vacua reliquit, per errorem scilicet, cum f. $146^{r}$ ex ordine f. $147^{v}$ excipiat (II 1, 209/210). Explicit $152^{r}$ *decentius aetas* = Epist. II 2, 216 sine subscriptione. f. $152^{v}$ vacuum est. Scholia permulta et in margine et inter lineas adiecta sunt et Pseudacroniana et recentiora nullius pretii.

Inspexit codicem Glaeser 1846. [Z.]

## R 83.

(XXXV quart. = S. I. 5. 5.)

Codex membranaceus formae quadratae minoris (0,11×0,185 m) foliorum 105 versuum 33—38 compositus est ex septem quaternionibus (1—56), ternione (57 ∾ 65, 58 ∾ 64, 60 ∾ 61), cui tria singula folia (59, 62, 63) inserta sunt, quaternione (66—73), tribus quinionibus (74—103), unione (104 ∾ 105). Scriptus est nitide ab uno, ut videtur, librario, qui modo subtiliore modo crassiore penna usus est, saeculo XIV. Litterae initiales carminum rubro vel caeruleo vel viridi colore pictae sunt. Scholia modo plura modo pauciora et librarii et recentior manus saeculi fere XVI. addiderunt. Insunt a f. $1^{v}$ ad $102^{v}$ **Horatii opera** eodem ordine atque in codice 82 digesta. Carminum libri I—IV (f. $1^{v}$, $13^{r}$, $19^{r}$, $29^{v}$), liber de arte poetica ($35^{v}$), carmen saeculare ($49^{v}$) titulis subscriptionibusque carent; habent libri epodon ($42^{r}$), sermonum ($50^{r}$; lib. II. sine titulo priori adnexus est f. $65^{v}$), epistularum ($81^{r}$, $95^{v}$); in fine ($102^{v}$) scriptum est: *Q. horatii flacci epistolarum liber II explicit.* In sermonum contextu satira I 8 a librario omissa est; quam continet ab alia manu scriptam folium 62 postea ita insertum, ut satira I 7, quae in foliis $61^{v}$ et $63^{r}$ scripta est, in duas partes dividatur. f. $104^{r}$—$105^{r}$ vacua sunt nisi quod in f. $104^{v}$ superiore parte rubro scriptum est *Antonius.* In f. $105^{v}$ a manu vetustiore s. XV. exaratum est *per comune Noster* et a recentiore s. XV./XVI. *bꝯ. b.* (?) *Zenaro Verona*; cf. cod. 90. f. $103^{r}$ hic illic situ confectum charta adglutinata opertum est. In f. $103^{v}$ et $1^{r}$ (in quo manus saec. fere XVII. titulum *Q. Horatij Flaccj Poemata* scripsit) videbantur reliquiae scripturae vetustae, quibus arte chymica paululum refectis in f. $1^{r}$ quidem nihil, in f. $103^{v}$ tamen aliqua legere potuimus. In margine superiore neglegenter haec scripta sunt:

*obscurus dubius Bootes est uitiosus*
. . . . . *CCXXX Ĩl̃I die iouis IIĨI die* . . . *Jacobo*
. . . . . . . *adi sat* . . . *us* (= *saturnus*?) *pp bẽn*

Deinde spatium quattuor fere versuum ita obscuratum, ut nisi singulae litterae nihil legi possit. Sequuntur complures versus satis diligenter saec. XIII./XIV. exarati nec tamen faciles lectu, qui textum exhibent ecclesiasticum mihi ignotum. Eorum quae satis clare dispexi, haec exempli gratia addo:

v. 1 *honorem patris et gloriam dehonestat tollerantiam indigantie filiorum*

2 *Sine rubore pater illum ne͂* (?) *potie͂* (?) *furum appellare adinopiam cuius*

3 obscurior

4 *Si post auditam indigantiam fau͂* (?) *natisatia* (?) *taute͂tae pigritates*

5 *Apanthochir od'* (?) *est totum pater originem duceret abussiuo said* (?) *quod habet non poiti* (?) etc.

Ex his qualis sit textus harum rerum periti fortasse intellegent. Inspexit codicem adhuc ut videtur nemo. [Z.]

## R 84.

(CXVI = S. I. 5. 6.)

Codex membranaceus formae quadratae, olim **Iordanis Getica** amplexus. Hodie nulla supersunt eius vestigia nisi foliorum XXXI fragmenta ambusta, reliqua anno 1881 Berolini incendio sunt absumpta. Ultimus integrum codicem inspexit Th. Mommsen, qui eum in praefatione operibus a Iordane confectis praemissa (Monumenta Germaniae historica, auctores antiquissimi V, 1, Berolini 1882, p. LIX) descripsit eiusque lectionem addidit in apparatu textui subornato. Sunt autem Mommseni verba haec:

‚Breslaviensis Rehdigeranus repos. no. 106 *(sic)*, nobis B, membr. s. XI., ‚liber S. Martini et S. Elifii martiris' itaque aliquando Coloniae adservatus, non continet nisi Getica. deficiunt folia duo a p. 101,5 *ut Placidiam* ad p. 103, 1 *revocata* et a p. 110,2 *non immerito* ad p. 111, 15 *aspectu.*'

Condicio foliorum quot servata sunt omnium eadem fere est: desunt in folio recto initia versuum, priorum paucis, ulteriorum pluribus verbis deficientibus, ultimi versus duo pluresve omnino desunt. Eodem modo in folio verso ambusta sunt singulorum versuum extrema verba, ita quidem, ut totius folii duae fere partes sint integrae. Quod ut clarius

appareat, folium undevigesimum (= editionis p. 89, 13 sqq.) quale nunc est, describam; quae currentibus ut dicunt litteris scripta sunt, desiderantur.

f. $19^{r}$ *heremum* uacantes dum uidissent et earum se conplexibus incoitu miscuis-
*sent, gen*us hoc ferocissimum ediderunt. Quod fuit primum inter paludes, mi-
*nutum, te*trum atque exile, quasi hominum genus nec alia uoce notum nisi
*quae hum*ani sermonis imaginem assignabat. Tali igitur hunni stirpe
*creati got*horum finibus aduenerunt. Quorum natio seua, ut priscus histori-
*cus refert,* meotida palude ulteriorem ripam insedit uenatione tan-
*tum nec alio l*abore experta, nisi quod postquam creuisset in populis, fraudibus
*et rapinis uici*narum gentium fidem conturbauit. Huius gentis ut assolent
*uenatores, dum in* ulteriori meotidis ripam uenationes inquirunt, animad-
*uertunt quomodo ex* inprouiso cerua se illis obtulit ingressaque palude
*nunc progrediens nunc subsis*tens indicem viae se tribuit. Quam secuti uenato-
*res paludem meotidem q*uam inperuiam ut pelagus estimabant pedibus tran-
*sierunt. mox quoque ut scy*thica terra ignotis apparuit, cerua disparuit.
*quod credo spiritus illi, unde prog*eniem trahunt ad Scitharum inuidiam id egerunt.
*illi vero qui praeter maeotidem al*ium mundum esse penitus ignorabant, admira-
*tione inducti terrae scythieae et ut s*unt sollertes, iter illud nulli ante
*hanc aetatem notissimum diuinitus sibi o*stensum rati ad suos redeunt rei
*gestum edicunt scythiam laudant persuasaque gente* sua uia quam cerua

*indice didicerunt ad Scythiam properant et quantoscumque prius in ingressu scytharum habuerunt, litauere uictoriae, reliquos uero perdomitos subegerunt nam*

*mox ingentem illam paludem transierunt ilico alipzuros alcidzuros*

f. 19$^{v}$ itimaros tuncarsos et boiscos qui ripae istius scithiae insideb ....

Folium undevicesimum ex integrioribus est, reliquorum iactura maior esse solet. Quorum omnium addam indicem ita instructum, ut cuiusque pagellae primum indicetur verbum et ultimum additis paginis editionis Mommsenianae, lacunis quae in primis aut extremis versibus ortae sunt neglectis. Totius igitur codicis condicio haec est: servata sunt foliorum

1—4 omnino nihil
5$^{r}$ = p. 61, 20 *Seres* — 62, 6 *natione grecos*
$^{v}$ = p. 63, 5—10 (nullum accurate dispicitur verbum).
6 nihil.
7$^{r}$ = p. 66, 2 *cui examplexu* — 15 *exercitu* (?)
$^{v}$ = p. 67, 3 *traxerunt* — 18 *conforta[ti*
8$^{r}$ = p. 68, 3 *pulchritudinis* — 15 *caspium* (?)
$^{v}$ = p. 69, 2 . . *tas nunc* — 15 *cumulabat*
9$^{r}$ = p. 70, 4 *seueret* — 18 *iaculo foemore*
$^{v}$ = p. 71, 5 *interuallum* — 72, 2 *deter[rens*
10$^{r}$ = p. 72, 7 *modo constructo* — 73, 3 *candidis obuiam*
$^{v}$ = p. 73, 7 *adepti* — 21 *crebo temptans*
11$^{r}$ = p. 74, 4 *magister* — 18 *inuenitur*
$^{v}$ = p. 75, 1 *quod nomen* — 15 *inde suscipiens*
12$^{r}$ = p. 76, 2 *metuentes* — 17 *a quo*
$^{v}$ = p. 77, 4 *innitharius quoque genuit* — 78, 5 *super limbum*
13$^{r}$ = p. 78, 10 . . *iminus imp.* — 79, 8 *ubi de se*
$^{v}$ = p. 79, 12 *quantum* — 80, 12 *regni rom*
14$^{r}$ = p. 80, 17 *quadorum* — 81, 15 *reipubl*
$^{v}$ = p. 81, 18 *patriae* — 82, 13 *nauibus*
15$^{r}$ = p. 82, 17 *signat* — 83, 12 *ut erat*
$^{v}$ = p. 83, 15 *ad oppidum* — 84, 4 *decius imp.*
16$^{r}$ = p. 84, 8 *ubi tum* — 85, 3 *cyprianus*
$^{v}$ = p. 85, 7 *manu* — 22 . . *tus aliqua*
17$^{r}$ = p. 86, 4 *itinere* — 87, 1 *sicut et sub*
$^{v}$ = p. 87, 4 *nomine* — 17 *geberich rege*
18$^{r}$ = p. 87, 21 *meauit* — 88, 12 *dicioni nam*
$^{v}$ = p. 88, 16 *aliis sepe* — 89, 9 *quinto*

19ʳ = p. 89, 13 *uacantes* — 90, 9 *quam cerua*
ᵛ = p. 90, 12 *itimaros* — 91, 11 *ermanaricus*
20ʳ = p. 91, 15 *sunielh nomine* — 92, 11 *christianos quo*
ᵛ = p. 92, 13 *perfidia* — 93, 10 *deliberant*
21ʳ = p. 93, 13 *cum paucorum* — 94, 11 *ignem*
ᵛ = p. 94, 13 *loco ualentis* — 95, 17 *omnino*
22ʳ = p. 95, 21 . . *uersis* — 96, 15 *uirtutis*
ᵛ = p. 96, 17 *regna quam* — 97, 12 *de quibus*
23ʳ = p. 97, 15 *uectacionibus* — 98, 10 *suamque defo* . . .
ᵛ = p. 98, 12 *citati* — 99, 8 *submersit*
24ʳ = p. 99, 12 *montis* — 100, 4 *infestassent*
ᵛ = p. 100, 7 *ad gallias* — 101, 2 *regnum*
25 deerat in codice nondum adusto, v. Mommseni notam supra allatam.
26ʳ = p. 103, 1 *congaudet* — 18 *pondere*
ᵛ = p. 103, 21 *honorifice* — 104, 13 *uterque*
27ʳ = p. 104, 16 *flumina* — 105, 12 *uesegothasque*
ᵛ = p. 105, 15 *incessu* — 106, 10 *truculentus*
28ʳ = p. 106, 14 *ad ualentinianum* — 107, 12 *et commu*
ᵛ = p. 107, 14 *interrogate* — 108, 6 *maurici*
29ʳ = p. 108, 8 *terrarum* — 109, 3 *tali praesa* . .
ᵛ = p. 109, 6 *conuenere* — 109, 22 *fidelitatem*
30 deerat in codice nondum adusto, ut f. 25.
31ʳ = p. 111, 15 *credere* — 112, 6 *desi[uit*
ᵛ = p. 112, 8 *castra* — 113, 1 *globos*
32ʳ = p. 113, 5 *inspiciebant* — 113, 21 *pugnantibus*
ᵛ = p. 113, 24 *gaudia* — 114, 14 *ciuitatem*
33ʳ = p. 114, 17 *adhibitis* — 115, 9 *ualentiniani princ.*
ᵛ = p. 115, 12 *attilam* — 116, 6 *uictorie*
34ʳ = p. 116, 9 *thorismund* — 116, 23 *hispaniam*
ᵛ = p. 116, 27 *sedes* — 117, 14 *libertatem*
35ʳ = p. 117, 18 . . *num crediderat* — 118, 11 *inuasit*
ᵛ = p. 118, 14 *egregium* — 119, 10 *genero*
36ʳ = p. 119, 15 . . *perius* — 120, 9 *filium*
ᵛ = p. 120, 14 *italiamque* — 121, 7 *adeptus*
37ʳ = p. 121, 13 *est iterum* — 122, 1 *memor*
ᵛ = p. 122, 6 . . . *inpace* — 122, 17 *diximus*
38ʳ = p. 123, 4 *cupimus* — 11 *tuentibus*
ᵛ = p. 123, 20 *grauatus* — 124, 4 *lacri]mis*
39—47 omnino desunt. [W.]

## R 85.

(LXXVII = S. I. 5. 7.)

Codex chartaceus formae maioris (0,28×0,22 m.) foliorum 108 (quaternionis unius scriptura vacui, quinionum decem, quorum ultimum folium agglutinatum est ipsi integumento) versuum 36—39, scriptus s. XV.; foliis pro officinae chartariae signo impressa est aut forficulae imago aut R littera; variae notae margini adspersae sunt. Insunt:

1) f. 9ʳ—96ᵛ M. Iuniani **Iustini** historiarum epitome *(Justini liber hystoriarum incipit* (et *explicit) foeliciter.*

Codex a Ruehlio neque in dissertatione (Die Verbreitung des Justin im Mittelalter, Lipsiae 1871) neque in editione Iustini Teubneriana memoratus, itemque omissus ab Ad. Bruening (De M. Iuniani Iustini codicibus, diss. Monast. 1890), neque immerito: est enim ex Italorum exemplaribus minus insigne.

2) f. 97ʳ—97ᵛ Italiae provinciarum index e **Pauli Diaconi** historia Langobardorum excerptus (v. Th. Mommsen, Neues Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde V 1880 p. 84 = Ges. Schr. VI 518). Ut de huius laterculi recensione possis iudicare, primam excribam paragraphum:

*(D)ecem et octo legimus esse Italiae prouincias. prima est Venetia, quae in se continet Ystriam. cuius Venetiae fines sunt a Pannonia usque ad flumen Adam; in qua sunt urbes haec: Vicencia Verona Patauium Mons Scilicis Mantua Pergamum lacus Benacus, de quo Muntius fluit. Ystria ab Ystrio fluuio cognominatum* (l. *cognominata*) *est, quem amplior* (l. *ampliorem*) *quam nunc est fuisse prohibetur* (l. *perhibetur*)*: huius Venetiae caput Aquilegia existit, pro qua nunc Foroiulium est, quod Julius Caesar negotiationis forum ibi statuerat.*

Cf. Paul. Diac. II, 9 II, 14. Hic index ab eadem manu qua Iustini opus scriptus est.

f. 98—100 scriptura vacant.

3) f. 101ʳ—102ʳ Epistulae **Lentuli** et **Pontii Pilati** de Iesu Christo conscriptae. De Pilati epistulis vide Ad. Harnack, Geschichte der Altchristlichen Literatur I, 22. 23. De ea quae Lentulo attribuitur compilatione cf. Trede, Wunderglauben S. 156.

4) f. 103ʳ Remedium quoddam ab ignoto auctore contra ischiadicam passionem commendatum. *Ad syaticam primum circa*

*coxas utaris infusionibus calidis — uetustissimos quoque siaticos hoc modo curare poteris.*

f. 103$^{v}$ sqq. scriptura vacant.

Tractatus tertius et quartus a diversis auctoribus scripti sunt. Inspexit codicem Glaeser anno 1845. [W.]

## R 86.

(XLIII = S. I. 5. 8.)

Codex membranaceus formae maximae (0,19×0,29 m) foliorum 48 (quattuor quinionum, quaternionis) versuum initio 38—41, postea constanter 40, scriptus saec. XIV., continet **Iuvenalis** satiras XVI, singulis versibus vacuis relictis inter se distinctas, titulis subscriptionibusque carentes, nisi quod in fine libri (f. 48$^{v}$) subscriptum est: *I. d. i. Explicit liber satirar(um). V. d(eo) gr(ati)as.* Primae paginae ab ipso librario scholiis refertae sunt, quae postea rarescunt. Paucas notas duae manus recentiores saec. XVI./XVII. adscripserunt. Literae initiales intermissae rubricatorem desiderant. Inspexerunt codicem vv. dd. Schneider 1821, Pinzger 1822. Cf. Rupertii editionem (Lips. 1801) I p. CLXIII. [Z.]

## R 87.

(LXII = S. I. 5. 9.)

Codex chartaceus formae maximae (0,21×0,28 m) foliorum 81 (trium senionum, octonionis, senionis, cui folium [55] insertum est, octonionis), versuum 24, scriptus saec. XV., continet **Iuvenalis** saturas in quattuor libros per errorem digestas, cum libri III. et IV. (saturae VII.—XII.) in unum contracti sint a rubricatore, quamquam litterae maiusculae, quibus satira X. post spatium vacuum trium linearum initiatur, legitimo loco novum librum instituere voluisse librarium comprobant. f. 1$^{r}$ rubricator scripsit: *Junij iuvenalis aquinatis liber primus satiraru(m) incipit.* Singularum satirarum literae initiales omissae sunt. Subscriptum nihil; folium 81 vacuum. Scholiis folia 1—11 librarius replevit, postea hic illic plus minusve adnotavit; pauciora manus recentior adscripsit. Inspexerunt codicem vv. dd. Schneider 1821, Pinzger 1822. [Z.]

## R 88.

(LXV = S. I. 5. 10.)

Codex chartaceus formae maximae (0,21×0,28 m) foliorum 79 (sex quaternionum, trium quinionum, folii adglutinati) constat e duabus partibus, quarum prior (1—48) saec. XIV. scripta 24—27 versus in singulis paginis tenet, altera (49—79) saec. XV. addita (deperdita fortasse pristini codicis parte posteriore) 34 versus exhibet. Diversa in utraque parte chartarum signa inveniuntur. Insunt:

1) f. 1r—68v **Iuvenalis** satirae, titulis subscriptionibus litteris initialibus egentes, nisi quod in fine notatum est: *am(en) deo gr(ati)as. Explicit.* Scholia initio multa deinde pauciora uterque librarius in parte vetusta, nulla in additamento adiecit.

f. 69 vacat scriptura.

2) f. 70r—79v **Persii** satirae titulis litterisque initialibus egentes, praefixis prologi choliambis. Subscriptum *amen* octies, tum *Finis amen* τελως αμην. *nõ.* Scholia multa initio, pauca in sequentibus a librario adscripta sunt.

In fine libri (79v extr.) legitur subscriptio haec partim erasa et a nobis chymica arte quantum fieri poterat excitata: *Liber petri francisci de Vallano* (?) *bernardi. F.* (i. e. *filii*). Litterae *ci de V* a manu recentiore videntur esse renovata. Addidit manus alia: *munus · XL · Ant(oni)i de mo(n)te amici optumi.*

Inspexerunt Iuvenalem vv. dd. Schneider 1821, Pinzger 1822, Persium Passow 1880, Tzschirner 1837. **[Z.]**

## R 89.

(CXXIII = S. I. 5. 11.)

Codex membranaceus formae quadratae maioris (0,175×0,24 m) foliorum 82 (unionis, octo quinionum) versuum 30, scriptus nitidissime saec. XV., continet **Iuvenalis et Persii** saturas. Litterae initiales singularum satirarum caeruleo colore pictae sunt, tituli omissi, nisi quod in fine Iuvenalis scriptum (f. 67r): *Finis. iunii iuuenalis satyrar(um) liber explicit* et in fronte Persii (f. 68r, 1): *Persii flacci volaterranj satiri lib(er) incipit.* Singulis satiris manus 2. saec. XVI. titulos *Satyra prima, Satyra secunda* etc. praefixit; cui manui et paucae notae marginales debentur. Amplius per codicem manus 3. saec. ipsa quoque XVI. grassata est.

In f. 1ʳ et 1ᵛ bini vel terni versus penitus erasi sunt nec remediis chymicis revixerunt; 1ʳ legitur a manu saec. fere XVII. scriptus titulus *Juuenalis et Persius.* f. 2ʳ vacuum est; 2ᵛ m. 3 scripsit: *Carmen Enij poete Nemo . . . uirum* = Var. v. 17 sq. (p. 215) Vahlen. f. 3ʳ incipit Iuvenalis littera initiali rubro caeruleo aureo coloribus picta; in margine imo arma picta sunt bipartita, quorum in area sinistra caerulea stellae sex aureae fulgent (tres supra, duae in medio, una infra), dextra in quattuor partes divisa est, quarum duae nigro, duae fusco pictae sunt.

f. 67ʳ subscriptioni Iuvenalis m. 3. haec subiunxit: *O nimirea domus titulis decorabere laudis du(m) stabu(n)t su(m)mo sidera fixa polo. In hoc Juuenalis uolumine continentur carmina no. tria milia et octinge(n)ta et triginta sex die 16 octobris MCCCCCXVI, Jadre* (Jadra hodie est Zara). f. 67ᵛ vacuum est; 68ʳ incipit Persius, explicit 79ʳ *signator acerui. Finis.* Subscripsit m. 3.: *In his Flaci persii satyris insunt Carmina sexcentena et quinque* (sunt revera 665, praeteriit in computando unum folium) *eode(m) die Ibide(m).* f. 79ᵛ et 80ʳ vacua sunt. f. 80ᵛ haec leguntur scripta a m. 3.:

*Cicero ait istech duo carmina*
*Foemina nulla bona est sed si bona contigit ulla*
*Nescio quo fato res res mala facta bona est*
*Finis*

*Quid leuis* (l. *leuius*) *ue(n)to flama* (l. *flamen*) *quid flamine fumus*
*quid fumo mulier, quid muliere nihil*
*Finis*

*Fęlix quęm faciunt aliena pericula cautum*
*Morbida facta pecus totum corumpit ouille*
*Quod noua testa capit inueterata sapit*
*Finis*

f. 81ʳ vacuum est; 81ᵛ m. 3. haec scripsit: *Persius Flacus suum poeama incipit Jambico uersu trimetro qui et scazon est nam scazere est uerbum grecum quod est latine claudico quamuis quidam dicant uersus illos non esse persii quod minime est, nam quemadmodum urbs Roma uirtutibus tunc claudicabat sic et ipse persius claudicanti uersu satyram [cępit]* (delevit lineola) *scribere agreressus* (sic) *est.* Deinde post spatium vacuum duarum linearum: *Apud antiquos scriptores legitur. Ga Tiberiu(m) Cęsare(m) habuisse coruum qui solitus erat q(ua)n(do)q(ue) Cęsar domo egediebatur, ipsum no(m)i(n)e salutare postea duos cęsaris filios Drusum et Germanicum deinde nominatim singulos optimates.* In inferiore parte paginae alia manus adnotavit *In dies hec spetto patre meu(m).* f. 82ʳ

vacuum est nisi quod in parte superiore legitur *13 noue(m)b(ris)* et quaedam conscribillata sunt. f. 82ᵛ m. 3. hos duos versus difficillimos lectu scripsit:

*po(n)tus et ostriferi fauces tentauit abydi* = Verg. Georg. I 207.
*usque sub extremu(m) brume intractabilis imbrem* = — — I 211.

Inspexerunt codicem vv. dd. Schneider 1821, Pinzger 1822, Passow 1830, Tzschirner 1837. [Z.]

## R 90.

(CXL = S. I. 5. 12.)

Codex membranaceus formae quadratae (0,127×0,215 m) foliorum 55 (sex quaternionum, binionis, cui folium [49] praefixum est, unionis) versuum 37 in f. 1—16, deinde 36, scriptus nitide saec. XIV., continet **Iuvenalis** saturas paucis scholiis a librario, pluribus a manu recentiore saec. XV., paucissimis a possessore Zenaro auctas; m. 2. et Graeca a librario omissa (sat. IX 37 al.) inseruit et notulas Graecas, quales solent in marginibus codicum Graecorum occurrere, hic illic Iuvenali adspersit. f. 1ʳ incipit *Juuenalis satyr* m. 1. in rasura, singulae satirae nisi litteris initialibus maioribus non seiunctae. f. 53ᵛ *Hic explicit liber iuuenalis.* Additus est a m. 1. litteris minoribus tractatus ineptus, quo ex schemate scholastico materia, intentio, utilitas, titulus operis exponitur. f. 54ʳ m. 2. accurate orbem terrarum et zonas delineavit. f. 54ᵛ eadem manus haec scripsit: *Clari uiri guar(ini) ue(ronensis) carmina in iuuenalis satyras. Lib(er) I. 1 Materiam et causas satyrarum hac inspice prima . . . XVI Militiae mores et commoda dinumerantur. Finis.* Impressi sunt hi Guarini versus saepius; cf. Bandini, Bibl. Leop. Laur. I 506. Endlicher Catal. cod. philol. lat. bibl. Pal. Vindob. p. 116. Voigt, Wiederbeleb. [3] II 390. Sabbadini, La scuola e gli studi di Guarino Veronese, Catania 1896, p. 97.

Addit m. 2: φόβος καὶ ἔλπις ἀνθρώπων τυραννοὶ, deinde f. 55ʳ *Inuidiosus ego non inuidus esse laboro. Calui. decipi. Melancolia. nigra. colera.* Subinde legitur nomen possessoris posterioris *bꝯ. b. Zenaro Verona,* cf. cod. 83. Deinde complures versus erasi sunt, quorum ne artis chymicae quidem ope quicquam nisi pauca verba litterasve legere potui (v. 1 *Duxi.* 2 extr. *ibit in agros* [?] 4 extr. *diues.* infra *uigil*). Inspexerunt codicem vv. dd. Schneider 1821, Pinzger 1822. [Z.]

## R 91.

(CXLV = S. I. 5. 13.)

Codex membranaceus formae quadratae (0,135×0,21 m) foliorum 77 (septem quinionum et ternionis, cui folium [73] insertum est), versuum 26, scriptus nitide saec. XV., continet **Iuvenalis** saturas omissis litteris initialibus, versibus vacuis seiunctas, in quibus manus 2. suum cuique saturae numerum indidit; eadem manus Graeca omissa inseruit. Titulus deest (addidit manus saec. XVII./XVIII.: *Juuenalis*), subscriptum est f. 75ʳ *Explicit Juuenalis feliciter.* f. 75ᵛ et 76ʳ vacua sunt; 76ᵛ unus versus erasus est qui videtur fuisse *Quoque quoque quoque quo quis quis quod,* quae aliquem pennae probandae causae scripsisse manifestum est. Similiter videtur iudicandum esse de duobus versibus erasis in fol. 77ʳ, quorum nisi singulas litteras nihil dispicere potui. Inspexerunt codicem vv. dd. Schneider 1821, Pinzger 1822. [Z.]

## R 92.

(CLI = S. I. 5. 14.)

Codex membranaceus formae quadratae (0,155×0,215 m) foliorum 68 (unionis, quattuor quinionum, senionis, quinionis, binionis) versuum 29, scriptus saec. XV. ineunte, continet **Iuvenalis** saturas titulis carentes singulis versibus vacuis relictis inter se seiunctas, litteris initialibus rubro et caeruleo coloribus (prima et aureo) pictis ornatas, a f. 3ʳ ad 68ᵛ; satura XVI. (f. 64ʳ, 29—65ᵛ, 1) ante XV. (f. 65ᵛ 3—68ᵛ, 2) posita; subscriptum *FINIS* τελος. f. 1—2 vacua sunt, nisi quod in f. 1ʳ manus quaedam saec. XVII./XVIII. saepius in his codicibus obvia titulum *Juuenalis* scripsit. Inspexerunt codicem vv. dd. Schneider 1821, Pinzger 1822. [Z.]

## R 93.

(VIII quart. = S. I. 5. 15.)

Codex membranaceus formae quadratae (0,135×0,2 m) foliorum 88 (quinque quinionum, quaternionis, trium quinionum), quorum ultimum tegumento adglutinatum est, versuum 23, nitide scriptus est saec. XV. Litterae initiales rubro vel caeruleo colore munda simplicitate pictae sunt; prima subtilius expolita. Insunt **Iuvenalis** satirae hoc titulo

instructae: *Junij iuuenalis liber satirarum primus incipit foeliciter.* Singulis satiris pro titulis praefiguntur Guarini Veronensis versus illi, de quibus ad cod. 90 rettulimus. Singuli satirarum libri non distincti sunt. In fine (f. 84$^v$ v. 5) legitur: *Junij Juuenalis Satira ultima perfecta est foeliciter.* f. 85—88 vacua sunt, nisi quod f. 85$^r$ versus *Implet: et ad mechos dat eisdem ferre cinedis* (Juv. XIV 30) scriptus est.

De codicis usu cf. ad cod. 90 sqq. [Z.]

## R 94.

(XVIII quart. = S. I. 5. 16.)

Codex chartaceus formae quadratae (0,145×0,205 m) foliorum 80 (unionis membranacei, duorum quinionum, duorum senionum, septenionis, quinionis, quaternionis, unionis membranacei), versuum 27 in foliis 3—22, in ceteris 25, saec. XV. scriptus est. Folia membranacea praefixa vacua sunt, nisi quod f. 2$^v$ hae possessorum notae inveniuntur s. XV./XVI. exaratae: *Iste liber est mei nicholi Juliani nicholi de ridolfis.* Delevit haec linea transversa manus haud multo recentior et ita subscripsit: *Hic liber est mei martini martini guglielmi De Martinis.* Insunt **Iuvenalis** satirae, titulo egentes, in quinque libros dispositae. Libro primo subscribitur (f. 21$^r$): *Junij Juuenalis aquitaci* (!) *satirarum liber primus explicit incipit secondus. Credo puditiciam Cupientes sexta pudiciciam.* Deinde f. 34$^r$: *Incipit tertius liber Et satira septima*; similiter ceteri. In fine legitur (f. 78$^r$): *Junii Juuenalis Satirarum Liber sextus* (l. *quintus*) *et ultimus feleiciter explicit chastro carus. Finis.* — Prima littera initialis (f. 3$^r$) coloribus rubro caeruleo viridi aureo parum eleganter picta est, ceterae simpliciores; nonnullae omissae. f. 3$^r$ in margine inferiore corona laurea cum taeniis alam circumdans picta est; f. 21$^r$ in margine inferiore similis corona invenitur, quam Amores manibus tenent.

f. 78$^v$—80 vacua sunt.

De codicis usu cf. ad cod. 90 sqq. [Z.]

## R 95.

(S. I. 5. 17.)

Codex chartaceus formae quadratae (0,145×0,215 m) foliorum 96 (ternionis, duorum quinionum, octo quaternionum, ternionis) versuum 24

scriptus saec. XV., continet in f. $9^r$—$89^r$ **Iuvenalis** satiras, titulis subscriptionibusque egentes, nisi quod saturae I—IV versus illos Guarini Veronensis (cf. ad cod. 90) praefixos habent, multis initio, paucis postea scholiis auctas. In fine legitur: *Laurentius florentinus scripsit ipsum librum.*

In parte interiore tegumenti (quod factum est ex charta viridi, cum ceteri codices Rehdigerani omnes fere corio suillo tegantur armis Rehdigeri ornato) a manu saec. fere XVIII. haec scripta sunt: *E Bibliotheca Mich. Morgenbesseri, in cuius Catalogo P. II p. 31 N. 685 exstitit sub Titulo: Paolo Ambrosini poemata latina. M. Sept.* Post Morgenbesserum codicem possedit Scheibelius gymnasii Elisabetani rector, quod ipse testatur in folio a bibliopega codici praefixo ita: *Juuenalis Satyrae XVI Scriptae a Laurentio Florentino Seculo XV. Johannes Ephraim Scheibel Vratisl. CIↃIↃCCLXXXIII.* His subiunxit manus alia: *Donum Rectoris pie defuncti 31 Maji 1809.*

f. $1^r$ manus quaedam saeculi fere XVI./XVII. scriptura perparva lectuque difficillima varia adnotavit velut *daci ultra danubium*, quae exscribere operae non est pretium. f. $1^v$—$6^v$ vacua sunt. f. $7^r$ legitur: *liber de d. bolognini*; quibus linea transversa deletis manus alia subdidit: *ducato uno emero Juuenale.* Praeterea in hac pagina pauca, quae nullius pretii sunt, a duabus manibus conscribillata sunt. f. $7^v$ vacuum est. f. $8^r$ a manu saec. XVI./XVII nomen *Paolo Ambrosini* scriptum est. f. $8^v$ pauca conscribillata.

Post Iuvenalem in f. $89^v$—$90^v$ invenitur a manu quadam saeculi XV./XVI. conscriptus **tractatus de Sibyllis** eiusdem generis, cuius et cod. 58 exhibet (v. p. 19), sed paulo amplior, adnexis 27 oraculis Sibyllinis de Christo prolatis.

f. $91^r$—$96^r$ vacua sunt.

f. $96^v$ exhibet hos versus a manu saeculi fere XVI. exaratos:

*Temporra pretereunt morem fluentis aque*
*Quo semel inbutus reccens s(er)uabit odorem*
*Testa diu* (Hor. Epist. I 2, 69 sq.)
*Obsequium ueritas amicos odium q' parrit* Cf. Terent. Andr. 68.

De codicis usu cf. ad cod. 90 sqq. [Z.]

## R 96.

(XIII = S. I. 5. 18.)

Codex membranaceus formae maximae (0,33×0,21 m) foliorum 600 (unionis unius scriptura vacui, quinionum triginta quattuor, ternionis unius,

quinionum viginti quattuor, senionis), versuum 33, annis 1468—1470 exaratus est. Scriptura nitidissima picturis penna delineatis insignita, quae artificem notabilem produnt, quaeque imperatorum pleraeque voltus referunt (f. 40$^r$, 78$^r$, 156$^v$, 219$^v$, 249$^r$, 277$^v$, 313$^v$, 349$^r$ [columna cum epistylio], 374$^r$, 395$^r$, 425$^v$, 451$^r$, 474$^v$, [imago plenis coloribus reddita], 507$^v$, 543$^r$, 574$^v$). Insunt: **T. Livi** Patavini historiarum libri

f. 3$^r$—346$^v$ I—X, quorum in fine legitur: *sit laus deo. hoc opus scripsit Bartholomaeus de Sandalo MCCCCLXX · X. K. Januari.*

f. 347. 348 scriptura vacant.

f. 349$^r$—394$^v$ XXXI, XXXII, XXXIV—XL. De libro XXXIII v. f. 395$^r$: *T. Liuii Patauini historia* (l. *historici*) *clarissimi de bello macedonico liber secundus explicit, incipit quartus. tercius enim minime reperitur.* Horum librorum singula capita inter se divisa sunt, id quod in prioribus factum non est. f. 594$^v$ haec extant: τελως. *Virgini. sac. Bartholomaeus Fabius Sandulensis laus honos operis huius debetur. anno gratiae MCDLXVIII · XVI. Kl. Quintil.*

Laterculo horum novem librorum et argumento l. XXXIII e L. Floro petito f. 595$^r$—599$^v$ implentur.

Codicem inspexerunt viri docti Gerhard 1814, Schneider 1841.

[W.]

## R 97.

(X = S. I. 5. 19.)


Codex membranaceus formae maximae (0,245×0,335 m) foliorum 110 (unionis, decem quinionum, ternionis, unionis) versuum 38, scriptus est anno 1378 (v. infra). Notulas paucas inter lineas aut ipse librarius aut aequalis aliquis scripsit, plura manus recentior saec. fere XVI. in margine hic illic adnotavit. Eadem ut videtur saepius manus digitis porrectis et bis gallum (24$^v$. 79$^v$) in margine adpinxit. Singulorum librorum litterae initiales multis coloribus satis belle ita pictae sunt, ut diversa simulacra includant. Praefulgent libris I. et VIII. (f. 3$^r$ et 75$^v$) poetae in cathedris, II. (12$^r$) draco ipse se lacerans, III. (21$^v$) poeta (?) cum libro, IV. (31$^v$) idem, V. (42$^v$) vir loricatus (evanidus), VI. (53$^v$) poeta (?) velatus, VII. (64$^r$) rex coronatus in solio sedens, IX. (87$^r$) rex coronatus cum sceptro stans et contionans, X. (102$^r$) eques loricatus in equo phalerato, aquilis et in equitis et in caballi veste depictis. f. 3$^r$ ter arma picta sunt rotunda, cuius in area aurea duo

mallei vel ,portisculi' transversi videntur, qui nomen librarii significant; subscriptum enim est f. $108^{r}$ [*Fin* evanuit] *ito libro refferamus gra(tia)s xp̃o. Lucani liber explicit que(m) ego domnus Jacobus Juliani de Portiolo filius Ferarie scripsi. 1378. et de m(en)se martij.* Sequebantur duo versus nunc penitus erasi ut plane nihil dispici possit.

Inest a f. $3^{r}$—$108^{r}$ M. Annaei **Lucani** Pharsalia. Praecedit f. $3^{r}$ v. 1—4 epigramma *Corduba me . . . coma* (sic) *placet* = Lucan. ed. Hosius p. 338. Anth. lat. $I^{2}$ 668. v. 5 *Incipit primus liber Lucani:* 6 *Bella per emathios . . .*

f. $12^{r}$ *deserta furore. Explicit liber primus Lucani. Incipit secundus. Jamque irae . . .* Similiter in ceteris libris. Inter folia 102 et 103 versus 75 (X 59—133) desunt. Apparet igitur pro ternione qui nunc est folia 103—108 complectens quaternionem fuisse, cuius folio ultimo scriptura vacante exciso etiam folium primum ei conexum interiit. f. $108^{v}$ diversae manus saec. XV./XVI. conscribillarunt totum; leguntur frustula ex Quintiliano et Sallustio sumpta, dicta Socratis, saepius vocabulum quod est *manubrium,* nomen *guarini,* numeri; delineata sunt pueriliter manus, facies, capita galeata, similia.

Circumdata sunt codici Lucani bina folia (1 ∾ 2. 109 ∾ 110) desumpta ex codice multo antiquiore formae maximae, ita tamen in inferiore maxime parte circumcisa, ut in formam libri Lucanei quadrarent. Continent schedae ita conservatae in 8 paginis in binas columnas divisis bis 36 vel 37 versus (abscisi videntur 5 vel 6) scripturae vetustae saeculi fere X./XI. E contextu apparet haec folia in libro vetusto ita composita fuisse, ut folium quod nunc est 109 praecederet columnas in f. 1 servatas itemque f. 2 paginas folii 110, interessent tamen inter haec bina folia quaedam nunc deperdita; quod, si quaternionem fingimus fuisse, hac figura manifestius explicabitur:




Sed possunt plura, possunt pauciora folia intercidisse. Insunt in schedis servatis haec:

f. 109r col. 1 *Adrianus natione roma/nus ex patre theodoro. / de regione uia lata . . .* explicit f. 1v col. II extr. *ut in no(min)e suo mitti a pa.* Est **vita Hadriani I.** papae, edita a Johanne Mabillon et Michaele Germain in Museo Italico, tom. I, p. II (Parisiis 1687), p. 38—39, v. 14, sed formulae libri diurni huic vitae parti insertae (form. 60 et 83), quae in editione modo adlata omittuntur, in codice plenis verbis leguntur.

f. 2r—110r col. II v. 20 *ergo illi nocui nescio. ecce obsorbere me festinat . . . Cui est honor et gloria in saecula saeculorum. amen.* Est pars extrema vitae **sanctae Margaritae,** quae in Bonini Mombritii Sanctuario (novam editionem curaverunt duo monachi Solesmenses, Parisiis 1910), tom. II f. CVr—CVIIr expressa est (II 192, 46—196 ed. Solesm.), sed valde decurtata; quod singillatim exponere longum est.

f. 110r 22—110v extr. *(I)mperante presidi alexandro. in ciuitate nicomedia . . .*; praefixit manus recentior titulum: *Scor(um) quirici eiulite martirum.* Est initium vitae **sanctorum Quirici et Julittae,** quae in Actis Sanctorum, 16. Jun. III p. 28 sqq. invenitur, quacum nostri codicis textus rebus, non semper verbis consentit. Quod in hoc codice vita Margaritae cum Quirici et Julittae coniungitur, id commune habet cum codice Ambrosiano B 55 Inf., cf. Anal. Bolland. XI 253.

Hunc et ceteros Lucani codices adhibuerunt vv. dd. Gleditsch 1725, Schneider 1821, Glaeser 1842; cf. E. S. Sachs a Loewenheim, Memoria Sommersbergii, Vratislaviae, ex officina Grassiana (s. a.), p. 28. Schneider, progr. univ. Vratislav. ad Regis nat. celebr. 1823. [Z.]

## R 98.

(XXVII = S. I. 5. 20.)

Codex membranaceus formae maximae (0,23×0,30 m) foliorum 144 (quinque quinionum, senionis, septem quinionum, senionis) versuum in foliis 1—135r 28, deinde 30, nitide scriptus anno 1421, continet M. Annaei **Lucani** Pharsaliam cum scholiis vel ab ipso librario vel ab aequali litteris minutis summa diligentia et in margine et inter lineas exaratis. In littera initiali prima (f. 1r) pictus est poeta laureatus scribens; ceterae ornamentis, non personis decoratae sunt. In fronte scriptum est epigramma *Corduba . . . placet,* cf. cod. 97. Deinde: *Incipit liber pharsalie lucani cordubensis primus. Bella per emathios . . .* In margine inferiore arma picta sunt, quae praebent cappellum

caeruleum in area aurea, qui nomen librarii significat, quod in fine libri legitur. Hoc enim subscriptum est (f. 144ʳ): *Explicit imp(er)fecta pharsalia lucani* (immo totum opus est in codice). *Lucanus mei Guilielmi cappelli de Aulecta scriptus et apostellatus manu propria i(n) domo Ill(ustris) et excelsi d(omi)ni domini Nicolai Marchionis estensis. 1421 p(ri)mo dece(m)b(ris) finit(us).* In margine litera *g* grandior appicta est, quae videtur nomen Guilielmi significare. Tribus locis inveniuntur lineamenta satis diligenter confecta: f. 24ᵛ in margine sinistra inferiore videtur forma Brundisii oppidi in ea pagina, quae continet versus II 611—638 descripti; f. 47ᵛ, quod tenet IV 403—430, navem librarius sibi finxit et delineavit, quales 417 sqq. describuntur; f. 128ʳ (= IX 699—726) exhibet imaginem Gorgonis Medusae, cuius terrores IX 619 sqq. exponuntur.

Adhibuit codicem v. d. Reifferscheid 1879; cf. et ad cod. 97.

[Z.]

## R 99.

(XXXVIII = S. I. 5. 21.)

Codex chartaceus formae maximae (0,205×0,29 m) foliorum 114 (unionis, quaternionum quatuordecim) versuum 36, scriptus saec. XIV., continet **Lucani** Pharsaliam cum scholiis et ab ipso librario et a manu aequali et a possessore libri, qui folia praefixa conscripsit, in margine et inter lineas additis. Litterae initiales rubro colore pictae sunt. Textum praecedit (f. 3ʳ) epigramma *Corduba — placet,* cf. cod. 97. Sequitur titulus: *Incipit liber phaisalidos lucani. Bella per emathios . . .* 12ᵛ *Explicit lib(er) p(ri)m(us). Incipit s(e)c(un)d(u)s*; similiter in ceteris libris. Subscriptio quae erat in fine (114ᵛ) plane erasa est, ut nihil dispici possit. Totum librum rubricator in capitula digessit, ut exempli gratia ad versum I 183 in margine adscriberet *capitulum primum,* ad I 223 *cap(itu)l(um) s(e)c(un)d(u)m,* a 262 tertii, 392 quarti, 466 quinti, 522 sexti, 584 septimi capituli initium sumeret; et sic per totum codicem. f. 21ʳ in margine forma Brundisii oppidi delineata est.

In duobus foliis praefixis (f. 1. 2) haec leguntur: f. 1ʳ manus saeculi XV./XVI. quinque columnas scripsit nunc partim evanidas, quae 4—10 versiculis exhibent singula verba ad res a Lucano tractatas pertinentia; quae hic describere non est operae pretium.

f. 1v manus saeculi XIV. haec scripsit: *An(no) millessimo tricentessimo q(ui)nq(ua)gessimo q(ui)nto iui ad bononia(m) i(n) studium die XVII ap(ri)llis.* Infra: *p(ro)uidi viri Nicolai lembelli.* Sequuntur infra quattuor versus lingua Italica concepti, haud faciles lectu:

*Crida*[1]) *chy sa e chy uolle dir parolle che eio (?) sum (?) pur te ama . . . ta*[2])
*de chy nello uolle*
*Se*[3]) *pur p(er)che penar ladrã mi fay che piu fidelle de mi puo no nay*[4])
*Lorã*[5]) *che eio no te uezo*[6]) *dona mia, no sa lo meo cor, may che alegreza sia.*

Infra singulae litterae inveniuntur scriptae.

f. 2r eadem manus duas columnas scripsit; col. 1: *Incipiunt carmina c . . .* (?) *q(ui)b(us) q(ui)s possit mollificari.* Sequuntur 23 versus Leonini quantum video inediti, quos in appendice proponam. col. 2: *Me tibi teque mihi . . .* novem disticha iam ab Hermanno Hagen, Carmina medii aevi maximam partem inedita, Bernae 1877, No. CXXXII., p. 206, e codice Bernensi 434 s. XV. edita; a quo textu his locis noster codex recedit: v. 1 *Me tibi teque mihi.* 3 *hec uestis.* 5 *Si sum.* 7 *Nuxipsti.* — *fax.* 8 *uellum.* — *te probat.* 10 *Ibit in arbitrium.* 13 *sed culpa minor hec ipse fatetur* scripta *m* supra *t* *(fatemur).* 14 *Mox fore.* 16 *sponssam.* 17—18 sic se habent: *Vicisti meum sancta ratione furorem Gaudeo quod uerbis sum superata tuis.* Singulis distichis signa *Juue͠* (= Juvenis) vel *Mo͠* (= Monacha) adscripta sunt. — Infra singula verba atramento pallidiore conscribillata.

f. 2v invenitur ipsius librarii manu scriptus tractatus, quo operis causae materialis (i. e. ‚*bellum factum in thesalia inter cesarem iulum et magnum pompeium ex alia*‘ etc.) formalis (i. e. ‚*modus procedendi quoniam nunc in uno capitulo narat gesta cesaris nunc in alio gesta pompeij*‘) efficiens (‚*fuit quidam nomine lucanus de ciuitate cordubae . . .*‘ [sequitur vita inepta]) finalis (‚*est cognito isto libro homines sibi praecaueant a bellis ciuilibus quae sunt causa destruxionis urbium*‘) mira insipientia exponuntur, deinde ‚*cui parti ph(ilosophi)ae supponatur*‘ quique sit libri titulus adseritur.

De usu codicis cf. ad cod. 97. **[Z.]**

---

1) vel *creda.* 2) post *ama* scriptum est *9* et supra addita *l* ut videtur. 3) = *C'è?* 4) = *non hai?* 5) = *L'hora.* 6) = *vedo?*

## R 100.

(LXXXI = S. I. 5. 22.)

Codex membranaceus formae quadratae maioris (0,21×0,27 m) foliorum 114 (tredecim quaternionum et quinionis) versuum 36, scriptus ineunte saeculo XIV., continet **Lucani** Pharsaliam multis scholiis in libris I—VII (f. 1—78) manu quadam saeculi XV./XVI. auctam. Praemissum est epigramma *Corduba . . . placet*, cf. cod. 97. In litteris initialibus variae cernuntur figurae velut poeta recitans (f. $1^r$, $21^r$, $106^r$) eques (f. $1^r$, $10^v$, $31^v$, $54^v$, $78^v$, $90^v$) regina (f. $43^r$, $66^r$). Tituli desunt; subscriptum f. $113^v$ nihil est nisi *Deo gr(ati)as Amen.* f. $114^r$ vacuum est; $114^v$ bis quaterni versus erasi sunt, quorum paucula ope chymicae artis legere potuimus. Prioris notae saec. XIV. scriptae cernuntur in versu 1 haec: *Iste liber est nobilis et b* . . . (an *f* ?) *uiri domini*; v. 2 extr. hae leguntur litterae: *fic . . . devosus*; v. 3 init. legitur anni numerus *MCCCL*, sequentia obscura; v. 4 extr. dispiciuntur litterae *et c*. Secundae notulae v. 1 obscurus plane; v. 2 extr. legi: *quo p(ro)fectus sige͠* . . . (?) *diatore(m)*; v.. 3 extr. *quod fuit anno*; v. 4 init. *MCCCC*, sequentia obscura; post exiguum spatium: *Martij*; scriptura est saeculi XV.

De usu codicis cf. ad cod. 97. **[Z.]**

## R 101.

(LXXXVI = S. I. 5. 23.)

Codex membranaceus formae quadratae maioris (0,205×0,27 m) foliorum 140 (septendecim quaternionum, binionis) versuum primo 27, deinde 29, scriptus ineunte saeculo XIV., continet **Lucani** Pharsaliam praemisso epigrammate *Corduba . . . placet*, cf. cod. 97. Litterae initiales parum diligenter pictae sunt; tituli subscriptionesque desunt, nisi quod in fine (f. $140^v$) legitur a manu 2., quae etiam ipsa saec. XIV. est, scriptum: *Explicit liber Lucani de(cimus).* Subscriptio pristina duorum versuum, quam addiderat ipse librarius, ita erasa est, ut praeter *liber* (v. 1) et singulas quasdam litteras nihil dispici possit. Manus 3. saec. XV. f. $24^v$ formam Italiae et vicinarum terrarum, $73^v$ formam Thessaliae, $119^v$ orbem terrarum (cf. cod. 90) delineavit, textum in capitula digessit (cf. cod. 99), hic illic manus porrectis digitis margini adpinxit.

De usu codicis cf. ad cod. 97. **[Z.]**

## R 102.

(CI = S. I. 5. 24.)

Codex chartaceus formae quadratae maioris (0,205×0,265 m) foliorum 147 (novem senionum, quattuor quinionum, quorum ultimi ultimum folium resectum est), versuum in parte priore 20—32, in altera 31—41, exaratus a duobus nisi fallor librariis, quorum alter f. 1—104ᵛ ampliore, alter reliqua folia subtiliore scriptura complevit, saeculo XIV. exeunte vel XV. ineunte, continet **Lucani** Pharsaliam, modo pluribus modo paucioribus scholiis auctam cum a manu 2. saeculi XIV./XV. tum a manu 3. saeculi XV./XVI. Praemissum epigramma *Corduba . . . placet.* Litterarum initialium spatia vacua relicta; tituli quoque subscriptionesque desunt, nisi quod in fine (f. 146ᵛ) legitur: *Explicit liber lucani. Deo Gratias Amen.* Deinde 4 versus ita erasi sunt ut plane nihil dispici possit.

De usu codicis cf. ad cod. 97. [Z.]

## R 103.

(CXXXVI = S. I. 5. 25.)

Codex membranaceus forma quadratae (0,165×0,225 m) foliorum 138 (septendecim quaternionum, unionis) versuum 29, scriptus vel ab uno librario, qui pro pennae qualitate diversam scripturam exhibuit, vel a pluribus, qui alternis vicibus scribendi munere functi sunt, saeculo XIV., continet **Lucani** Pharsaliam cum paucis scholiis a diversis manibus recentioribus additis. Praemissum est epigramma *Corduba . . . placet* cum hoc titulo (f. 1ʳ): *Incipit liber lucani. epytaphyum.* Sequitur v. 6 lemma *Prohemium Incipit* 7 *Bella per emathios . . .* Post I 7 (. . . *minancia pillis*) tertium lemma insertum est: *Incipit prim(us) liber lucani. Quis furor . . .* f. 13ʳ *Explicit liber prim(us). Incipit secu(n)dus.* Similiter ceteri libri initiantur. In fine (f. 138ᵛ) legitur: *Viuat i(n) celis place(n)tinus i(n) no(m)i(n)e Felix. Finito libro sit laus et gl(ori)a chr(ist)o. Amen.* Infra variae litterae vel vocabula conscribillata et quattuor versus erasi sunt, quorum praeter singulas litteras nihil dispici potest. Inter folia 61 et 62 inveni schedulam membranaceam (0,017×0,16 m), in qua manus saeculi XV. nitide scripsit: *Excelsa animi magnitudine atq(ue) amplissima rer(um) gestar(um) gloria Pompeio Magnificentissimo capitaneo Senatus. P. R.*

De usu codicis cf. ad cod. 97. [Z.]

# R 104.

(XXXII quart. = S. I. 5. 26.)

Codex membranaceus formae quadratae (0,12×0,192 m) foliorum 118 (quaternionum quattuordecim, quorum primo folium unum [1] praefixum, alterum [3] insertum est, binionis) versuum 35, nitide scriptus est saeculo X. vel XI. Insunt:

**1)** f. 1—117 M. Annaei **Lucani** Pharsalia. Folii 1ʳ maior pars expletur forma Brundisii oppidi parum diligenter delineata, cui subscriptum est: *Hesperia hic intrat.* Sequitur vita Lucani quae de commentario Vaccae sublata dicitur (cf. Lucanus ed. Hosius, Lipsiae 1905, p. 334), a manu alia eiusdem aetatis scripta. Vitae initium, quod est in f. 1ʳ (usque ad 335, 14 *quaesturam*) maximam partem evanuit; facile leguntur, quae continentur folio 1ᵛ: *in qua cum* (335, 14) . . . *nerua solano consulibus* (336, 10)*; uita l(ucani).* Subiunctae sunt definitiones ineptae, quibus quid sit legio, classis, nodus, exercitus, acies, alia, breviter explicatur. De ceteris, quae in hac pagina inveniuntur, v. infra. f. 2ʳ incipit Pharsalia sine titulo, spissis scholiorum versibus stipata, quae paulo post rarescunt. Codex ne plane titulo egeret, post folium 2, quod versus I 1—69 continet, aliud folium [3] insertum est, continens versus I 1—70 eodem fere tempore scriptos ornatumque littera initiali subtiliter picta et titulo rubro: *Incipit Liber I Lucani.* f. 4ʳ incipitur versu I 70, qui ne quem lectorem geminatio offenderet, ab eo qui f. 3 inseruit, deletus est. In fine totius libri legitur (f. 117ᵛ): *explicit. lib(er). lucani.* — f. 62ʳ mg. forma Thessaliae, f. 100ʳ mg. orbis terrarum minio pictus est.

**2)** folii 1ᵛ partem reliquam explent **Epitaphia** quaedam a diversis manibus librario fere aequalibus scripta. Epigramma illud *Corduba me genuit* (cf. ad cod. 97) sequuntur quattuor recentioris aetatis, quae cum edita non invenerim, in appendice proponam.

**3)** f. 117ᵛ Lucanum excipit ab alia manu fere aequali scripta *Istoria lucani. Legitur rome fuisse diuersas dignitates quarum una dictatura fuit. et maior. Nam dicebat et iniungebat ceteris quid facti esset. et erat quinquennis et eodem tempore fuerunt isti III dictatores scilicet ponpeius et Cesar et crassus* . . . 118ᵛ *interfectus est.* Est brevis historia bellorum civilium ad Antonii mortem deducta. Sequitur definitio: *Senplegades dicuntur lapides huc illuc per mare uagantes propter leuitatem.* — De codicis usu cf. ad cod. 97. **[Z.]**

## R 105.

(CXLII = S. I. 5. 27.)

Codex membranaceus (0,214×0,140 m) 61 foliorum, quorum ultimum vacuum est, ita compositorum, ut praemissis 2 foliis inde a folio tertio usque ad duodesexagesimum 7 quaterniones efficiantur, quibus binio adiunctus est quarto folio resecto. Singulae paginae 33 versus habent. Liber fere XIII. saeculo exaratus videtur.

Continet **Macrobii** commentarium in Somnium Scipionis et ante commentarium fragmentum ipsum **Ciceronis.**

f. $1^r$ medio legitur: *Macrobius in astronomia.*

f. $2^r$ quattuor figurae.

f. $3^r$—$5^v$, 8 Somnium Scipionis: *Cum in Affricam uenissem — ego somno solutus.*

Nullo spatio interiecto sequitur

f. $5^v$, 8—$60^v$ **Macrobii** commentarius: Superscriptum: *Incipit commentum Macrobii Ambrosii Menicresis.* Subscriptum: *Explicit Macrobius.*

Scriptura bona, ornamenta praeter duas initiales (f. $3^r$ et $5^v$) nulla adhibita sunt. In commentario hic illic figurarum loco nudi orbes interiecti, figurae ipsae non pictae sunt.

Usus est codice Haase 1844 aeque ac codice 69 et de utroque codice rettulit ad Ludovicum Janum, qui ad Macrobium edendum eos adhibuit et in praefatione hunc librum 105 describit p. LXVII.

[Tk.]

## R 106.

(XXXIV = S. I. 5. 28.)

Codex chartaceus formae maximae (0,30×0,20 m) foliorum 96 (quinionum novem, ternionis unius) versuum 41 scriptus est saeculo XV. Ipsi chartae pro signo officinae caput bubulum impressum est; capitum initia minio scripta sunt, notae margini adspersae extant quidem, sed rariores. Insunt in hoc codice:

**Pauli Orosii** historiarum adversus paganos libri VII.

Hoc opus incipit omissis praescriptione et prooemio a capite III libri primi *cum post fabricam* f. $1^r$ et desinit f. $95^v$ in verba *iudicata si deleas.* τέλος (libri septimi extrema). f. 96 scriptura vacat. [W.]

## R 107.

(XL = S. I. 5. 29.)

Codex membranaceus formae maximae (0,29×0,23) foliorum 87 (binionis, cuius deest primum folium, binionis integri, ternionis, cuius ultimi folii pars inferior resecta est, ternionis integri, novem quaternionum, quorum tertii f. 4 et 5 perierunt, ultimi f. 7 et 8 abscissa sunt), versuum fere tricenorum, scriptus, quantum e litterarum ductu apparet, ante annum p. Chr. n. 850. Insunt in hoc codice, ut legitur f. 4ʳ:

*Excerptum* (*de libro* add. man. rec.) *horosi* (*horosij* corr. man. rec.) *prsbi, quod* (*quem* corr. ead. man.) *rogante beatissimo augustino epo contra detrahentes temporibus christianis scripsit, id est de malis mundi ante aduentum domini et de iustitia et iudicio omnipotentis super impios.*

Institutum est hoc excerptum e **Pauli Orosii** historiis ita, ut plurima capita integra et ad verbum accurate ex archetypo describerentur, omitterentur tamen singula, quorum librarii minus intererat. Quod ut clarius cognoscatur, enotavi e libro primo et secundo, quae omissa sint, secundum paginas editionis a Carolo Zangemeister confectae (Corpus script. eccl. lat. V):

p. 8, 11 *necessarium* — p. 40, 9 *proferam*
p. 49, 9 *anno ante* — p. 59, 8 *texuerunt*
p. 88, 1 *olympiade* — p. 88, 3 *exerceri solet*
p. 88, 11 *primus* — p. 91, 7 *exercebatur*
p. 91, 14 *ipse* — p. 94, 16 *mortis imago*
p. 97, 12 *exaggerare* — p. 98, 9 *contremescunt*
p. 105, 3 *sed* — p. 106, 17 *transiit*
p. 107, 11 *at uero* — p. 109, 4 *inuasit*
p. 110, 7 *at Romae* — p. 110, 12 *propositum est*
p. 111, 7 *proximo* — p. 113, 15 *abdicauit*
p. 114, 4 *isdemque* — p. 119, 4 *pollicetur*
p. 119, 8 *principio* — p. 122, 3 *conscripsit*
p. 122, 17 *Euacoras* — p. 127, 11 *seruaretur*
p. 129, 9 *obsidio* — p. 130, 1 *dehinc*
p. 131, 10 *exeuntibus* — p. 132, 5 *transcurrens*
p. 132, 11 *recte* — p. 133, 7 *persequamur*.

f. 1—3 postea adglutinata sunt, legitur f. 1ʳ praeter titulum e f. 4ʳ descriptum conspectus quidam indicaturus, quid somnia singulis

mensium diebus valeant. Edidi haec in ephemeride, quae vocatur Hessische Blätter für Volkskunde, vol. II 89 sqq.

f. 87$^{v}$ legitur epistula quaedam **Sulpicii Seueri** ad Sanctum Paulinum *posteaquaquam omnes coquos — dominum ceterorum*, edita a C. Halmio (Sulpicii Severi opera, Corpus script. eccles. lat. I p. 251), et Orosii verba superius (f. 56$^{r}$) omissa *XXXII. anno ab urbe condita sexcentesimo LXII — Marius cum permouere* (p. 327, 13—328, 13).

Codicem accurate descripsit eximiaque eius in re critica merita exposuit Hugo Kaczmarczyk, De Orosii codice Rehdigerano 107, Vratislaviae 1909, Diss. Ad cognoscendam codicis scripturam f. 17$^{r}$ ectypum phototypicum in calce huius libri addidimus. [W.]

## R 108.

(LVIII = S. I. 5. 30.)

Codex membranaceus formae maximae (0,23×0,28 m), foliorum 149 (quaternionum sedecim, ternionis unius, quaternionum duorum, quorum ultimi extremum resectum est folium), versuum prima libri parte 23, extrema (inde a f. 81$^{r}$) 29, scriptura pulcherrima saeculi IX. exeuntis aut X. ineuntis est exaratus. Litterae initiales nonnullae insigni arte depictae, notae variorum librariorum s. XIV. margini adspersae. Quae contineat codex, legitur f. 1$^{v}$:

*Haec insunt in hoc codice: Historiarum Pauli Horosii prbi aduersus paganos libri numero septem. lege feliciter.*

**Pauli Orosii** historiis explentur f. 2$^{r}$—148$^{r}$. Adduntur in fine nonnullae epistulae **Sulpicii Severi**, f. 148$^{r}$ *postquam omnes coquos* —f. 149$^{v}$ *praesentia uisitentur*, additae ad Sulpicii opera a C. Halmio (Corp. script. eccles. lat. I) p. 251—256.

Subscribitur in calce codicis: *Quique uiderit hęc fona dicat dominum rogo ego Ricmarus indignus prbt Theodgrimus eps ut sit clara in polo.*

Inspexit virorum doctorum tempore novissimus hunc codicem C. Zangemeister descripsitque eum in edendis Orosii operibus (Corp. script. eccles. lat. V p. XIII sq.); is Theodgrimum episcopum Halberstadiensem annis 827—840 fuisse dixit, ‚at subscriptionem non autographam sed ab librario ex archetypo repetitam esse manifestum est, indeque explicatur quod corrupta uel manca est'. [W.]

## R 109.

(II. XXXIII = S. I. 6. 1.)

Codex chartaceus formae maximae (0,215×0,315 m) foliorum 352 compositus est ex duobus codicibus manu scriptis (1—211 et 284—352), qui complectuntur librum impressum (212—283). Codicum manu scriptorum, quorum uterque ex eadem charta constat (cui signum impressum est caput piscis caduceo impositum cruce ornato) prior conformatus est ex quinione, cuius folium primum resectum est, sedecim senionibus, quinione, alter (qui in toto libro tertium tenet locum) ex quinque senionibus et septenione, cuius quinque folia ultima resecta sunt. Forte accidit, ut etiam libri impressi charta simile signum praeberet, quod est caput piscis idem atque illud, sed sine caduceo, et asteriscus. Compositus est ex quaternione (a), novem ternionibus (b—k), quinione (l). In tegumenti, quod ligneum est, parte interiore legitur a manu librario aequali scriptum: *Totus liber p(er) m(agistrum) Andrea(m) hund(er)n(um) wratis(laviens)em comparatus et scriptus existimatur II flor(enis) renensib(us) 1491.* Infra is qui codici scholia adscripsit, haec adnotavit: *Verent(ur) muse Naufragium. quietem amant. oderunt tempestatem ac fragorem omnem.* Et in hac pagina et in f. 1ʳ invenitur monogramma quod dicimus ex litteris *G* et *M* inter se ligatis formatum. Ante f. 1 occurrit clavus membranaceus a bibliopega in conglutinando libro insertus, qui desumptus est ex codice olim textum aliquem ecclesiasticum continente.

Insunt in codice **P. Ovidii Nasonis** opera quaedam ita disposita:

1) f. 1—211 initio (1—10) fere 55, deinde (11—177) 30, tum (178—193) 36, postremo 37 versibus impleta haec exhibent:

a) f. 1ʳ vacuum nisi quod monogramma supra descriptum ibi invenitur. f. 1ᵛ incipit *Vita Ouidij Poete clarissimi* congesta maxime ex testimoniis ab ipso poeta oblatis; finitur f. 3ᵛ epitaphio *hic ego qui iaceo . . . ossa cubent* (Trist. III 3, 73—76).

b) f. 3ᵛ vitam post spatium vacuum excipiunt definitiones, quibus breviter explicatur qui sit *Titulus operis,* quae *Qualitas carminis,* quae *Scribentis intentio,* qui *Numerus librorum.* Sequitur f. 4ᵛ tractatus *Quis primus apud gentiles deus habitus sit. Unicum esse deum quem nemo vidit . . . et inde filiorum agmen egregium,* quo diversae gentium de summo deo opiniones (velut Thaletis, Anaximenis etc.) recensentur.

f. 5—9 vacua sunt.

c) f. 10$^{r}$ *Fabule primi libri Chaos in species 1, Terra in varias personas 2* etc.; laterculus est omnium fabularum in XV Metamorphoseon libris tractatarum, cuius pars extrema, cum spatium folii 10 non suffecisset, in schedula scripta est inter f. 10 et 11 inserta. Sequuntur

d) f. 11$^{r}$ ipsae **Ovidii Metamorphoses** praemissis sex versibus *Orba parente suo — si licuisset eram* (Trist. I 7, 35—40). Litterae initiales omissae sunt spatio vacuo rubricatori relicto; desunt etiam librorum tituli subscriptionesque. In margine ipse librarius singularum fabularum initia adnotavit et hic illic nomina propria exscripsit. Scholia et marginalia et inter lineas initio plura postea pauciora manus non multo recentior addidit. Inde a libro XII. tales leguntur tituli: *P. Na. Ouidij Methamorphoseos XIIm(us)* etc. Subscriptum f. 207$^{v}$: *Per M(a)g(ist)r(u)m Andrea(m) Hundern(um) Wratislauien(sem) script(us) Erffordie Anno dom(in)i MCCCCXCI° XVI° Kale(n)d(as) Julij. Epigra(m)ma Augusti*

*Bachus et alcides Cesar per gesta deorum*
*Nomi(n)a habent iu(n)cta sed sua facta magis.*

f. 208—211 vacua sunt.

2) f. 212—283 i. e. liber impressus editio est **Ovidii Heroidum et Ibidis,** cui subscriptum est: *Impressum Venetiis per Thoma(m) de Alexandria die. XXIIII. Aprilis. M.CCCC.LXXXIIII. Regnante inclito duce Johanni Mozenigo.* cf. Hainii Repert. bibliogr. no. 12195. Huius quoque in libri capite (f. 213$^{v}$) Hundernus qui sit *Titulus operis,* quae *Qualitas carminis,* quae *Scribentis intentio* scholastico more exposuit. Idem varia per totum librum adnotavit et litteras initiales rubro caeruleove colore pinxit.

3) f. 284—352, continentia in singulis paginis 25 versus ab Hunderno scriptos, exhibent **Ovidii ex Ponto** libros et **artis amatoriae** I 1—123. Scholia multa librarius adiecit, titulos non quidem libro I., sed sequentibus praefixit, singulis epistulis rubro praescripsit, ad quem datae essent, epistulas IV 9—16 in unum coniunxit, f. 344 per errorem vacuum reliquit textu minime turbato, subscripsit libro IV. ex Ponto (f. 349$^{r}$):

*Finis adest operi sit laus et gl(ori)a cristo.*
*Expers naso modi quoniam nimis hesit amori*
*Ingenij pretium pertulit exilium*

*Unde nimis fractus patrie cupidine tactus*
*Auxilio reditus edidit istud opus.*

f. 349$^v$ vacuum; f. 350$^r$ incipit sine titulo ars amatoria, quae f. 352$^r$ extr. desinit versu I 123. f. 352$^v$ vacuum est.

Inspexit codicem v. d. Kampmann 1843. [Z.]

## R 110.

(XIV quart. = S. I. 6. 2.)

Codex membranaceus formae quadratae (0,125×0,205 m) foliorum 158 (viginti quaternionum, quorum undecimi unum folium [inter f. 82 et 83] excisum, aliud existens [inter f. 83 et 84] ab eo, qui numeros foliis indidit, praetermissum est; folii 156 pars maior resecta est), versuum 39, scriptus est saec. XIII. vel XIV. In f. 1$^r$ legitur nota possessoris *bq. b. Zenaro Verona* et titulus a manu saec. XVII./XVIII. scriptus: *P. Ouidij Nasonis Metamorphoseon librj.* Inter haec duo vel tres versus erasi sunt. In inferiore paginae parte variae computationes inveniuntur. f. 1$^v$ incipiunt sine titulo **Ovidii Metamorphoses,** parcis scholiis a librario auctae, parcioribus a manu recentiore saeculi XV./XVI., quae tamen hic illic versus a librario omissos in margine addidit. Libri III.—XIV. titulos prae se ferunt tales qualis f. 22$^v$: *Explicit liber II. Incipit liber III*; libri II. et XV. ut I. titulis carent, sed litteris initialibus ornati sunt. Inter libros XI. et XII. duae paginae (f. 112$^r$ v. 22—113$^r$ 32) vacuae relictae sunt subscriptione *Explicit XI. Incipit XII.* bis posita. Explicit liber XV. f. 155$^v$ et subscriptum est litteris minutissimis: *explicit liber ouidii.*

f. 156$^r$ (in schedula quae relicta est maiore parte eius folii resecta) inveniuntur a librario scripta 3 disticha *Orba parente suo . . . si licuisset erat* = Ov. Trist. I 7, 35—40. f. 156$^v$ alia manus saeculi XIV. hymnum scripsit *Salue sancta caro dei . . . da mihi fidem iustorum o fortis rex angelorum. p(er) s̃cla s̃clor(um) am(en).* Hic hymnus (ut vv. dd. Franz et Blume me docuerunt) editus est et a F. J. Mone, Lateinische Hymnen des Mittelalters, Freiburg i. B. 1853, I no. 215 (p. 282) et a Clemente Blume in Analectis hymnicis medii aevi, XXXI (Leipzig 1898) no. 101 (p. 109), ubi octo versus praecedunt et a Moneo et in cod. R 110 omissi. Etiam in reliquis textus noster propius ad Monei textum accedit, hic illic tamen cum Blumeo facit.

f. 157[v] unus legitur versus a librario exaratus: *heris grece. lucca lat(ine ?) donon. ira* (?). Infra haec erasa sunt multa. Rasurae etiam in f. 157[v], cuius in parte inferiore manus aliqua saeculi XV./XVI. scripsit tria disticha *Hoc quodcumque uides . . . non temerasse fidem. Segnorellus Cambius diuus poeta.* Hoc epigramma cum nusquam editum invenerim, in appendice proponam.

f. 158[r] varia erasa sunt; in margine dextra a summo ad imum octo versus exarati sunt ab aliqua manu saeculi XIV., exhibentes versus Leoninos varii argumenti, quorum quae legere potui (nam multa evanuerunt) in appendice proponam. f. 158[v] manus in f. 157[v] obvia adnotavit: *Emptus fuit ducat(is). 3. β. 16.*

Collatio codicis facta et adhibita est ad editionem J. Chr. Jahnii, quae Lipsiae 1832 prodiit; inspexerunt codicem vv. dd. Glaeser 1837, Kampmann 1843, Korn Strelae 1876, qui litteris ad blibliothecam datis die 23. mensis Octobris 1877 iudicavit interpolationibus hunc codicem graviter corruptum esse. [Z.]

## R 111.

(CLIV = S. I. 6. 3.)

Codex chartaceus formae quadratae (0,145×0,202 m) foliorum 33 (duorum quinionum, quorum prioris folium primum resectum est, ternionis, quaternionis), versuum 25, scriptus saec. XV./XVI. (post annum 1490), continet **Aurelii Victoris** qui dicitur **De viris illustribus** libri capita 1—77 (a Proca ad Pompeium) hoc titulo ornata: *C. plinii secundi iunioris liber illustrium uirorum incipit.* Subscriptum est f. 30[r] litteris maiusculis: *Cai plinii secundi ueronesis liber illustrium uirorum finit foeliciter. Impressum uenetiis anno domini. M.CCCCLXXXX. die uero XIIII ianurii.* Descriptus igitur est hic codex ex libro impresso, qui ab Hainio in Repert. bibliogr. no. 13118 recensetur, in quo tamen annus MCCCCLXXXV legitur. Sequitur ut in libro impresso *Marcelli Philoxeni ad antonium moretum Epigramma. Omnibus hec . . . plynius ipse tuo.* cf. Hainium l. c. no. 13117.

Inspexit codicem v. d. Keil, cf. editio Aurelii Victoris ab eo curata, quae prodiit Vratislaviae 1850, p. IX.

f. 30[v] vacuum.

f. $31^r$ *Incipit liber prudentii. De adam et eua.* In fine scriptum (f. $33^r$): *Deo gr(ati)as Am(en). Finis.* Est **Prudentii** quod dicitur Dittochaeon.

f. $33^v$ monogramma delineatum est litteras *A, P, T* complexum; infra hi versus:

*Cur cignus hic rorat. de boue perdito plorat*
*Largior est solito. gaudet de boue reperto.*
*f.*
*Qui procul est oculis procul est a lumine mentis.*

Deinde post spatium:

*Charoan dechan + Epanethamieri + S̃cus dimitrius*
*Carta de anthria in franza mea / Camitrius / Carta dei /*
*diachon infion canatri +*

Relicto iterum spatio vacuo scripta sunt haec, crucibus inter singula verba positis:

*Esto memor mei Clemens chr(ist)ofore blasi*
*Kartha sacra dea deacha ymphyone Chanitri*

Sequuntur quinque disticha, quae in appendice typis mandabo. Subscriptum est:

*Quanta* (?) *hic resplendet crucificj gratia x̃pi.* [Z.]

## R 112.

(XXIII quart. = S. I. 6. 4.)

Codex membranaceus formae quadratae (0,14×0,2 m) foliorum 38 (unionis unius, qui scriptura vacuus numeratur = f. 1, quinionum trium, ternionis mutili, binionis) versuum 27, scriptura eleganti saeculi XV. exeuntis vel XVI. ineuntis scriptus est. In fronte aurei variique coloris ornamenta occurrunt, quibus possessorum arma illustrantur trium bucinarum imagines; paucae capitum distinctiones, rarissimae adnotationes. Insunt in hoc codice:

**Pomponii Melae** de cosmographia libri III.

f. $2^r$ *yhs Pomponii melae de cosmographia liber primus foeliciter incipit. orbis situm . . .*

f. $38^v$ finit *littoris terminus.*

Adhibuit hunc codicem Gustavus Parthey in edendo Pomponii opere (Berol. 1867), qui de eo p. XXV haec dicit: ‚R = Vratislaviensis

Rehdigeranus . . . nonnullas lectiones sibi proprias exhibet, v. c. p. 24, 24 Lebedos, p. 38, 29 Mastusiam, p. 54, 24 Mellaria; interdum cum A facit, v. c. p. 20, 20 Hammodes, p. 27, 30 Juppiter, p. 64, 11 Grovii'. [W.]

## R 113.

(CV = S. I. 6. 5.)

Codex membranaceus formae quadratae maioris (0,26×0,16 m), scriptus saeculo XV. exeunte aut ineunte XVI., folia habet 142, versus 30. Praemissum unionem scriptura vacuum si neglexeris, quattuordecim quinionibus est compositus. f. 3r insignia gentis cuiusdam nobilis exstant: clipei quadripertiti binae partes argenteo viridique coloribus sunt pictae, binae albam aquilam rubro colore circumdatam exhibent. Eodem folio verborum contextus omisso titulo incipit *si iuuenis innocentissimus*; desinit f. 142r *tu famam ne dicas.* Adnotationes marginales rarae. Insunt in hoc codice M. Fabii **Quintiliani** quae dicuntur undeviginti declamationes maiores integrae eodemque quo solent ordine traditae. Codex ad hunc diem a viris doctis neglectus desideratur inter operis illius exemplaria, quae ultimi congesserunt Hugo Dessauer, Die handschriftliche Grundlage der neunzehn größeren Pseudo-Quintilianischen Deklamationen, Leipzig 1898, p. 5 sqq. et Lehnerdt in editione Lipsiae 1905 emissa. [W.]

## R 114.

(XC = S. I. 6. 6.)

Codex chartaceus formae maximae (0,2×0,27 m) foliorum 40 (quaternionum quinque) versuum fere 39, scriptura neque ordinata neque eleganti s. XIV. est exaratus. Signum quod officina chartaria singulis chartis impressit, accurate haud dispicitur, sed videtur caput esse equinum. Folium quod hodie numeratur 16 (35) librario erat folium 68 (87), unde sequitur plenioris codicis hanc esse partem posteriorem. Insunt in ea

**C. Sallustii Crispi** bella Catilinae et Iugurthae.

f. 1r *omnes homines* (Cat. I in.) —f. 15r *gaudia agitabantur* (Cat. LXI extr.) *explicit catilinarius salustij crispi.*

f. 15$^{r}$ *incipit iugurtinus eiusdem. falso queritur* (Iug. I in.) —f. 40$^{v}$ *in illo site fuere* (Iug. CXIV extr.). *Salustij crispij Iugurtinus explicit. deo gratias amen. scriptus fuit catilinarius et iugurtinus Nursie in palactio capitali currentibus a natiuitate domini annis millesimo trecentesimo octuagessimo quinto, indictione octaua, die quarta aprilis expletus fuit. deo gratias.* [W.]

## R 115.

(CLII = S. I. 6. 7.)

Codex formae quadratae (0,14×0,2 m) foliorum 88 (senionis unius, quaternionis unius, senionum quattuor, quaternionis unius, senionis unius). Pleraque folia chartacea sunt et capite bubulo aut ancora signata in officina; membranacea vero singularum partium folia extrema et media (f. 21 ∾ 32, 26 ∾ 27; 33 ∾ 44, 38 ∾ 39; 45 ∾ 56, 50 ∾ 51; 77 ∾ 88, 82 ∾ 83). Versus fere 30 sunt; scriptura s. XIV. exeuntis vel XV. ineuntis per totum volumen sibi constat. Insunt in hoc codice:

1) **C. Sallustii Crispi** bellum Catilinae.

f. 1$^{r}$ *incipit salustius. in cathelinario. omnes* (*al. omnis* suprascr. m. 2) *homines* (Cat. I in.) —f. 15$^{v}$ *gaudia agitabantur* (Cat. LXI extr.). *explicit Salustius in Cathilinario. que sequuntur, excerpta sunt ex Iugertino salustij.*

2) Excerpta quaedam e Sallustii bello Iugurthino.

f. 15$^{v}$ *falso queritur* (Iug. I, 1) —f. 19$^{r}$ *iure negaretur* (Iug. LXIV, 2).

f. 19$^{v}$ et f. 20 scriptura vacant.

3) C. Sallustii Crispi Iugurthinum bellum integrum.

f. 21$^{r}$ *prologus Salustij in Iugurtino. falso queritur* (Iug. I, 1) —f. 54$^{v}$ *in illo site sunt* (Iug. CXIV. extr.). *explicit Salustius in Iugurtam.*

f. 55. 56 scriptura vacant.

4) Flores e **Valerii Maximi** libris excerpti et ad lemmatum initia digesti, additis librorum et capitum numeris.

f. 57$^{r}$ *flores recollecti ex ualerio maximo. Acies* —f. 71$^{v}$ *expliciunt quaedam sententiae seu flores recollecti ex ualerio maximo de gestis romanorum exterarumque gentium.*

5) Flores e **Sallustii** operibus deprompti.

f. 71$^{v}$ *sequuntur flores recollecti ex salustio tam ex iugurtino quam ex cathelinario. Adolescens* —f. 76$^{v}$ *adequauerit de bello iug. c. I ante finem* (Iug. IV, 6). *explicit.*

6) **Bonagarsi Pistoriensis** controversia de nobilitate.

f. 77r *incipit controuersia de nobilitate inter publium cornelium scipionem et gayum flameum* (l. *flaminium*) *per legum doctorem egregiumque oratorem bonacursum pistoriensem. prologus. apud maiores nostros* —f. 86r *utra eorum nobilior sit p. c. in uestra sententia relinquitur. explicit.* Reliqua inscripta non sunt.

De Bonagarso Pistoriensi, cuius de nobilitate declamatio saepius impressa est typis velut Lovaniae 1501, vide Adelungium, Forts. und Erg. zu Jöchers Gelehrtenlexico I p. 2017; nuperrime de eo egisse G. Zaccagninium, Studi di letteratura italiana, vol. I Neapoli 1899, monet M. Lehnerdt. Gallicam quandam huius declamationis versionem e codice Rehdig. 230 desumptam publici iuris fecit v. d. Burger (Progr. Real-Gymn. am Zwinger, Breslau 1901). Servatur in eadem nostra bibliotheca libellus qui inscriptus est ‚De vera nobilitate orationes duae . . . olim a Bonagarso Pistoriensi . . . conscriptae, nunc vero actione civili nova . . . vestitae a Matthia Nizolio Thoruniensi' Thorn 1604.

Adhibuit hunc Sallustii codicem et duos qui sequuntur Gottlob Krantzius in usum Gottliebi Cortii, qui bella Catilinae et Iugurthae edidit Lipsiae anno 1724 et de his codicibus dixit in praefatione p. XII.

[W.]

## R 116.

(In quart. XXII = S. I. 6. 8.)

Codex chartaceus formae quadratae (0,14×0,2 m) foliorum 88 (quinionum octo, quaternionis unius) versuum 25 scriptus est s. XV.; chartae impressum est signum columnae coronatae. Praeglutinatum quoddam folium membranaceum sententias e Cicerone Ovidio Sallustio collectas exhibet. Initio notae marginales leguntur. Insunt in hoc codice

**C. Sallustii Crispi** bella Catilinae et Iugurthae.

f. 1r *[O]mnis homines* (Cat. I, 1) —f. 28v *gaudia agitabantur* (Cat. LXI extr.).

f. 29r *[F]also queritur* (Iug. I, 1) —f. 87r *illo site sunt* (Iug. CXIV extr.).

In fine Iugurthae legitur:

*deo gratias ago.*

*Si cupis ignotum iugurte noscere letum*
*Tarpeie montis pulsus ad yma ruit*

*Carcera nonn nactus sed sic pro crimine actus.*
*Crispi Salustij iugurtinus liber explicit.*

Reliqua inscripta non sunt.

Adhibuit hunc codicem Krantzius, de quo dixi ad no. 115.

[W.]

## R 117.

(In quart. XXXVII = S. I. 6. 9.)

Codex membranaceus formae quadratae (0,14×0,18 m) foliorum 82 (quinionum septem, senionis unius) versuum 25 scriptura pulcherrima confectus est, quod quo anno factum sit, subscriptione folii 82$^v$ docemur: *Nicolaus phileticus hunc libellum scripsit anno domini Mille CCCC^o^ 97.* Litterae initiales caeruleo vel rubro colore pictae, imprimis f. 1$^r$ et 28$^r$ summa arte confectae sunt. Notae margini adscriptae sunt, sed rariores. Insunt in hoc codice **C. Sallustii Crispi** bella Catilinae et Iugurthinum.

f. 1$^r$ *omnis homines* (Cat. I, 1) — 28$^r$ *gaudia agitabantur* (Cat. LXI extr.).
f. 28$^r$ *falso queritur* (Iug. I, 1) — 82$^v$ *in illo site sunt* (Iug. CXIV extr.).
Adhibuit librum Krantzius, de quo vide cod. no. 115. [W.]

## R 118.

(XXVI = S. I. 6. 10.)

Codex membranaceus formae maximae (0,23×0,305 m) foliorum 151 compositus est e duabus partibus.

1) Pars prior foliorum 137 (unionis non numerati, septem quinionum, senionis, quinque quinionum, ternionis, cuius folium ultimum resectum est), versuum 45, scriptus nitidissime saec. XIV. exeunte, continet L. Annaei **Senecae tragoedias** solito codicum ordine dispositas. Praefulgent singulis fabulis litterae initiales auro multisque coloribus pictae et has figuras complexae: ante Herculem furentem (f. 1$^r$) picti sunt poeta legens et Hercules, ante Thyestem (f. 16$^r$) vir (Thyestes ?), ante Thebaidem (sive Phoenissas) (f. 29$^r$) senex cum gladio, ante Phaedram (f. 37$^r$) ipsa regina et Hippolytus, ante Oedipodem (f. 51$^v$) vir loricatus, ante Troadem sive Hecubam (f. 64$^r$) regina, ante Medeam (f. 77$^v$) vir suspiciens, ante Agamemnonem (f. 89$^v$) vir contionans, ante Octaviam (f. 101$^r$) regina, ante Herculem Oetaeum (f. 112$^v$) ipse heros loricatus. Scholia multa ipse librarius

et inter lineas et in marginibus adspersit, paucas notulas vel varias lectiones manus aliqua recentior. Personarum notae plerumque rubro additae sunt. Singulis tragoediis argumenta praemissa sunt, quae publici iuris fecit R. Peiper in ‚Festschrift zur 250 jährigen Jubelfeier des Gymnasiums zu St. Maria Magdalena zu Breslau', 1893, p. 161—164. Inscribitur prima tragoedia: *publij annei Senece Corduben(sis) H(er)cules furens incip(it)*; similiter ceterae. In fine legitur (f. 135$^r$): *Expliciunt Tragedie Senece Deo Gra(tia)s Aamen Amen Hoc libro sc(ri)pto fessa quiesce manus.* Subiunxit alia manus sed aequalis decem versus heroicos decem tragoediarum argumenta exponentes.

f. 135$^v$—137 vacua sunt.

Et hunc et ceteros Senecae codices Rehdigeranos v. d. R. Peiper annis 1861—63 et iterum 1892—93 contulit; cf. editio ab eo una cum G. Richtero curata, quae primum Lipsiae 1867, iterum 1902 prodiit. In priore editione p. XXXIIII brevis descriptio codicis legitur; cf. et editio altera p. IX. XII. XIX. G. Richter, Symbola doctorum Ienensis gymnasii in honorem gymnasii Isenacensis collecta, Jena 1894. Kritische Untersuchungen zu Senecas Tragödien, Jena 1898.

2) Pars posterior foliorum 14 (f. 138—151), quibus septenio formatur, versuum 45, mira diligentia saec. XV. scriptus est. Inest *Tragedia **Gregorij Corrarij** Veneti. cui titulus progne.* In littera initiali artificiose picta imago videtur regis senis; personae rubro notantur. Ipsius tragoediae in calce (explicit f. 149$^v$ extr. *Finis tragoedie*) additum est *Argumentum. Huic tragoedie titulus est progne. Argumentum huiusmodi* . . . et expositio metrorum a Corraro adhibitorum: *Genera metrorum totius tragoedie. Lucos et amnis desero inferni iouis* . . . Explicit f. 150$^v$; f. 151 vacuum.

Contulit codicem v. d. Cloëtta, qui in libro ‚Beiträge zur Litteraturgeschichte des Mittelalters und der Renaissance' II, Halle 1892, p. 147 sqq. de Corrari Progne egit et p. 162, adn. 3 Rehdigeranum codicem ex Marciano XII 155 ab ipso Corraro exarato descriptum esse docuit.

[Z.]

## R 119.

(XXIX = S. I. 6. 11.)

Codex membranaceus formae maximae (0,225×0,3 m) foliorum 151 (unionis scriptura vacui, quindecim quinionum, cuius ultimi folium

ultimum resectum est), versuum 40, scriptus est anno 1391. Litterae initiales pictae sunt. ‚Desunt argumenta neque adscriptae sunt glossae, sed addidit ipse librarius in mg. dextero varias lectiones quae non numquam cum optimis consentiunt. Adscripsit tamen et recentior manus quaedam literis minimis supra versum' Peiper-Richter, ed. prior. p. XXXIII. Insunt L. Annaei **Senecae tragoediae** eodem quo in codice 118 ordine dispositae. Prima fabula inscribitur (f. 3^r^): *Marci Lucij Anei Senece Tragedia prima. s. Hercules furens Incipit. Juno. Soror tonantis . . '.* Ceterarum tituli similes sunt. Commemoratione valde dignae sunt subscriptiones, quas librarius et singulis fabulis et toti libro subfixit. Quas quamquam Peiper-Richter partim in praefatione editionis prioris (p. XXXIIII) partim in apparatu critico publici iuris fecerunt, tamen ne hoc quidem loco praetermittendas esse censui. Sunt hae:

f. 19^v^ *Marcij Lucij Anei Senece. prima tragedia. s. hercules furens feliciter explicit. die VII. Maij MCCCLXXXXJ.*

f. 33^v^ *Explicit Thiestea tragedia secunda feliciter die lune quinto decimo Maij 1391. dum territorium Veronese hostiliter millitaret do(minus) Johanes acuth*[1]*) cum gentibus lige. Flor(entiae?) etc(etera).*

f. 42^r^ *Marci Lucij Anei Senece thebais tragedia tercia explicit feliciter die Jouis XVIII Maij 1391: ∾*

f. 58^v^ *Explicit quarta Tragedia Senece. s. Ipolita. feliciter die Veneris XXVI. mensis Maij dum do(minus) Johañs acuth cum gentibus lige etc(etera) hostiliter militaret territorium d(omi)ni nostri ultra olium etc(etera).*

f. 72^r^ *Marci Lucij Anei Senece Edipa tragedia quinta feliciter Explicit die Sabbati tercio m(ensi)s Junij MCCCLXXXXJ.*

f. 87^r^ *Marci Lucij Anei Senece Troas tragedia sexta feliciter explicit die Sabati XXIIII Junij MCCCLXXXXJ post depopulaciones ciuitatis Verone anno primo.*

f. 100^r^ *Explicit Medea Tragedia septima feliciter die secundo Jullij MCCCLXXXXJ. Dum do(minus) Johanes aucuth hostiliter militaret ut alias scriptum est territorium cremonese.*

f. 113^r^ *Explicit Agamemnonia Tragedia octaua feliciter die VIIIJ Jullij 1391. dum do(minus) Johanes aucuth cum gentibus lige etc(etera) nuperrime se paduam transtulisset cum maxima iumetorum preda.*

---

1) Hunc esse Iohannem Hawkwood monet M. Lehnerdt.

f. 125ᵛ *Lucij Marci Anei Senece Octauia Tragedia nona feliciter Explicit die XIIIJ mensis Jullij MCCCLXXXXJ:* ∾

f. 150ʳ *Expliciunt Tragedie Senece. feliciter per me bartolomeum notar(ium) de Cauaiono de s(an)cto firmo Veron(e) scripte et complete XXV. Jullij MCCCLXXXJ.* (!) *Anno. uno. mense. uno. post depopulacionem ciuitatis Verone.*

f. 150ᵛ *M. Lucij Anei Senece Oetea Tragedia decima et ultima feliciter / explicit die XXV. mensis Jullij de MCCCLXXXXJ. XIIII. Indic(tione). / qua die conflicte fuerunt gentes d(omi)ni Comitis de Arminiaco / penes Alexandriam ciuitatem per gentes d(omi)ni Comitis V(ir?) / tutum etc(etera) quarum gentium capitaneus generalis erat d(omi)n(u)s / Jacobus de Verme de Verona. Scriptum et completum / dictum opus per me Bartolomeum notarium de cauaiono / de S(an)cto Firmo Verone. quod opus Incepi die XXIIII. aprilis / dc̃ti Milli in festo beati Georgij. / Tragedie mey Bartolomei de cauaiono de S(an)cto Firmo Verone ut supra per me scripte.*

Sequitur binis columnis scripta *Euidentia Tragediarum Senece tradita magistro Marsilio philosopho Paduano ab Albertino Musato Paduano poeta. (I)nterpelasti me dum persepe . . .* cui subscriptum est (f. 151ᵛ): *Scripsi uelociter die d(omi)nico. XII. m(ensi)s Febr. MCCCCIJ. Ind. X. / dum nouus ellectus Imperator padue moram traheret iam / Venetiis reu(er)sus et quo t(em)p(ore) operarii multi cuiuscunque generis / essent in territorio Vincentie pro reficiendo bastitam de / Noualeis sup(ra) baccaionum flumen pen(es) Vincenciam per quinque / Miliaria. Vbi erat do(minus) Vgolotus cum multa caterua / gentium armigerarum etc(etera).* Edidit hanc ‚Euidentiam' R. Peiper, Festschrift (cf. ad cod. 118) p. 155—159. Subnectitur denique: *Marcus Valerius Marcialis libro primo Epygramatum cui scripsit Plinius nepos in ultima epistula tercio epistularum* (cf. III 21) *Verona docti sillabas . . . tacebit Biblis citus* = Mart. I 61.

De codicis usu cf. ad cod. 118. [Z.]

## R 120.

(LXIX = S. I. 6. 12.)

Codex chartaceus formae maximae (0,19×0,27 m) foliorum 180 (duodeviginti quinionum) versuum 33, scriptus est saec. XIV. Praefixa sunt tria folia (a, b, c) scriptura vacua, nisi quod in f. aʳ legitur a

manu saeculi XVI./XVII. exaratum: *Aulus gelius. XI li(bro) noctium atticarum Libros Annei senece attingere . . . dignitatis* = Gell. XII 2, vol. II p. 30, 21—26 Hosius. Subdidit manus alia saec. fere XVI.: *Sors omnia uersat.* Bibliothecarius denique saeculi XVII./XVIII., cuius manus in pluribus codicibus Rehdigeranis obvia est (nec semper eius adnotationes commemoravimus), subscripsit: *Tragœdiæ Senecæ.* Ipse codex continet L. Annaei **Senecae tragoedias** eodem ordine quo in codicibus 118 et 119 dispositas, paucis glossis a manu recentiore auctas, titulis carentes, nisi quod primam fabulam manus recentior, nisi fallor (nam scriptura evanida) sic inscripsit: *Tragediarum senece cordubensis tragedia prima Incipit.* Litterae initiales rubro et caeruleo coloribus simpliciter pictae, personarum nomina rubro adnotata. Incipit Hercules furens f. 1$^r$, Thyestes f. 21$^r$, Phoenissae f. 38$^r$, Phaedra f. 48$^r$, Oedipus f. 67$^v$, Troades f. 84$^r$, Medea f. 102$^r$, Agamemno f. 118$^r$, Octavia f. 133$^v$, Hercules Oetaeus f. 148$^v$. Is explicit f. 178$^v$ et ibi librarius haec subscripsit: *Iste liber tragediarum senece cordubensis est mey girardi bertolomei / passalaque de çaxa noua qui pergo ad scolas magistri de busseto / gorgij qui est bonus magister in sua gramatica et in sua / scientia*; deinde post spatium vacuum duarum linearum: *Ego girardus notarius plublicus* (!) *imperialis / 'rdone* (?). f. 179 vacuum. f. 180$^r$ manus recentior saepius singula eius subscriptionis verba repetivit, et semel legitur: *Iste liber mey marchionis de passalage qui pergo ad scolas.* Etiam f. 180$^v$ multa ac varia conscribillata sunt, in quibus commemoratione digni sunt versus *Dum fata sinunt . . . uoluitur anni* = Herc. fur. 179—182 et adnotatio manus alius quae est: *Amplectere priorem potius ac blanda prece lenire tenta.*

Quod in hoc codice inesse ‚Senecae Tragoedias cum glossis Nicol. Travethi Ordinis Praedicatorum in Anglia' auctor catalogi manuscripti, qui in Rehdigerana adservatur, adnotavit (cf. Peiper-Richter, edit. prior. p. XXXIV), errore factum est hoc codice cum codice 122 confuso.

De usu codicis cf. ad cod. 118. [Z.]

## R 121.

(LXXV = S. I. 6. 13.)

Codex chartaceus formae maximae (0,205×0,275 m) foliorum 2+127 (unionis membranacei signati a, b, senionum duorum, quinionum

duorum, senionum trium, quinionis, senionum trium, folii unius membranacei) versuum 39—54, scriptus anno 1386, continet L. Annaei **Senecae tragoedias** praemissis a librario isdem argumentis quae sunt in cod. 118, sed desunt argumenta Herculis et Medeae. Incipit Hercules f. 1r sine titulo; explicit f. 17v ita: *Explicit prima tragedia q(uae) d(icitu)r Hercules furens. Secunda tragedia senece est de thieste . . . Incipit secunda tragedia quae dicitur theistes. Quis me furor* . . . Similiter subscribitur ceteris fabulis; tituli quibusdam desunt. Incipit Thebais f. 32r, Phaedra f. 38v, Oedipus f. 51r, Troades f. 62r, Medea f. 74r, Agamemno f. 84r, Octavia f. 94r, Hercules Oetaeus f. 103v. Is explicit f. 123v, ubi subscriptum est: *Deo gr(ati)as. Amen.*

*Expliciunt tragedie contemplate per mag(ist)r(u)m Do(min)icum*
*de dom(in)icis de cremona ord(in)is b(ea)te Marie de*
*monte carmelo. Consumate per manus anselmini*
*de raymondis Anno d(omi)nice Incarnationis.*
*M.CCC octuagesimo sexto. die decimo octauo maij*

Subiunxit manus alia saeculi XV./XVI.:

*Iste tragedie sunt mei nicolai de anor* . . . (?) *morantis*
*padue et nunc loenico* (?) *quas tragedias ego*
*accomodaui mag(ist)ro Tomaxio de zachaneto.*

f. 124—126 vacua sunt.

Folia membranacea a, b, 127 deprompta sunt ex aliquo codice formae permagnae (fere 0,28×0,42 m) saeculo fere XII. scripto. f. a ∾ b totum folium, f. 127 dimidium folium pristini codicis est. Scriptura per binas columnas divisa ab imo ad summum, quippe ut nunc ea folia codici sunt inserta, currit. Continebat codex pristinus **sermones** quosdam, quorum in schedis servatis haec fragmenta exstant. In angulo dextro superiore folii br, id est initio eius paginae quae nunc per f. br et av extenditur, leguntur haec:

1) col. I, v. 1—25 *in quo et conresurreximus per fidem operationis . . . in utero conciperetur. Unde supra.* Haec desumpta sunt ex sermone XIV de s. Luca **Origenis,** verso ab **Hieronymo,** cf. Migne, Patr. Graec. 13, 1833 sq.

2) col. I, v. 26. *Sermo s͠ci augustini ep(iscop)i. Quid est hoc quod octaua die circumciditur puer?* eqs. Hunc sermonem expressit Mai, Noua Patr. Bibliotheca I, p. 235, et Liverani, Spicileg. Liberianum, p. 16. Deducitur textus per reliquam folii partem ad verba (f. ar, col. II, v. 31) *aliis verbis. Qui.* Media sermonis pars in nostro codice interiit,

sed legitur pars extrema a verbis *opera illa quae de illo prophetae praedixerunt*, nisi quod nonnulla exciderunt resecta folii parte dimidia, in f. 127r—127v, col. I, v. 6.

**3)** f. 127v col. I, v. 7. *Sermo sci ambrosii archiep(iscop)i. Bene quodammodo scm diem natalis dni* eqs. Est **Ambrosii** sermo VI, cf. Migne, Patr. lat. 17, 614 sqq. Explicit col. II v. 19 in verbis *peruigilant. exultant an* = 615 A 6. Ut haec fragmenta possem definire, intercedente E. v. Dobschütz benigne effecit Dom Germain Morin O. S. B.

[Z.]

## R 122.

(LXXXIV = S. I. 6. 14.)

Codex chartaceus formae maximae (0,215×0,28 m) foliorum 163 (decem senionum, quinionis, trium senionum, quorum ultimi folia tria ultima resecta sunt), binis columnis saec. XIV. scriptus est. Singulae paginae continent bis 29—30 versus poeticos vel bis 57 versus explicationum. Insunt enim L. Annaei **Senecae tragoediae** commentario Trevethi ita auctae, ut certum numerum versuum explicationes perpetuae sequantur. Incipit commentarius f. 1r col. I ita: *(I)Ncipiunt tragedie Senece glosate per fr(atr)em Nicolaum traueth ordinis predicatorum. que sunt decem* eqs. In eiusdem paginae margine inferiore bibliothecarius saeculi XVII./XVIII. scripsit: *Tragoediæ Senecæ cum glossis Nicolaj Traueth ordinis Prædicatorum in Anglia.* Commentarium Travethi descripsit et partem excerpsit R. Peiper, Festschrift (cf. ad cod. 118) p. 164 sqq.; ibidem p. 129 sqq. de Trevetho egit et p. 159 sq. duas epistulas, quas Nicolaus Alberti episcopus Ostiensis et Velitrensis et frater Nicolaus Treveth inter se dederunt, ex codice Urbinate 355 edidit. Cf. Th. Düring, Herm. XLII 113 sqq. 589 sqq. Incipit Hercules f. 1r, Thyestes f. 33r, Thebais f. 56v, Phaedra f. 69v, Oedipus f. 97r, Troades f. 118v, Medea f. 145r, cuius textus f. 162v extr. finitur versu 770 *(Amisit umbras uocis impio mee).* Variae glossae et inter lineas et in marginibus a diversis manibus additae sunt.

De usu codicis cf. ad cod. 118. [Z.]

## R 123.

(CXII = S. I. 6. 15.)

Codex membranaceus formae quadratae maioris (0,19×0,25 m) foliorum 184 (quaternionis, cuius duo folia ultima abscisa sunt, septen-

decim quinionum, quaternionis) versuum 29, scriptus saeculo XIV. exeunte vel ineunte XV., continet L. Annaei **Senecae epistulas.**

f. 1 vacuum est, nisi quod f. 1^r bibliothecarius saec. XVII./XVIII. titulum *Epistulæ Senecæ* exaravit.

f. 2^r epist. I 1, 1—4 *(I)Ta fac mi Lucili — ad inopiam redactis. Omnes* sed sine titulo scripta est.

f. 2^v in margine superiore possessor saeculi XV. nitida scriptura nomen notavit: *Leonardi Iustiniani est codex iste.* Deinde leguntur duo excerpta e Iustiniani Digestis: *In ti(tulo) ff de officio praesidis. Paulus iur. cons. Obseruandum est ius reddenti . . . ingenio suo augeat.* Est revera Callistrati, cf. Dig. I 18, 19. *In ti(tulo) ff de poenis. Martianus iur. cons. Respiciendum est iudicanti . . . benignitatis subsequi* = Dig. XLVIII 19, 11 pr. Sequitur epigramma:

*Roma uetus, ueteres dum te rexere quirites,*
*Nec bonus immunis nec malus ullus erat.*
*Defunctis patribus successit praua iuuentus,*
*Quorum consiliis praecipitata ruis.*

f. 3^r *Carmina descripta in ponte salario prope romam iustiniani imper(atoris) sumptibus structo. Quam bene curuati . . . ferre iugum* = CIL VI 1199 = Buecheler AL II 899.

f. 3^v vacuum.

f. 4^r *Ep(istu)la(rum) Senece ad Paulum. Sanctus Jeronimus de Seneca in cathalogo sanctorum. Lucius anneus seneca . . . a nerone interfectus est* = Hieron. De vir. ill. 12. Sequitur *Epithaphium Senece. Cura labor meritum . . . reddimus ossa tibi* = Riese AL no. 667 = Baehrens PLM V 386. Excipiunt epitaphium ipsae epistulae ad Paulum datae titulo instructae: *Ep(istu)le Senece Neronis Imperatoris mag(ist)ri ad paulum ap(osto)l(u)m et pauli ad Senecam.* In fine scriptum (f. 5^v): *Expliciunt ep(istu)le Senece ad paulum et pauli ad Senecam deo gr(ati)as.*

f. 6 vacuum.

f. 7^r *Lucij annei Senece ep(istu)la(rum) ad Lucilium liber primus incipit. De coligenda et sistenda fuga temporis et non esse pauperem cui et modicum sat est. Ita fac mi lucilli* eqs.

f. 16^r *Epistularum Senece Eplicit* (!) *liber primus. Incipit secundus. De utilitate exercitationis contra aduersa* eqs. Similiter ceteri quoque libri subscribuntur inscribunturque. Incipiunt autem libri II—VI quidem solito codicum more ab epistulis 13. 22. 30. 42. 53,

liber VII tamen ab epistula 59, VIII ab 66 (f. 66ᵛ), IX ab 69 (72ᵛ), X numerus praeteritus est, liber XI incipit ab 77 (86ʳ), XII ab 83 (97ʳ), XIII ab 86 (103ᵛ), XIV—XVII legitime ab 89. 93. 96. 101 (f. 112ʳ. 122ᵛ. 135ᵛ. 142ʳ), XVIII ab 107 (150ʳ), XIX ab 114 (159ᵛ), XX ab 119 (f. 168ʳ). Finiunt epistulae f. 177ᵛ sine subscriptione.

Omnibus epistulis praecedunt brevia argumenta talia, quale est, quod ex initio codicis enotavimus. Horum argumentorum laterculus compositus est f. 178ʳ—182ʳ hoc titulo ornatus: *Incipiunt capitula supra singulas epistulas Senece ad Lucilium prima capitula primi libri.*

f. 182ᵛ—183ᵛ vacua sunt.

f. 184ʳ fasti picti sunt, quibus pleniluniorum et interluniorum dies horaeque per annos 1465—1483 significantur; accedunt nonnullae adnotationes partim a bibliopega cum margine abscisae, quarum has legere potui: *el di de la luna commenga & sol posto. Et le lettere auanti Sue* (?) *a quel anno.*

Variae manus per codicem varia adnotaverunt.

Adhibuit codicem adhuc, ut videtur, nemo. [Z.]

## R 124.

(CXXXV = S. I. 6. 16.)

Codex membranaceus metr. 0,124×0,224 habet folia 150 (quatern. 8, ternionem 1, quatern. 10) et in quaque pagina versus 33. Scriptus est saec. XV., involutus binis paginis scriptura hebraica inscriptis. In praecedentis paris folio verso margine superiore haec leguntur:

*In hoc codice continetur*
*Thebais Statij papinij in membranis*
*tecta corio s . . . .*[1]) *ro: quam*[2]) *emi*
*Vrbini a petro florentino bibliopola.*

Incipit **Statii** Thebais f. 1ʳ *Fraternas acies* eqs., explicit f. 148ᵛ *Occidet et meriti palme* (sic!) *referentur honores;* Inter singulos libros argumenta duodenorum versuum inserta sunt (de quibus cf. Opitz, Leipz. Stud. VI, 306; typis tradita invenies e. g. in editione Queckiana); deest argumentum libri I. Addita sunt scholia marginalia, quae inde a f. 19 rarescunt.

[1]) 4 fere litteras expedire non potui. [2]) corr. ex *quem*.

Sequitur f. 149ʳ: *Clio gesta canens* eqs. (Riese AL 664 = Baehrens PLM III 243) et post interstitium unius versus: *Vt belli sonuere tubae* eqs. (Riese AL 392 = Baehrens PLM IV 111). Denique f. 149ᵛ additur rythmus de querela Oedipi, quem post alios ab eo nominatos (e quibus M. Schmidt, Philol. 23, 545 ipso nostro codice usus est neque tamen satis accurate) e compluribus codicibus vetustioribus plerumque edidit Wattenbach in Zeitschr. f. deutsch. Altert. 19, 89 sqq.; cf. id. ibid. 24, 157 sq. et nuperrime M. Esposito Hermathena 15, 364 sq. Saepe in aliis quoque codicibus *Conquerimonia* Statii Thebaidem excipit. [Sk.]

## R 125.

(CLIII = S. I. 6. 17.)

Codex membranaceus metror. 0,202×0,142, foliorum 137 (quinion. 13, binion. 1 praemissis foliis duobus), quorum singula 24 versus continent scriptus est saec. XV.[1]). In folio praemisso priore manus saec. XV. exeuntis scripsit haec: *Statij Papinij Neapolitanj Sylvarum librj V. Item P. Virgilij Cyris, Aethna, & alia quaedam Carmina.* Insunt in codice:

**1)** f. 3ʳ—88ᵛ **Statii** silvae sine inscriptione (inc. *Div mvltvmque dubitaui*). Subscribitur rubro et caeruleo colore maiusculis litteris f. 87ʳ

*P · papinii · statii · silurum · liber.* sic!
*Quintus & ultimus feliciter.*
*Explit sit deo laus · p. t. c. s. eꝫ.* sic!
*finis*

(Quid litterae singulares significent, nemodum explicavit.) Subscriptionem sequuntur in f. 87ᵛ—88ᵛ, cuius lineae ultimae VIII scripturo vacant versus II 1, 207 *Miscet et alternum* usque ad II 2, 35 *Cumen ab inoo fert semita tecta lieo.* Hi versus suo loco omissi sunt atque ad II 1, 206 = f. 25ᵛ l. 15 haec in margine adnotavit scriptor: *Hic deficiunt .64. carmina quae sunt in fine huius libri ubi est tale signum* ∗. Praeterea locum mutaverunt folia 52—59 et 62—69 id est duorum quinionum sese excipientium partes interiores.

**2)** f. 89ʳ—100ʳ (maiusculis litteris) *P. m. virgilii illv. poetae*
*Ciris feliciter incipit.*

*ETsi me vario iactatum laudis amore* eqs.

Subscribitur (maiusculis) *P. virglii* (sic!) *maronis cyris finit:* ∾

---

[1]) Saeculo XIV. aut adeo XIII. eum olim ascribi potuisse vix credibile est.

3) f. 100$^r$—113$^v$ (maiusculis) *P. maronis uirgi · aethna incipit:* ∾
*AEthna mihi ruptique cauis fornacibus ignes:* eqs.

Subscribitur (maiusculis litteris) *P. m. vergilii aethna explicit:* ∾ : ∾

4) f. 113$^v$—117$^v$ (maiusculis litteris) *P. v. maronis · elegia · incipit:* ` : ∾
*DEFleram iuuenis tristi modo carmine fata* eqs.

Perscribuntur **elegiae in Maecenatem** nullo interstitio facto, nulla subscriptione addita.

Explicit: *Te uenus in patrio collocet alma sinu.*

5) f. 117$^v$ (maiusculis) *P. m. virgilii ad pvervm:* ∾
*PArce puer si forte tuas sonus improbus aures* eqs.

Explicit: *Tum pudor : et sacri reuerentia pectoris omnem*

Carmen est in AL Riesei 812, in Baehrensii PLM IV 160.

6) f. 117$^v$—118$^r$ (maiusculis litteris) *P. v. m. de imagine in aq(u)a disticon:* ∾
*ADditur effigies liquida tuentis in unda*

Explicit: *Ceu leui in speculo solet apparere figura;*

Sunt disticha illa „duodecim sapientum", quae exstant in AL 519—530 = PLM IV 122 (*Redditur effigies*), sapientum nominibus (ut etiam in sequentibus carminibus) omissis.

7) f. 118$^r$—118$^v$ (maiusculis litteris) *Virgilii de glatiae disticon:* ∾
*QVa ratis egit iter iuncto boue plaustra trahuntur* eqs.

Explicit: *Cum frigidus* (sic!) *boreas obstupefecit aquas.*

AL 531—542 = PLM IV 124 sqq.

8) f. 118$^v$—119$^v$ *Virgilii de iride tristicon:*
*TAumantis proles uarianti ueste figuras* eqs.

Explicit: *Picta ueste decens et multicoloribus alis* ∾

AL 543—554 = PLM IV 126 sqq.

9) f. 119$^v$—120$^v$ *P. M. Virgilii de quatuor temporibus anni:* ∾
*PErque nouum stabat cinctum florente corona:* eqs.

Explicit: *Scythonia glatialis hiems niue cana senescit:* ∾

AL 567—578 = PLM IV 131 sqq. praemisso themate Ovidiano (*Verque novum stabat* eqs.).

10) f. 120$^v$—121$^v$ *P. M. Vergilii de sole thetrasticon incipit:* ∾
*AVrora oceanum croceo velamine fulgens* eqs.

Explicit: *Depellit tenebras: noxque peracta fuit.*

AL 579—590 = PLM IV 134 sqq.

**11)** f. 121$^{v}$—123$^{r}$ (maiusculis litteris) *Argvmentvm ęneidos vergilii:* ~
*S*(picta initialis, inde error) *Olus immittit uentos iunone precante* eqs.
Explicit: *Pallantea necem misero dant cingula turnoꝫ* ~
AL 591—602 = PLM IV 136 sqq. (*Aeolus inmittit* eqs.).

**12)** f. 123$^{r}$ *De herculis certaminibus monostica* ~
*COmpressit nemeae primum uirtute leonem.* eqs.
Explicit: *Postremo experidum uictor tulit aurea mala;*
AL 627 = PLM IV 143 sqq. (*Oppressit Nemeae* eqs.).

**13)** f. 123$^{r}$—123$^{v}$ *P Vergilii de littera pythagore:* ~
*LIttera pythagorę discrimine secta bicorni* eqs.
Explicit: *Turpis inopsque simul miserabile transiget aeuum.*
AL 632 = PLM IV 149.

**14)** f. 123$^{v}$ *de uenere et vino:* ~
*Nec ueneris nec tu vini tenearis amore* eqs.
Explicit: *Serua: fines horum trasiliisse nocet:* ~
AL 633 = PLM IV 150.

**15)** f. 123$^{v}$—124$^{r}$ *P. Vergilii laudes hortuli:* ~
*ADeste mů̊sę maximi proles iouis* eqs.
Explicit: *Tribuit colenti multiforme gaudium.*
AL 635 = PLM IV 152.

**16)** f. 124$^{v}$—125$^{r}$ *de liuore:* ~
*LIuor tabificum malis uenenum* eqs.
Explicit: *Nec phoebus: soboles ue clara phoebi*
AL 636 = PLM IV 152.

**17)** f. 125$^{r}$ *de cantu syrenarum:* ~
*SIrenas uarios cantus: acheloia proles* eqs.
Explicit: *Sic talem exitio monstra canora dedit.*
AL 637 = PLM IV 154.

**18)** f. 125$^{r}$—125$^{v}$ *de die festo carmen:* ~
*Larus in offenso procedebat lumine titan* eqs.
Explicit: *Asmenide referam alacres: sua matua uati:* ~
AL 638 = PLM IV 155 (*Clarus inoffenso procedat* eqs.).

**19)** f. 125$^{v}$ *de fortuna:* ~
*COrtuna potens tantum*
*Iuris atroxque uindicas* eqs.
Explicit: *Dec* (sic!) *quos deserit perpetuo premit:* ~
AL 629 = PLM IV 148 (*O Fortuna potens* eqs.).

**20)** f. 125ᵛ *de Orpheo Vergilius:* ∾

*TReicius quondam uates* eqs.

Explicit: *Moresque agrestes expoliauit orpheus;*

AL 628 = PLM IV 147.

**21)** f. 126ʳ ·: *Vergilius de se ipso:* ∾

*Meonium quisquis romanus nescit homerum* eqs.

Explicit: *Haec grais constant singula: trina mihi.*

AL 674 a = PLM IV 188.

**22)** f. 126ʳ—126ᵛ ·: *de sibi inuidente:* ∾

*RVmpitur inuidia quidam* eqs.

Explicit: *Rumpatur quisquis rumpitur inuidia*

Est **Martialis** epigramma IX 97.

**23)** f. 126ᵛ *de aetatibus animalium ex hesiodo:* ∾

*Ter binos deciesque nouem super exit in annos* eqs.

Explicit: *Coetera secreti nouit deus arbitrer aeui:* ∾

AL 647 = **Ausonius** edyll. XVIII (p. 152 Sch.) omissis versibus quae post decimum in aliis codicibus adhaerent.

**24)** f. 126ᵛ—127ʳ *Vergilius de ludo:* ∾

*Sperne lucrum: uersat mentes insana cupido* eqs.

Explicit: *Ponite mature bellum pręcor: iraque cesset:* —

AL 495—506 = PLM IV 119 (atque hic quoque nomina duodecim sapientum omittuntur).

**25)** f. 127ʳ ∾: *de erumnis herculis:* ∾

*PRima dionei tolerata erumna leonis*

Explicit: *Cerberus extremi suprema est meta laboris:*

AL 641 = **Ausonius** edyll. XIX (p. 153 Sch.).

**26)** f. 127ʳ : *Vergilii minor priapea:* ∾

*QVid hoc noui est: quod ira nunciat deum* eqs.

Explicit: *Venus Iocosa molle ruperit latus*

Est **Tibulli** quod fertur Priapeum secundum.

**27)** f. 127ʳ—128ʳ *Vergilii catalepton:* ∾

*VEre : rosa : autumnus pomis : estate frequentor* eqs.

Explicit: *Hic deus ignaris prebeat agricolis.*

Nullo interstitio facto adhaeret, ut tamen litterae initiali pictae spatium relictum sit,

**28)** *aec ego arte fabricata rustica* eqs.

Explicit: f. 128ᵛ *Fuit ista mentula capta : claua dextere.*

Item sine intervallo adhaeret

**29)** *Hunc iuuenes locum uillulamque palustrem* eqs.

Explicit: f. 129[r] *Inde sumitte semitam: haec deinde uos feret ipsa.*

Sunt tria illa **Priapea** notissima edita e. g. in AL 773—775 = PLM Baehrensii II 158 sqq. = Vollmeri I 127 sqq.

**30)** f. 129[r]—134[r] Sequitur nullo interstitio facto sine titulo **Catalepton.** Incipit *De qua saepe uenit* eqs., explicit: *Et rudis in uario carmina callipe.* Singula carmina raro lineis vacuis distinguuntur, adest tamen plerumque initialis picta aut saltem eius spatium.

Cf. nuperrime Vollmer l. c. p. 130 sqq.

**31)** f. 134[r] Sequitur sine interstitio distichon

*Ristia fata tui dum fles* eqs. cum spatio a miniatore non expleto (AL 778 = PLM IV 187).

**32)** In eodem folio deinde legitur *Vergilius de caesare:* ∾

*IVppiter in caelis* eqs. (AL 813 = PLM IV 160).

**33)** *de cornice disticon:* ∾

*TArpeio quondam consedit culmine cornix*
*Est bene non potuit dicere : dixit erit*

Tractum e **Suetonio** Domit. c. 23 (*Nuper Tarpeio quae sedit* eqs.).

**34)** *Vergilii disticon:* ∾

*LIttera rem gestam loquitur : res ipsa* eqs. (AL 663 = PLM IV 161).

**35)** *de sue : iuuene : et serpente*

*SVS Iuuenis serpens casu* eqs. (AL 160 = PLM IV 158).

**36)** f. 134[r]—135[v] *P. Vergilii de signis caelestibus:* ∾

*PRimus ades aries : taurus que insig(ni)b(us) auro* eqs. i. e. Hexasticha de duodecim signis (AL 615—626 = PLM IV 143 sqq.) omissis hic quoque „duodecim sapientum" nominibus, sed initiis carminum ubique vario litterarum colore indicatis.

**37)** f. 135[v]—136[r] *Musarum nomina:* ∾

*CLio gesta canens* eqs.

Explicit: *In medio residens complectitur omnia phoebus;*

AL 664 = PLM III 243.

Subscribitur denique litteris maiusculis partim rubris partim caeruleis

*finis*
*deo gratias*

Codice usi sunt permulti. Nam ut olim locum fere principem in crisi Statiana videbatur obtinere nec nisi detecto libro Matritensi

reliquorum archetypo de gradu deiectus est, ita ne nunc quidem eo in carminibus maioribus quae falso Vergilio tribuuntur (Ciri praesertim) et in Catalepton libello careri potest. De quibus rebus ut brevis esse possim, effectum est in Statii silvis Krohnii et Klotzii opera (cf. Statii silvae ed. Klotz, Lipsiae MCM, p. XV sqq.), in reliquis carminibus potissimum egregia Vollmeri in edendis illis accuratione (Poet. lat. min. I, Lips. MCMX, p. 16 sqq., ubi alios qui huic codici operam dederunt allatos invenies, ex quibus unum Ribbeckium nomino, qui codicem minute descripsit in appendicis Vergilianae editione anno MDCCCLXVIII emissa p. 26 sqq.). [Sk.]

## R 126.

(LXXIV = S. I. 6. 18.)

Codex membranaceus formae maximae (0,28×0,21 m) foliorum 114 per undecim quiniones unumque binionem compositus. Scriptura nitidissima s. XIV. per 38 versus est digesta. Imaginibus haud spernendis singulorum librorum initia picta sunt, argumenta in paucorum versuum capitibus comprehensa, quibus tituli minio sunt adscripti. Litterae quaedam, quibus primis foliis pennae probarentur, codicem in Italia quondam fuisse demonstrant (e. gr. *amor a mi e venuto* al.). Insunt **Suetonii Tranquilli** vitae duodecim Caesarum; f. 1$^r$ *Annum agens caesar* — f. 112$^r$ *insequentium principum. Gaii Suetonii Tranquilli ultimus liber explicit feliciter.*

Lectiones e Divi Iulii vita petitas edidit C. E. Chr. Schneider in indice scholarum Vratislaviensium 1817. 18; ipsum codicem eiusdem pretii esse cuius no. 78 — id est nullius — iudicavit C. L. Roth editionis Suetonianae p. XXIX sq.

f. 112$^v$ legitur laterculus quidam imperatorum Romanorum, a Nerva usque ad Karolum Magnum pertinens. f. 113$^r$ oratio exarata est, cuius sermo humanistarum quos vocamus elocutionem redolet *Credo equidem priores magnificj, doctores egregij civesque prestantissimj, admiratione uos afficj, quare, cum tot summj uirj hominesque nobilissimj sedeant, ego potissime locum hunc ascenderim.* eqs. f. 114$^r$ *de Virgilio: Certe si maro centum* [?] *triginta vixisset / Annos cum sua nihil fecisset homerus virtute* (deletum) *arte quidem.* [W.]

# R 127.

(LXXXIX = S. I. 6. 19.)

Codex membranaceus, rescriptus. Codex qui nunc est et qui olim fuit separatim describetur.

## A. De codice qui nunc est.

Codex nunc est foliorum 100 formae quadratae (0,269×0,211 m), constat quinionibus decem. Quo tempore scriptus sit, ipse accuratissime prodit; subscribitur enim *Hoc opus finitum Laus sit regi regum // penultima maij 1448 ꝛ.* Continet **Terenti** comoedias.

1) Praemittitur f. 1ʳ *Terentij affri comici epithaphion incipit ꝛ Natus in excelsis* eqs. (= PLM V 385 Baehr., Anth. Lat. 734 R.).

2) f. 1ʳ—17ᵛ Andria. Incipit: *Prologus Andrie. Caliopius &c7 Poeta cum primum* eqs. (Andr. v. 1 sqq.). Sequitur f. 1ᵛ *Argumentum Andrie. Sororem falso* eqs. usque ad *carino coniugem. Terentij affri poetę comici poetę clarissimi. Incipit Comedia prima cui titulus est Andria. lege felix. Symo senex. Sosia Seruus* eqs. Explicit f. 17ᵛ *Intus transigetur / Si quid est quod restat. ualete. plaudite caliopius recensuj ꝛ / Terentij affri comici poetę clarissimj explicit comedia prima / & eiusdem incipit comedia seconda cui titulus est eunuchus* (ultimae duae lineae rubro scriptae). Similia in ceteris quoque comoediis inscribuntur et subscribuntur, quibus afferendis chartam insumere sane nolo.

3) f. 17ᵛ—35ᵛ Eunuchus[1]).

4) f. 35ᵛ—52ᵛ Heautontimorumenos.

5) f. 52ᵛ—69ʳ Adelphoe.

6) f. 69ʳ—83ᵛ Hecyra.

7) f. 83ᵛ—100ᵛ Phormio.

Verborum explicationes inter lineas adscriptae sunt haud paucae.

## B. De codice qui olim fuit.

Qui Terentium scripsit, diligentissime cavit abluendo et radendo, ne pristinae scripturae quicquam perluceret. Lineae autem veteres transversis paginis scriptae sunt, ut appareat olim folia altero tanto maiora fuisse. Inde ego tantum expiscatus sum, ut et **statutarium**

---

[1]) Eunucho in f. 17ᵛ praemittitur argumentum hoc: *Argumentum Eunuchi. Meretrix adulescentem cuius mutuo amore Tenebatur excludit* eqs. Deinde post prologum demum in f. 18ᵛ additur *Aliud argumentum. Sororem falso dictitatam* eqs.

**Bononiense** subesse appareret eodem quo Terentium saeculo scriptum neque id inter impressa esse. Fidem vero fecerunt quae Phil. Carol. Saccus in Statutis civilibus et criminalibus Bononiae (impr. Bononiae 1735) passim e codice archii publici Bononiensis nondum edito attulit, esse illum codicem quasi gemellum Rehdigerani qualis olim fuit. Nec spem fefellisse anno 1895 codicem archii publici Bononiensis signatum *15 (5 G)* inspiciens cognovi. Nam et scriptus est anno 1454 et paginas habet metrorum 0,285×0,425 et verbo tenus consentit cum eis quae e Rehdigerani priore scriptura legere potueram. Ex eodem igitur archetypo non multo post Rehdigeranum videtur descriptus esse.

Ne id quidem sine probabilitate videtur concludi posse, Terentium quoque Bononiae scriptum atque a Rehdigero ibi emptum a. 1567, cum plusculum tempus illic degebat (Wachler p. 12). **[Sk.]**

## R 128.

(XCII = S. I. 6. 20.)

Codex membranaceus formae quadratae maioris (0,223×0,267 m) foliorum 136 (male enim olim 135 in codice ipso numeris significabantur omisso uno inter 111 et 112). Constat ex uno pari foliorum, quinionibus XIII, binione I. Praemissum par foliorum papyraceorum, quae *a* et *b* litteris notabo. Scriptus est codex saec. XV. nitidissime, litteris initialibus eleganter pictis. Continet **Terentium.**

In f. a$^{v}$ inter alia quae manus nequaquam elegans conscribillavit haec leguntur, in quibus errores quosdam tacitus correxi: *Si cognoscerem in uobis esse mentem aptam studiis, proponerem multa quae si lecta essent a posteris, traderent uobis maximam gloriam et uestra mens non periclitaret. Sed quoniam uident in uos Maximam socordiam, non solum sum exactus Maledicere illam, sed etiam silere ideo Aliqui sunt qui me acendunt paulatim as[c]endere ad suum stilem* (sic!) *et quando loquantur utuntur lingua marci tulij quamquam uellem ut uterentur lingua deorum. sed si non uidentur eloquentiores esse die in uno, paulatim eloquentissimi euadent quamquam natura uidetur esse amica bonis ingeniis et quum unus sequitur bonas artes a multis damnatur. ita comittit* (?) *meum iudicium ita in isto solo agitabo quamquam unus solus ascendisset ad metam, non vacabo illo ut si uidebit* (?) *sit stimulus uestre ignorantie uale.*

*Bap(tis)ta sumarippa.*

Idem nomen apparet in f. b$^{r}$.

f. 1 et 2$^r$ inter varia conscribillamenta (velut *comoda nature nullo tibi tempore derunt* i. e. Catonis dist. IV 2. 1) continent expositionem de Terentio similem eius vitae, de qua Dziatzko, Zu Terentius im Mittelalter (Fleckeisens Jahrbücher 149) p. 472, no. III egit: *(T)Erentius comicus genere fuit afer ciuis cartaginen(sis) qui cum alii* (sic!) *multis post debellationem cartaginis in triumpho scipionis* eqs. et de Andria: *(a)d plenam et facilem intelligentiam prime comedie Terrentij* etc. Sequitur in f. 2$^v$ post varios ductus et verba (e. gr. *mortuus in pado archadie opido ipaupertate suma aductus*) *Publij Terentij Afri Liber Incipit; | Natus in excelsis* eqs. (cf. cod. 127 sub 1) et in fine folii *Argumentum siue docilitas ad totum Terentium.*

In f. 3$^r$ inc. Andria (*Andrie breue argumentum. Sororem falso* eqs. *Prefatio in andria a Caliopio dicta et facta secundum aliquos. Poeta cum primum* eqs.). Expl. f. 24$^v$ *intus transigetur si quid est quod restat | O plaudite. Caliopius recensui., | Explicit Andria feliciter*

In f. 25$^v$ *Incipit Eunucus. Tempora recitationis. Acta ludis Megalensibus* eqs. (didascalia pessime habita, in cuius fine *Recitavit Caliopius*). Deinde prologum qui finem habet in f. 26$^r$ sequitur illud *Argumentum breue,* de quo dixi ad cod. 127 et *Aliud breue Argumentum | Sororem falso* eqs. Denique Eunuchus perscribitur usque ad f. 49$^r$.

f. 49$^v$ et 50$^r$ vacua, nisi quod in eis postea varia vario scripturae genere festinanti plerumque calamo conscripta sunt. Post incerta quaedam haec leguntur

*Domine in nomine tuo saluum me fac*
*℟ in virtute tua iudica me*
*Despice diuitias si uis (a)n(im)o esse beatus*
*Quas qui suspi* (= Catonis dist. IV 1)
*Hic liber seruit do* (del.) *Iouannis de busnate et suis*
*sociis qui proficissitur* (sic!) *ad gemnasium domini thome corneliano*
*optimo praeceptore sub quo duodecim annos profectus sum ꝛ ad*
*Iouannes de busnate amicus carissimus*
*Bart*$^s$ *Landrus* eqs.
*Dominus presbiter Rochus de santis gallis qui me emit de pecunia*
*Denumerata*
*Tempore Felici multi numerantur amici*
*Si fortuna perit nullus amicus erit*

In f. 50$^v$ demum incipit Heautontimorumenos cui similiter ut supra in Eunucho *Tempora recitationis* et *Breue argumentum* praemittuntur. Explicit in f. 72$^v$.

f. 73 cum olim ab omni scriptura vacuum fuerit, postea in pagina recta carmen conscriptum est: *de luxuria euitanda et castitate seruanda,* quod in appendice edemus. In margine dextro iterum apparent nomina *Bart(olomaeu)s Landrus* et *Giovane busna dito di san gai nostro grande frl̃lo* (*fratello*?).

Denique sequuntur

f. 74$^r$—94$^r$ Adelphoe;

f. 94$^v$—112$^r$ Hecyra (praemittitur *Argumentum fabule sequentis hoc est. Pamphilus adolescens filius lachis et Sotrate* (sic!) *maxime captus tenebatur amore* eqs., deinde 95$^r$ *Argumentum breve. Vxorem duxit* eqs. et *Prefatio Caliopii. Hechira est huic nomen* eqs.);

f. 112$^v$ Phormio cui similia praemittuntur. Explicit f. 135$^v$:

*iam hic faxo aderit.*
*Vos valete & plaudite. Caliopius recensui;*
*Terentii Affri phormio explicit.*
*Iohannes de Nigris* (corr. ex *Nimis* ut vid.) *scripsit*

In fine f. 136$^r$ haec habet argumenta poetica hosque uersus memoriales (cf. Dziatzko l. c. p. 467):

*Andria quid portet iuvenesque* (l. *quae*) *sponte sequantur*
*Serui quo pacto pelliciant dominos* } *Andria*
*Eunuci uerum quod sit thema nomen et unde*
*Asciuit fraudes que fuerint iuueris* (l. *iuuenis*) } *Eunucus*
*Eotontumerumenos* (corr. in *Eautontimor.*) *quem fert cruciatum*
*Excessu gnati gaudia que reditum* } *Eotõn*
*Adelphis patruus filio sumpsisse nepotem*
*Alter q, demea rus coluisse patre* } *Adelphe*
*Phormio consilii qui* (l. *quid*) *det phedrie parasitus*
*Antipho sobrine captus amore sue* } *Phormio*
*Sexta a loco proprium quod traxit nomen Echyra*
*Est tibi sat notum. cetera deinde uide.* } *E$^c$hyra*
*Andria / ul' eunuchus E$^a$uton Adelphis Echyra*
*Phormio succedens fabula sexta datur* } *Magr̃ petrus de muglio.*

Praeterea multa in hac et sequenti pagina (135$^v$) adscripta a puero illo cuius liber fuit. Velut redeunt hic quoque disticha Catonis IV 1 et 2, additur IV 46. [Sk.]

## R 129.

(CXXIV = S. I. 6. 21.)

Codex membranaceus s. XV. pulcre scriptus, pulcris initialibus ornatus habet, praeter folium unum papyraceum et duo membranacea quae nil nisi inscriptionem ***Terentius*** continent, ff. 98 id est quiniones IX et quaternionem I. Folia sunt metrorum 0,170×0,235.

f. $1^{r}$ invenitur argumentum Andriae sermone pedestri conceptum (*Orto bello athenis cremes quidam senex* eqs., cf. Dziatzko, l. c. ad cod. 128, p. 476, l. 3 ab inf.), f. $1^{v}$ vita Terentii similis eius quam in cod. 128 legimus, nisi quod hic illic propius ad eam accedit, quam Dziatzko l. c. p. 474 ex codice Laur. plut. 38, 17 profert; f. $2^{r}$ *Incipit prologus terentij contra aduersarios suos / Natus in excelsis* eqs. (cf. supra p. 98). Sequitur argumentum Andriae *Sororem falso* eqs. cum inscriptione *Incipit argumentum totius terentij siue epillogum*; prologo autem praemittitur *Incipit argumentum in andriam.* Iam ipsa incipit Andria atque post prologum in f. $2^{v}$ leguntur:

*Incipit actus primus.*
*Symo senex. sosia seruus* (rubro scriptum)

similiterque per totum librum actus et scaenae significantur. Non recte igitur H. Keym, De fabulis Terenti in actus dividendis (diss. Gissae 1911) p. 5 negat in ullo codice Terentiano quicquam inveniri de actuum divisione, etsi codicem nostrum neque post inventam artem typographicam exaratum esse neque ex editione aliqua impressa descriptum esse posse infitias ire possis.

Sequuntur: f. $17^{v}$ Eunuchus,
f. $34^{v}$ Heautontimorumenos,
f. $50^{v}$ Adelphoe,
f. $66^{r}$ Hecyra,
f. $79^{v}$ Phormio.

In f. $96^{r}$ exitum Phormionis sequitur *AMEN:* ∾ Additur denique auctore non nominato vita Terentii a Petrarca confecta (cf. Dziatzko l. c. p. 474 no. VII).

In f. $96^{v}$ ab alia manu adscriptum est:

*Hic liber est Ioannis uincentij Dulcis Iuris ut*
*riusque Doctoris* *1507*



f. 97 et 98 vacua. [Sk.]

## R 130.

(XLII = S. I. 6. 22.)

Codex membranaceus formae maximae (0,21×0,29 m) foliorum 206 saeculo XIV. exaratus est. Scriptura pulcherrima minio et picturis variata in binas columnas est digesta, versuum numerus in singulis libri partibus haud constat sibi, cum modo 37 modo 44 sint. Non omnibus locis dispicitur, quomodo folia conglutinata sint, ex maxima vero parte per seniones sunt ordinata. Insunt in hoc codice:

1) Tabula rerum et nominum a Valerio Maximo memoratorum, praemisso quodam prooemio. f. 1^r^ *incipit tabula ualerij. ad Intellectum huius tabule* — f. 35^r^ *tales et essent. explicit tabula Valerij maximi per Alphabetum ad omnia in ea contenta utilis abbreuiacio.*

Altera f. 35^r^ columna et f. 35^v^ inscripta non sunt.

2) **Valerii Maximi** factorum et dictorum memorabilium libri novem.

f. 36^r^ *incipiunt Rubrice libri Valerij factorum et dictorum memorabilium ad Octauianum Augustum. urbis romae* (I 1 in.) — f. 152^v^ *supplicio coegit* (IX 15 extr.). *de prenominibus de nominibus de cognominibus de agnominibus de appellacionibus de uerbis. decimus huius operis continet praescriptos titulos qui uel negligencia uel aliunde perijt. tamen de uno tantum hoc est de prenomine epitoma representatur.*

*Varro simplicia* — f. 153^v^ *gayas esse se dicerent.* Tractatus est de praenominibus (Val. Max. ed. Kempf[2] p. 587—591), cui subscribitur: *tytulus abreuiatoris: cayi titi probi finit epytoma hystoriarum diuersarum exemplorum romanorum.* Hanc epitomam excipit tabula quaedam capitum librorum decem (f. 154).

3) Tractatus de praenominibus alia manu scriptus et ex alio codice ut videtur repetitus.

f. 155^r^ col. I. *Varro simplicia* — f. 155^v^ col. I. *gayas esse se dicerent. Tytulus abreuiatoris Gayi titi probi finit . epytoma hystoriarum diuersarum exemplorum romanorum.*

4) Tabulae rerum Valerii et ad capita et ad litteras digestarum.

f. 155^v^ col. II. *De Religione* — f. 164^v^ col. II. *ad gloriam . 7. 2. 14. Explicit tabula sup(er) ualerium. Deo gracias.*

f. 165^r^ col. I. *Abstinentia* — col. V. *Ypocrisis. Explicit tabula (uo)cabulorum in tabula (im)mediate praecedenti c(on)tentorum. Deo gra(cias).*

5) **Vibii Sequestris** tractatus geographicus.

f. 165^v^ *Vibius Sequester Virgiliano filio salutem* — f. 168^v^ *Ulsti . ytalici europe . Explicit libellus Vibij sequestris de fluminibus fontibus nemoribus lacubus paludibus montibus gentibus. Deo gracias.*

Hoc opusculum edidit deque eius codicibus disseruit A. Riese in geographorum latinorum minorum collectione (p. 145 sqq., p. XLIIII).

6) **Valerii** quae fertur **epistula ad Rufinum,** ne uxorem ducat.

f. 168^v^ *Incipit Valerius ad Rufinum . Loqui prohibeor, sed tacere non possum* — f. 171^r^ *scripsisse uidear . Vale . explicit Valerius ad Rufinum.* In ultima pagina a recentiore manu additur, quo ad huius epistulae propositum alludatur:

*hic tibi crux et auis, hinc femina — quid tibi mauis?*
*utraque pena grauis, sed femina maior utrauis.*

De vero huius epistulae auctore — est autem Walter Mapius, archidiaconus ecclesiae Oxoniensis inde ab anno 1196 — eiusque editionibus fusius disputavit M. Hertz in maiore Gellii recensione tom. II praef. p. XXX, qui hunc codicem, quem littera ρ signabat, ipse inspexit.

7) **Richardi de Bury** Philobiblon.

f. 171^v^ *Uniuersis christi fidelibus ad quos scripture presentis tenor peruenit, Richardus de Buri miseracione domini dunelmensis episcopus* — f. 185^v^ *fruibilis faciei conspectum . Amen . Explicit philobiblon domini Richardi de Buri episcopi dunelmensis.* Additur conspectus capitum viginti.

Edidit hoc opusculum ultimus Ernest C. Thomas (The Philobiblon of Richard de Bury, London 1888), qui, dum de codicibus p. LXV disputat, hunc ignorat.

8) Initium **orationis,** quam legatus quidam **Francorum** in curia Romana habuit.

f. 185^v^ *Ac tenuati sunt oculi mei suspicientes* — f. 186^r^ (in extr. pag.) *mente promptissima ac deuota offert.* — Reliqua desunt, f. 186^v^—189^v^ scriptura vacant. Quae leguntur, sententiae cum Novi tum Veteris Foederis mixtae sunt, exceptis his f. 186^r^ col. I: *Beatissime pater aggredior executionem commissi negocij. et primo, beatissime pater, quod deuotissimus filius uester rex franciae personaliter ad vos accedere non valet, certis ex causis secretius s. v. exponendis, per legatos suos nobilissimos et solempnissimos eandem s. v. duxit visitandam, . . . prout in casu consimili fuit in legatis ludouici Imperatoris.*

9) **Guilelmi de Ockam** disputatio de potestate praelatis ecclesiae commissa.

f. 190r *disputacio inter clericum et militem super potestate commissa praelatis ecclesiasticis atque principibus terrarum. primo proponit clericus iuramentum dcm* (?) *quodammodo sub hac forma: Clericus: Miror* — f. 195r *ioadam pontifex ibi. Ecce quam obtuse finitur hec clerici ad militem disputacio et obmutescendo nunc silet clericus qui sic in principio clamando ac irridendo latrauit; sed bene nunc uideo, qui melius adamauit militem, pro milite pociora argumenta aptauit. Explicit tractatus disputacionis clerici ad militem de dominio ecclesie, compilatus per Venerabilem interceptorem Wilhelmum Ockamium fauorabilem ecclesiasticis.*

Edidit hanc disceptationem Melchior Goldastius in Monarchiae Tom. I (Hanoviae 1612) p. 13—18, apud quem ultima verba inde ab *ecce* desiderantur.

**10)** Conspectus variorum modorum quibus **Duns Scotus** notionem Entis definiverit.

f. 195v *ens ponitur primum signum* — f. 196r *poteris in diuersis locis in scripto ipsius doctoris inuenire. explicit Introductio et alphabetum doctoris subtilis in scientiam suam.*

**11)** Tractatus de viribus animae ab **Joanne de Rupella** conscriptus, sed in aliam formam redactus ac vulgo editur (La Summa de anima di Frate Giovanni della Rochelle, pubblicata dal Padre Teofilo Domenichelli, Prato 1882 p. 216 sqq.).

f. 196r *quoniam autem in anima humana* — f. 203v *erronea opinio non est. Explicit Tractatus de Rupella notabilis de anima et eiusdem viribus.*

**12)** Carmina **Gualteri de Castiglione** tria, f. 203v—206r.

a) *tanto uiro locuturi studeamus esse puri* eqs.

b) *dum galterus egrotaret et egrotans cogitaret* eqs.

c) *propter syon non tacebo sed ruinas Rome flebo* eqs.

De his tribus codicis carminibus egit R. Peiper, Walter von Chatillon (Glückwunschprogramm des Magdalenen-Gymnasiums an das ev. Gymnasium zu Brieg, Breslau 1869) p. 9.

**13) Carmen anonymum** versuum viginti quattuor (f. 206r).

v. 1 *christe tibi sit honor sit laus qui cum patre regis.*

v. 24 *est tres est unus sit tribus unus honor.*

No. 3—7 ab altera manu paullo vetustiore scripti ex alio quodam codice sunt inserti inter reliqua, quorum scriptura sibi constat.

Adhibuere codicem praeter M. Hertz et R. Peiper viri docti Glaeser 1841/45 et James Sullivan 1897. [W.]

## R 131.

(LVII = S. I. 6. 23.)

Codex membranaceus formae maximae (0,22×0,285 m) foliorum 124 (quaternionum quindecim, binionis unius) versuum 40 scriptura satis eleganti s. XV. est exaratus Florentiae, id quod e lilia depicta in f. 1^r^ concludere licet. Librorum capitumque initia auro et variis coloribus sunt distincta, notae marginales passim occurrunt. Insunt in hoc codice:

**Valerii Maximi** factorum et dictorum memorabilium libri novem.

f. 1^r^ *Maximi Valerij liber primus. Incipit de Religione caput primum. urbis Romę* — f. 124^r^ *aruncum et postumum ebti* (l. *aebutium*). *laus deo omnipotenti.*

Valerii ipsum opus ad umbilicum adductum est; tractatus qui in calce addi solet de praenominibus conscriptus desinit in voce *Aebutium* corrupta (ed. Kempf [2] p. 588, 22) et in media pagina. f. 124^v^ scriptura vacat. [W.]

## R 132.

(XCV = S. I. 6. 24.)

Codex membranaceus formae maximae (0,2×0,27 m) quinionum olim septendecim et ternionis unius fuit, sed ternionis duo folia, priusquam conscriberentur, et post f. 154 duo folia, quibus continebantur extrema octavi et prima noni libri, sunt exsecta, ita ut hodie supersint ff. 172. Scriptus est litteris nitidis et colore variatis; initia librorum picta sunt et praemissis capitum tabulis distincta; verborum contextus hic illic correcturas passus est. Insunt in hoc codice:

**Valerii Maximi** factorum et dictorum memorabilium libri novem.

f. 1^r^ *Valerii maximi factorum dictorumque memorabilium ad tyberium caesarem. liber primus foeliciter incipit. de religione caput primum* — f. 172^v^ *supplitio coegit* (IX 15 extr.). *MCCCCLVIIII 12 febr. Finis laus deo. Valerii . . . liber nonus et ultimus foeliciter explicit.*

[W.]

## R 133.

(XLIX = S. I. 6. 25.)

Codex chartaceus formae maximae (0,2×0,29 m) foliorum 481 per seniones compositorum, nisi quod decimum locum tenet septenio et senio ultimus uno folio decurtatus est. Singulis chartis in officinis aut tridentis aut capitis bubuli signa sunt impressa; versuum numerus etsi minime sibi constat, saepissime tamen ad triginta sex accedit. Scriptura parum eleganti atque lectu difficillima huic codici inscripta sunt:

**Dionysii de Burgo** expositiones in Valerium Maximum.

f. 1[r] praemittitur *epistula super declaratione ualerij maximi edita a fratre dyonisio de Burgo sancti sepulcri fratrum heremitarum sancti augustini sacre theologie dignissimo magistro, Reuerendo in christo patri et suo domino speciali, domino Johanni de columna, diuina prouidencia sancti angeli dyacono cardinali* missa, in qua auctores a Dionysio compilati enumerantur nullo ordine servato. f. 1[v]—475[v] ipsae exhibentur expositiones, quibus Valerii quae explicantur dicta inserta sunt. f. 476[r] et [v] continet *registrum super ualerium maximum,* cui subscribitur:

*et sic est finis huius libri anno domini MCCCCXVI et est pronunciatus in scolis sancti Galli maioris ciuitatis pragensis a Martino Bacc. de zylyna rectore scolarum prius scole dicte.* Reliqua vacua sunt.

Videas de illo Dionysio quid habeat Zedleri Universal-Lexikon t. VII p. 1008, cui M. Lehnerdt addit M. Goetzium, König Robert von Neapel, Tubingae 1910. [W.]

## R 134.

(LXVI = S. I. 7. 1.)

Codex membranaceus formae maximae (0,195×0,28 m) foliorum 170 (quinionum septendecim) versuum 35 e tribus constat partibus, quarum recentissima est media anni 1472, prima et ultima aetate aliquanto maiores sunt. Insunt in hoc codice:

**1) M. Terentii Varronis** de re rustica libri tres.

f. 1[r] *M. Terentii Varronis opus de re rustica. otius* (prima littera a miniatore non scripta) *essem consequutus* (I 1 in.) — f. 60[r] *hec quę exposui habito* (III 17 extr.). *finit.*

f. 60[v] inscriptum non est.

2) **M. Catonis** de agricultura liber.

f. 61 r *Marci Catonis de re rustica opus. (E)st interdum praestantius* (corr. *praestare*; prooem. init.) — f. 89 v *nec uermes tangent* (CLXII extr.). *M. Catonis de re rustica finis hic. existimo opus esse fragmentatum, ut et alia multa, quae ad nos peruenere. 1472 Junii 9 ueneciis.*

f. 90 inscriptum non est.

3) **Palladii** rei rusticae libri tredecim.

f. 91 r *Palladij Rutilij Tauri Emiliani Viri Illustris opus agriculture incipit. Tituli libri primi* — f. 169 r *hora XI pedes XXIX* (XIII 7 extr.). *Palladij rutilij tauri emiliani Viri illustris opus de agricultura explicit.*

Hunc codicem, qui omnes notas libri ab Italorum viris doctis interpolati prae se fert, adhibuit W. Suckow anno 1866, silentio praeteriit H. Keil, cum Catonem et Varronem recenseret apud Teubnerum anno 1884 (vid. prooemium recensionis maioris p. VIII). [W.]

## R 135.

(CIII = I. 7. 2.)

Codex membranaceus (0,250×0,180 metrorum) scriptus saeculo XIII. folia habet 236 (= quatern. XVII, quin. I, quatern. X, quin. I).

In f. 1 r conspicitur rudis admodum pictura Vergilii stantis in aedicula, cuius in tecto legitur *Virgilius.* A sinistra et dextra capitis parte scriptum est MA RO; manu dextra sceptrum quoddam tenet, sinistra fascias tres sic inscriptas *tityre tu patulae* (ecl. I 1), *quinque tenent celum etc.* (georg. I 233), *arma virumque cano troie* (Aen. I 1). In summo folio ab alia manu haec addita sunt *bg. b Genaro Verona*; cf. finem huius codicis.

In f. 1 v item depictus conspicitur homo cui suprascriptum est *placidus arnoldus*; infra legitur *arnoldus placidus nulli pietatate* (sic) *secundus.* Is librum porrigit Virgini Deiparae, quae in throno sedens filium dextra, sinistra malum (?) tenet.

**1)** In f. 2 r commentatiunculam *De orgine Troianorum* (*Origo troianorum Dardanus fuit qui ex ioue et electra filia athlantis natus ab italia ex responso locum commutans* eqs., expl. *qui eneam filium procreavit*) sequitur l. 15 historia **Daretis** Phrygii sic inscripta: *Incipit prologus daretis frigii et historia de vastacione troie. Cornelius nepos*

*salustii. crispo suo salutem.* eqs. Explicit f. 15ʳ *Antenorem secuti s(unt) duo milia. Helenum et Andromacham, mille ducenti.*

2) Nullo interstitio facto sequitur *Qui troianorum graecorum principes occiderint denotantur. Hector protesilaum* eqs., expl. *eneas ascanium,* id est tabula pugnatorum, de qua dixit Meister in editione Daretis p. VIII sqq. Multa in hac tabula et omnino in Darete mutasse scribam Rehdigerani iure dixit Meister p. VIII, cf. ib. p. III.

3) Verba *eneas ascanium* proxima linea sequitur ab eadem manu scripta *Uita Uirgilii breuiter edita* et introductio in Bucolica compilatae e Suetonio ampliato (Reiffersch. p. 54, 7 sqq.) et Servii prooemio commentarii ad Bucolica scripti. Expl. f. 18ʳ *quam legem theocritus vehementer astruit* (Serv. ed. Thilo p. 2, 10).

4) Nullo intervallo succedunt *Versus octauiani cesaris de laudanda arte uirgilii* (AL 672 Riese = PLM IV 179) quorum ultimo ascribitur *Versus Ouidii Nasonis.* Expl. in f. 18ᵛ.

5) Sequitur in eodem f. 18ᵛ carmen *Virgilius magno quantum* eqs. (AL 1 Riese = PLM IV 161). Expl. in f. 19ʳ.

6) Sequitur in eodem f. 19ʳ *Carmen Tetrasticon. Ouidii Nasonis* i. e. AL 2 Riese = PLM IV 173.

7) f. 19ʳ—228ʳ explentur **Vergilii Bucolicis Georgicis Aeneide.** Superscriptum:

*Publii Uirgilii Maronis Bucolicon*
*Incipit Exagematicon · Dramaticon.*
*Misticon · a · Meliboeus*

Aeneidi subscriptum:

*Accipit hic finem scriptor, requiescat ibidem.*
*Lector ei uitam post mortem posce beatam.*

Scholia Serviana inter lineas et in marginibus adiecta sunt.

Sequuntur ab alia manu scripta:

8) f. 228ᵛ *Iam nox hibernas bis quinque* eqs. i. e. **Moretum.** Expl. f. 230ʳ *Atque agit in segetes et terre condit aratrum.*

9) f. 230ʳ *Ut belli sonuere tube* eqs. (AL 392 Riese = PLM IV 111). Expl. in f. 230ᵛ *Argolicus theutras melus clonus oebalus arcas* (corr. ex *aruis*?).

10) f. 230ᵛ *Sus iuuenis serpens* eqs. (AL 160 Riese = PLM IV 158). Expl. in eod. fol. *Sed corpus gelidum perficit et calidum*

**11)** f. 230$^{v}$ *Incipit Mecenas*

*Defleram iuuenis tristi* eqs.

Expl. f. 233$^{r}$: *Te uenus in patrio collocet ipsa sinu* ie.

**Elegiae in Maecenatem.**

**12)** Sequitur sine interstitio

f. 233$^{r}$ *Battare tigneas* eqs. Expl.

f. 235$^{v}$ *Vt maneam quod uix oculis cognoscere possis* i. e.

**Dirae et Lydia.**

**13)** Sequitur item sine interstitio:

*Quid hoc noui est* eqs. Expl.

f. 236$^{r}$ *Uenus iocosa ruperit molle latus* ie.

**Priapeum** quod fertur **Tibullianum.**

**14)** Item ***Copa*** *furisca caput* eqs. Expl.

f. 236$^{v}$ *Mors aurem uellens uiuite ait uenio.*

In ima margine haec festinanti manu adiecta sunt:

*Scossi* (??) *per mi pelegrin di 13 di febraro 1441*
*per ducati cinque doro. fu in pegna di*
*aprile di primo* (?)

Infra subiciuntur quae e prima quoque pagina attuli:

*bg. b Genaro Verona*

**[Sk.]**

# R 136.

(CXXVI = S. I. 7. 3.)

Codex membranaceus formae oblongae (0,11×0,235 m) foliorum 106 versuum 44, scriptus XII. fere saeculo, continet **P. Vergili Maronis** Aeneidem. Compositus nunc est ex tredecim quaternionibus adfixis in fine duobus foliis, sed initio quaternionem unum interisse et numeri indicant a manu vetusta singulis quaternionibus inditi et ipse verborum contextus mutilatus; desunt enim libri I versus 1—707 = 16×44+3. Singulis libris praemittuntur argumenta vulgo Ovidio Nasoni attributa, quae in Anthol. Lat. I$^{2}$ no. 1 (I p. 7 sqq.) leguntur, et quidem ante libros II et VI—XI et decasticha et monosticha, ante libros III et IV sola decasticha, libri V et XII argumentis carent. Subscriptum e. g. f. 1$^{v}$: *Explicit p(rimus) incipit sec(un)d(us);* f. 10$^{v}$ *Explicit s(e)c(un)d(u)s incipit tertius* etc. Explicit liber XII f. 106$^{r}$, sed

ultimus versus et subscriptio si qua fuit resecti sunt. Glossae a diversis manibus recentioribus additae.

f. 106$^{v}$ plerumque evanidum est. Quae dispexi verba, ad versus heroicos coloris Vergiliani pertinere videntur.

Adhibuit codicem nimirum nemo. [Z.]

## R 137.

(CXXXVII = S. I. 7. 4.)

Codex membranaceus formae quadratae (0,14×0,22 m) foliorum 244 (quinionis, ternionis, quattuor quinionum, unionis, duodeviginti quinionum ternionis), versuum 27, scriptus saec. XV., continet **Vergilii opera,** litteris initialibus satis nitide pictis ornata.

Praecedunt codicem duo paria foliorum, quorum exterius, quod bibliopega postea addidit, chartaceum, interius idque vestustius (a ∾ b) membranaceum est.

f. a$^{r}$ exhibet titulum a manu bibliothecarii saepius in librorum exordiis obvia scriptum hunc: *P. Virgilij Maronis Bucolicorum Georgicorum & Aeneidos libri.*

f. a$^{v}$ varia pueriliter delineata sunt (eques, olla, litterae; supra: *yh̄ſ uirgo maria*) et haec scripta saec. fere XVI.:

*Virgilius*
*Iste liber est n(ost)ru(m) fratru(m) lodouici X$^{o}$* (?)
*francisci & egidij ꝯdm̃* (= *quondam*?) *dm̃* (?) *χc* (?) *decasto*
*Qui costidit nobis ta(n)ti qua(n)ti placuit*
*Venditori.*

f. b$^{r}$ quoque varia conscribillata et delineata (velut unus ex fratribus de Castro (sic nomen in hac pagina rectius scriptum) poetam, qui f. 1$^{r}$ in littera initiali pictus est, inperita manu imitari conatus est) et haec scripta leguntur:

*Nos pedites equites at ili petier(e) susana(m)*
*Dat ueniam nobis quaque uterque caret*

Hi duo versus linea transversa deleti sunt; deinde:

*Brutus in epistolis Ceterum ueniam non negatur illis qui cum norunt sua pecata corigant.*

Hunc locum in epistulis Bruti quas tenemus invenire non potui; sequuntur versus *Ligua . . . natet* ex Ovid. art. amat. I 515 sq. de-

prompti sed valde mutilati. Praeterea nomina possessorum passim iterata sunt et leguntur litterae *DABON* adpicto corde telo percusso (= *da bon cuore*?)

f. 1r *Publij uirgilij maronis* **Buccolicorum** *. liber . incipit feliciter . eglogae p(ri)me . t(i)t(ulus) . e(st) . tytirus. Tytire tu* . . . Personarum notae in margine rubro adscriptae sunt. Sequuntur f. 2v, 4r, 6r, 7r, 9r, 10v, 12r, 14r, 15r ceterae eclogae similibus titulis instructae.

f. 16r *Publij uirgilij maronis Buccolicor(um)*
*liber explicit feliciter*
*P. uirgilij maronis* **Georgi**
**cor(um)** *ad mecennatem lib(er) incip(it)*

f. 17r *Argumentum*

*Quid faciat . . . federe reddi* = Riese AL 2 (Baehrens PLM IV 444), 9—12. Ceteri quoque libri (f. 26v, 36v, 47r) haec argumenta (v. 13—20) prae se habent, sed ante librum IV per errorem loco argumenti libri IV (*Protinus . . . dona*) argumentum libri III (*Te quoque . . . vates*) iteratum est.

f. 57v *Publij uirgilij maronis*
*Georgicor(um) ad mecenna-*
*tem liber explicit*

f. 58r v. 1—12 *Primus habet . . . turni nece finem* = Riese AL 634.

f. 58v v. 1—11 *Eneas primo libię . . . narrare parabat* = Riese AL 1 I Baehrens PLM IV 176, 1 + 162 I. Sequuntur post spatium 7 linearum 4 versus heroici *Ille ego qui quondam . . . horrentia martis*, quos olim exordium Aeneidis fuisse Donatus in vita Vergilii 42 testatur, deinde:

*Publij uirgilij maronis*
**Eneidos** *. lib(er) . incipit*

f. 59r *Liber primus. Arma uirumque* eqs.

Similiter et sequentibus libris, qui f. 73r, 88r, 101v, 115r, 130v, 147v, 163r, 176v, 192r, 209v, 226v incipiunt, haec monosticha cum decastichis praefixa sunt, nisi quod ante libros II et III et IV monosticha desiderantur. In fine scriptum est:

f. 244v *Publij uirgilij maronis*
*liber aeneidos XII*
*et ultimus explicit*
*feliciter.*

[Z.]

# R 138.

(Quart. XXIV = S. I. 7. 5.)

Codex chartaceus saec. XV., foliorum 15 (= quatern. 1 et tern. 1 cum folio uno interiecto), metr. 0,142×0,198 continet haec:

**1)** f. 1ʳ *clarissimi poete Virgilii* (maiusc. virid.)
*moretum* *incipit feliciter* (maiusc. rubr.)

inc.: *Iam nox hibernas bis quinque peregat* (sic) *horas*

expl. f. 3ᵛ *Atque agit in segetes et terre immittit aratrum.*
*. Finis.*

Sequitur in eodem folio:

**2)** ***Karoli arrteni*** (sic!) *uiri eloquentissimi* ***in*** *homeri poetę clarissimi* ***Batrochomyomachiam*** *· i · ranarum murumque pugnam · ad marrasium siciliensem poetam · cl ·* ***prefacio*** *· incipit Feliciter.*
*Nuper suauissime marrasi: cum apud quosdam prestantissimos iuuenes* eqs.

expl. f. 6ᵛ *relaxare possis. Vale.*

***Karoli arretini*** *uiri eloquentissimi prefacio Feliciter Explicit:*

Sequitur in eodem folio:

**3)** *Homeri poetę clarissimi* ***Batrochomiomachia*** *per* ***Karolum arretinum*** *in latinum traducta ad marrasium siculum poetam clarum incipit feliciter*
*Ranarum murumque simul crudelia bella* eqs.

expl. f. 12ᵛ *Phebus: quom tanti cessat discordia belli.*
*. finis.*

Ad explicanda nomina graeca glossae nonnullae ab eadem ut videtur manu, alio tamen atramento adscriptae sunt velut *physignatus · i · inflans genas, psiparchax* (sic!) *· i · raptor micarum.*

De hoc Caroli Marsuppini qui Arretio oriundus erat opusculo cf. Voigt-Lehnerdt, Die Wiederbelebung II³ 194 et supra p. 40. Servatum est etiam carmen quo Marrasius Siculus Carolo gratias egerat (Carm. ill. poetar. Ital. VI 255).

4) Sequitur inde a proxima linea eiusdem f. 12ᵛ:

*Argente. ID. Sept. 1429.*
***Guarinus*** *Post sedatam Pestem Rediens Ferrariam* } rubris litteris scriptum

*SALVE terra uiris pollens ferraria salue.*
*Atque potens opibus: uarias celebrata per artes* eqs.

expl. f. 13ʳ *Vt decus eternum: & felix tibi floreat aeuum.*

Codices manuscriptos quibus hoc carmen continetur enumeravit R. Sabbadini, La scuola e gli studi di Guarino Guarini Veronese (Catania 1896) p. 232, qui de Guarino pestem fugiente narrat ib. p. 23.

Sequitur in eodem f. 13ʳ eiusdem **Guarini** carmen

5) *Ad nicolaum pirondulum iuris consultus* (sic!) *doctissimum super transcriptione agelij*
*Gratulor atque omni capio nunc gaudia mente* eqs.

expl. f. 13ᵛ *Vsque legant: ut te uinctum nicolae gvarino;*

Carmen continetur iisdem fere codicibus quibus praecedens; cf. Sabbadini l. c. p. 231, qui carmen inde edidit p. 227 sq. Gelli codex a Nicolao Pirondulo scriptus periit (Sabbadini p. 118).

Sequitur in eodem folio:

6) *D(omi)n(u)s* ***Antonius Panormita*** *ad Guarinum uirum ex-[celentem*
*Quantum romulide sanctum videre catonem*
*Quantum ceespheni* (l. *Cepheni,* Ov. M. IV 763) *uolitantem per-[sea caelo:*
*Alcidem thebe pacantem uiribus orbem*
*Tantum laeta suum uidit* (corr. e *uidet*) *uerona guarinum.*

De epistularum poeticarum commercio quod fuit Panormitam inter et Guarinum cf. Sabbadini l. c. p. 81 sq.

Sequitur in f. 14ʳ ab alia manu scriptum:

7) · *Br.*
*Ioannes franciscus; pelegrino salutem*
*Versibus his nostris uatum mihi more uocandas* eqs.

expl. *Incendant animent: Iubeantque reuisere musas.*

Sunt uero hexametri 14.

8) Sequuntur in eodem folio nulla inscriptione praemissa **Tibulli** qui feruntur sive **Lygdami** versus III 2, 1—14. 29. 30; 3, 1. 2. 25. 26; 4, 1—4. 51. 52. 57—62. Expl. in f. 15ʳ. Sequitur in eodem:

9) *Epitaphium falconis d(omi)ni leoneli Marchionis estensis: editum per clarissimum ac eloquentissimum oratorem:* ***guarinum*** *ueronensem.*

*Flete decus uestrum uolucres: conuelite plumas* eqs.

expl.: *Fortia magnanimus periit per uulnera miles.*

Sunt uersus 13. Carminis nullam mentionem facit Sabbadini. Cf. appendix. [Sk.]

## R 139.

(S. I. 7. 6. Deest apud Kranzium.)

Codex chartaceus formae maximae (0,205×0,3 m) foliorum 261 (duorum quinionum, quorum prioris folia primum et ultimum perierunt, duorum quaternionum, quorum alterius folium quod fuit quintum [inter f. 30 et 31] exsectum est, novem quinionum, quaternionis, quinionis, senionis cuius folium quod fuit septimum exsectum est, duorum quinionum, duorum quaternionum, sex quinionum, duorum quaternionum, quorum alterius tria folia ultima nempe vacua relicta perierunt), versuum 42, scriptus in Italia saec. XV., continet **Servii in Vergilium** commentarios.

f. $1^r$ *Arma uirumque cano, multi uarie dixerunt* eqs. Est initium ipsius commentarii in primum librum Aeneidis. Desideratur igitur Servii praefatio, quae in editione, quam Thilo et Hagen Lipsiae 1881/4 curaverunt, I p. 1—5, 11 legitur; f. $31^r$ *Mauri seruii gra(m)matici ex virgilio i(n) eneidos p(ri)mu(m) libru(m) co(m)me(n)ta expliciu(n)t;* f. $46^r$ *Mauri seruii g(ram)matici expliciu(n)t co(m)me(n)ta $2^i$ libri Incipiu(n)t $3^{ii}$ libri.* Ceteri libri sine subscriptionibus titulisve se excipiunt (f. $64^v$, $78^v$, $89^r$, $111^v$, $124^v$, $139^r$, $150^r$, $163^v$, $176^r$) nisi quod libro VII. f. $124^r$ subscriptum est *Serui(us) gramatic(us)*; expliciunt commenta in Aeneidem f. $186^r$, ubi in calce adscriptum est

*Et sic est finis sic* (l. *sit*) *laus et gl(or)ia trinis*

f. $186^v$—$188^v$ vacua relicta sunt.

f. $189^r$ incipiunt in Bucolica commentarii sine titulo sic: *Bucolica ut ferunt quidam inde dicta sunt* eqs.; finiunt f. $212^r$ nulla alia sub scriptione subiuncta nisi *deo gracias.* Sequuntur

f. $212^v$ commentarii in Georgica et ipsi titulo carentes ita: *Uirgilius in op(er)ibus suis diu(er)sos secutus est poetas* eqs.; expliciunt f. $261^v$, ubi iterum subscriptum *deo gracias.*

Litterae initiales rubro caeruleoque colore pictae sunt; lemmata in margine hic illic cum a librario tum ab alio nescio quo adscripta sunt.

Praefixa est codici epistula, quam Carl Friedrich von Mützschefahl Vratislaviensis die IX. Septembris 1799 ad eum qui tunc bibliothecae praeerat, Scheibelium dico, dedit quaque codicem bibliothecae donavit.

Adhibuit codicem adhuc nemo nec commemoratus est in praefatione, qua Thilo et Hagen editionem suam ornaverunt. Inspectis locis nonnullis eorum codicum agmen eum sequi cognovi, qui Italorum saeculi XV. supplementis aucti ab editoribus praefationis p. XCI breviter describuntur. [Z.]

## R 140.

(XVIII oct. = S. I. 7. 7.)

Codex membranaceus formae est minoris; pleraque enim folia 0,09×0,13 vel 0,1×0,14 fere metrorum sunt, multa tamen (velut 21—24, 31—32, 44, 48—49) etiam minoris sunt moduli. Scriptus est codex litteris plerumque minutissimis a pluribus librariis diversae aetatis.

**1)** Primi quaternionis (ff. 1—8) singulas paginas 40—49 versibus repletas XIII. potius quam XIV. saeculo deberi censeo. f. 1$^r$ *Incip(it) co(m)m(en)tu(m) seruii sup(er) uirg(i)l(ium). ad dilucidatio(n)e(m) o(mn)iu(m) autor(um). i(n) p(ri)ncipio h(ae)c i(n)q(ui)re(n)da occurr(un)t. Nom(en) et uita poete. titul(us) op(er)is* eqs. Est vita Vergiliana et praefatio in Bucolica maiori ex parte ex **Donati vita Vergilii** compilata, cui librarius et excerpta aliqua ex **Servii** praefationibus, quae ante commentarios eius in Aeneidem et in Bucolica leguntur, et de suo definitiones stilum scholasticum sapientes admiscuit. Expliciunt haec prolegomena f. 2$^v$ v. 7 et sequuntur Servii explicationes in Bucolica, sed liberrime vel auctae vel contractae. Singularum eclogarum initia manus quaedam saeculi fere XVI. rubro notavit. Desinunt membranae (f. 8$^v$) in explicando v. 16 eclogae IV ita: *p(er)mixtos heroas. q(uo)s diceba(n)t de ho(min)ib(us) d(e)os fieri. et ip(s)e. p(er)mixt(us) e(ss)e. illis. diuis i(n) patris uirtute.*

**2)** Secundi quaternionis folia duo prima (ff. 9—10) versuum 30, quorum scripturam saeculo XII. non posteriorem, fortasse vetustiorem esse mihi persuasi, exhibent initium libri I **Boethii** de differentiis

topicis usque ad verba (f. $10^{v}$): *Illa u(er)o que est de philosophię ratione p(er)t(ra)ctat p(rae)dicat(ur),* quae leguntur in editione Basileensi anni 1570 p. 858, v. 30. Titulus est, litteris maiusculis scriptus: *Anicii · manlii · severini · boecii · viri · consularis · illustris · exconsulis · ordinarii · patricii · de topicis · differentiis · lib(er) · I · incipit. Omnis ratio disserendi* eqs. f. $9^{r}$ in margine superiore manus saeculi XV. Germanica adnotavit: *Lib(er) · s · Nicholai i(n) arnestein.* Unde apparet tunc temporis folia, quae nunc sunt 1—8, nondum Boethio praefixa fuisse. De illo conventu ad Laganam sito, qui Sanctae Virgini et Sancto Nicolao consecratus ab anno 1139 ad annum 1803 viguit, cf. Wetzer und Weltes Kirchenlexikon, 2. ed., I (1882) p. 1439.

3) f. $11^{r}$—$68^{v}$, quae complent quaternionis secundi folia sex reliqua (11—16), senionem (17—28), ternionem signatum I (29—34), quaternionem (35—42), cui tria folia (43—45) adnexa sunt, ternionem signatum II (46—51), quinionem signatum IIII (52—61), quaternionis signati V (62—69) folia 7 priora, continent **Scholia in Horatium** a pluribus scribis saeculis XII. et XIII. minutissime scripta, ut singulae paginae 30—60 versus teneant. Praecedit vita brevissima et praefatio in odas (f. $11^{r}$ v. 1—19), quam excipiunt explicationes vilissimae, plane tironum in usum compositae, magna ex parte difficillimae lectu. Hic illic aliquid Acronianum sensi. Adnotationibus, quas manus quaedam saeculi fere XVI. partim atramento partim rubro colore usa adscripsit, edocemur f. $11^{r}$—$26^{v}$ exhibere scholia in odas, $27^{r}$—$28^{v}$ in epodos, $29^{r}$—$34^{v}$ in artem poeticam, cuius in versu 276 explicando deficit pagina. Reliqua pars explicationum invenitur f. $46^{r}$ sqq., quod olim f. 34 excepisse ternionum numeris discimus (v. supra). Expliciunt in medio f. $48^{r}$. f. $48^{v}$ vacuum. f. $49^{r}$ *Incipit lib(er) ep(istu)laru(m). I. lib(er) fact(us) d(e) diu(er)sis ep(istu)lis* [supra scriptum *reb(us)*] *ad diu(er)sos missis* eqs. In fine f. $51^{v}$ (ie. in fine ternionis signati II) explicatur v. 30 epistulae I 5 ita: *s(ed) si c(um) plurib(us) uis uenire tu rescribe m(ihi) ut s(e)c(un)d(u)m h(oc) disponam co(n)* | Deinde cum ternio III excidisset, alius librarius quae deerant supplevit in foliis, quae nunc errore bibliopegae inter terniones pristinos I et II inserti numeris 35—45 signantur. In quibus primum quidem reliquae epistulae I 5 explicationes leguntur (f. $35^{r}$ *uiuium meu(m). Et reb(us) omissis* eqs.), deinde epistularum I 6—20, quas excipiunt f. $41^{v}$ med. scholia in Epistularum librum II (excepta scilicet arte poetica), quae finiunt in medio f. $45^{v}$.

f. 52[r] *Incipit lib(er) sermonu(m). Talis est titulus. Nota q(uo)d titulus ad h(oc) sol(et) p(rae)poni ut ibi br(eviter) not(etur) intentio* eqs. f. 59[v] med. incipit liber secundus. f. 68[v] v. 13 expliciunt scholia Horatiana sic: *n(on) natu(m) i(n) marina i(n)sula. hic p(ro)tē* (?) *inq(ui)t her(us) nasidien(us);* ie. in explicando v. 16 satirae II 8. Subscriptum nihil.

4) In spatio a librario Horatiano vacuo relicto varia a manibus fere aequalibus conscripta sunt:

a) f. 68[v]—69[r] med. varia excerpta de Gorgonibus, de musica, de sole et stellis, alia, ex Fulgentio aliisque nescio quibus scriptoribus deprompta.

b) f. 69[r] med. —69[v] v. 15: *Almitatis u(est)rę p(rae)cluentia uenerande d(omi)ne. spesq(ue) meę c(on)solationis humanę paruitate(m) mea(m) utpote modu(m) locutionis urbanę dignitati* (corr. ex-*te*) *u(est)rę c(on)petentis ignorante(m) disuad(et) . . . valeto in domino.* Est forma epistulae, qua clericus aliqui domini nescio cuius gratiam conciliare sibi studet.

c) f. 69[v] excerpta mythographica de Diana Taurica, Iphigenia, Oreste et de Tiburto (sic), Cora, Catilo; haec ad exponendum carmen Horatii I 7 allata esse apparet.

5) f. 70[r], quod novissimum quaternioni signato V adnexum est, manus saeculi XIV. varias explicationes rerum gastronomicarum adscripsit, quae in Horatii satira II 8 tractantur (cuius expositionem f. 68[v] non ad finem perductam esse reminiscaris).

f. 70[v] vacat scriptura.

Codicem inspexit Lilie anno 1837. [Z.]

## R 141.

(II. LIV = S. I. 7. 8.)

Codex membranaceus formae maioris (0,2×0,28 m) foliorum 12, scilicet senionis, versuum 33, scriptus in Italia vergente saeculo XIV., continet **Probae centonem** Vergilianum sic rubro inscriptum (f. 1[r]): *Incipit prefactio i(n) Virgilio Centona probe gentiliu(m) carmina ad obsequiu(m) fidei retorque(n)tis.* Re vera tamen praefatio omissa est et incipitur versu sequenti ipse cento ita: *Iamdudu(m) temerasse duces pia federa pacis* eqs. In littera initiali pia poetria ipsa nitide picta est librum in manu tenens. Singulis centonis particulis tituli rubro praemissi sunt velut *De op(er)e p(ri)me diei* (ante v. 82), *De creat(i)one*

*ho(min)is ad ymagi(n)e(m) d(e)i (et) d(e) uxo(r)e d(e) late(re) su(m)pta* (ante v. 116) al. In marginibus librarius versus Vergilianos in centone contextos significavit. Hic illic notae leguntur a manu recentiore adscriptae, quae et titulos aliquos a rubricatore praetermissos supplevit. Explicit cento f. 12ʳ et subscriptum est rubro: *Explic(it) i(n) Virgilio Centona p(ro)be cui(us) i(n) homero Centona* (l. *centonam*) *n(on) h(ab)et(ur)* (l. *habet*) *latinitas. Sic(ut) i(n) Virgilio Centona(m) ei(us) n(on) h(abe)t g(re)cia. Studuit e(nim) utra(m)q(ue) ge(n)te(m) ad fide(m) catholica(m) i(n)uitare. p(ri)mor(um) docum(en)tis auctor(um).*

f. 12ᵛ vacuum est.

Adhibuit codicem adhuc nemo; ignoravit eum vel consulto neglexit (nec inmerito puto) Carolus Schenkl in editione, quae in Corp. script. eccles. lat. XVI, 1 (= Poetae christiani minores, pars I), Vindobonae 1888, p. 511—609 continetur; cf. inprimis p. 517 sqq. et 522, adn. 1.

Complectitur codicem folium membranaceum metrorum 0,265×0,385, in quo litteris pallidis quidem sed satis facilibus lectu testamentum nobilis cuiusdam viri Parmensis scriptum est, cuius initium est hoc: *In xp̃i no(m)i(n)e. Am(en). Anno natiuitatis ei(us)dem. Mill(esim)o. Trece(n)tesimo. Trigesimooctauo. Indict(ione). VIª. | die vicesima p(rim)a m(en)sis Octubr(is). Venerabilis vir d(omi)n(u)s Antonius c(on)dam* (= *quondam*) *d(omi)nj Alberti Panitie | de Monticulo parmen(sis) dio(e)c(esis). Licet co(r)pore langue(n)s me(n)te t(ame)n sensu (et) discret(i)o(n)e sanus* eqs. In fine legitur: *Actum in t(er)ra Portusgrua(r)ij | dio(e)c(esis) Concordien(sis) in Ep(iscop)ali palatio vid(elicet) in Camera i(n)ferio(r)i in qua morabat(ur) d(i)c(t)us d(omi)n(u)s Antonius · p(rae)sentib(us)* eqs.; sequuntur testium nomina, in quorum serie nondum perfecta deficit membrana cultro abscisa. [Z.]

## R 142.

(S. I. 7. 9. Deest apud Kranzium.)

Codex membranaceus formae maximae (0,215×0,31 m) foliorum est 173, quae efficiunt seniones novem, quorum folium post vigesimum tertium proximum, priusquam conscriberetur, exsectum est, binionem unum, seniones tres, quaternionem unum tribus foliis mancum, verba tamen integra exhibentem, seniones duos, privatos item tribus foliis. Scriptura elegans s. XIV. exeuntis in binas columnas versuum fere

trigenorum binorum est digesta; litterae minio ornatae et paginarum inscriptiones accuratae ubique occurrunt. Insunt in eo codice, qui testante folio praevio bibliothecae Rhedigeranae anno 1709 a Joanne Gottl. Ubero dono datus est, haec:

1) **Vitruvii** de architectura libri decem.

f. 1r *incipit prologus vitruuij in libros dece(m) de architectura. Cum diuina tua mens* (init. prooem.) — f. 111v *uoluminib(us) h(ab)er(et) explicata* (X 29 extr.). *explicit uitruuij lib(er) decim(us).*

Codex ut recentior non commemoratur in iterata Rosii editione Vitruvii neque in ea, quae nunc ipsum (1912) prodiit a Krohnio curata.

2) Miracula **Sanctae Brigittae.**

f. 112r *Incipiunt miracula beatae Brigide sponse (christi) de Svecia Sequitur. Sicut legimus de b(ea)to ioh(ann)e bap(tis)ta* — f. 151r *littera sigillata q(uae) nouit(er) venit de Swecia.* f. 151v et 152 inscripta non sunt.

3) Revelationes **Sanctae Brigittae.**

f. 153r *Reuelac(i)o q(ua)m habuit d(omi)na brigyda in roma post annu(m) iubilei* — f. 173r *amplius dolor Istas visiones (et) reuelac(i)ones suprascriptas (et) alias q(uam)plures h(ab)uit b(ea)ta brigyda Regina Swecie El(ec)taq(ue) cristi · Sequitur.*

*Sequitur* illud bis obvium pausae signum est prave intellectum. Miracula et revelationes Brigittae cum actis Sanctae huius mulieris consentiunt, qualia saepius edita sunt, vide AA. SS. Oct. IV p. 368 sqq. Contuli codicem nostrum ad „Revelationes caelestes seraphicae matris S. Birgittae Sueciae“, Monachi 1680, quibus eadem fere, ordine tamen rerum et contextu verborum paullo mutatis, narrantur inde a p. 797.

[W.]

## R 162.

(II. fol. I = S. IV. 1. 1.)

Codex membranaceus formae maximae (0,460×0,315 m) foliorum 379: sunt enim 35 integri quiniones numeris cuique in fine adscriptis, praeterea quinio quattuor foliis resectis et tres quaterniones, quorum ultimus uno folio caret. Singulae paginae binas columnas 62 versuum inter lineas positorum habent. In marginibus superioribus binae lineae sunt, inter quas tituli inscribuntur. Codex XV. saeculo conscriptus est, cf. f. 150v; ornamentis, coloribus, picturis et minoribus et maioribus haud spernendae artis splendide instructus est. Scriptura ipsa niti-

dissima. Quis eum possederit, ex insigni quodam gentili conici potest. Inter ornamenta enim f. 3r in medio margine dextero clipeus ruber in eoque scamnum aureum conspicitur, ex quo columba alba evolatura est, quod scamnum cum columba iterum galeae impositum est, utrumque autem, galea et clipeus, ab homine quodam hirsuto tenetur. Est insigne gentis Banck, qua de re cf. Scharffenberg, Wappenbuch (est liber manuscriptus bibliothecae Rehdigeranae, num. 690) p. 55, praeterea Luchs, Denkmäler der Elisabethkirche num. 350, p. 181 et p. 228. Quod Ledebur et Blažek, qui Siebmacherum sequitur, in libris huc pertinentibus aquilam pro columba ponunt, errant. Operculum rubro corio inductum ornamentis pristinis exutum est: foramina tantum exstant.

Continentur codice:

f. 1v magna pictura, quae totam paginam complet: Christus crucifixus inter duos sceleratos item crucifixos adstantibus mulieribus et militibus, quorum unus illius latus hasta perfodit; centurio manum ad iurandum tollit. Regionis loco tapetum rubrum lepide ornatum pictum est.

f. 2r pictura eadem magnitudine: Maria cum infante in luna stans arbustis circumdata, dextra manu crucem tenens, in qua Christus pendet. Ipsa Maria magnam partem margine quodam inclusa est, qui amygdali formam habet. Spatium tabulae vacuum quasi tapeto rubro expletur.

f. 3r—356r Omnes **bibliae Latinae** libri, quae dicitur vulgata, cum multis praefationibus Hieronymianis et nonnullis glossis (f. 74r—76r). Initia librorum non solum litteris pulchre ornatis et pictis, sed plenis figuris distinctae sunt ad argumentum librorum pertinentibus, quae litteris includuntur.

Post prologum Hieronymianum in librum Iob f. 150r col. 2 alius eiusdem Hieronymi affertur et post eum haec sequuntur verba minio scripta: (f. 150r inf.) *Iste prologus est repertus in antiqua Biblia Conuentus Forcemensis ordinis praedicatorum prouincie theutunie contrate* (f. 150v) *Suesue* (l. *Sueuie*) *non multum distans ab argentina. que vulgariter dicitur Strosberg. Anno domini M°CCCCXXVII°.*

f. 356v vacuum.

f. 357r—378r Vocabula hebraica secundum alphabetum in latinum vertuntur. Subscriptum: *Finis interpretacionum.*

f. 378v et 379 vacua.

Praefixum est codici folium, quo Turibius episcopus Tudensis (fere 1390—1400) clericis Glogoviensibus quaedam mandat. [Tk.]

## R 163.

(II. fol. XI = S. IV. 1. 2.)

Codex membranaceus formae maximae (0,434×0,338 m) foliorum 401 (sunt 12 quaterniones, quinio, 33 quaterniones, ternio, quaternio uno folio amplior, 2 quaterniones) saeculo IX. vel X. scriptus, hic illic propter vetustatem male habitus. Singulae paginae bifariam divisae 53 versus habent.

Continet liber f. 1—401$^{r}$ totam **bibliam veteris et novi testamenti** latine secundum Hieronymum cum variis prologis; praeterea in marginibus multis locis notae additae sunt. Litterae initiales lineis varie inflexis, hic illic etiam coloribus ornatae sunt. Picturae non inveniuntur. Ordo librorum is est, ut post prophetas ponantur Iob, Psalterium, Salomonis Proverbia, Ecclesiastes, Cantica, Sapientia, Iesus Sirach, Paralipomena, Esra, Tobias, Judith, Esther, Maccabaei; in novo testamento Apocalypsin sequuntur epistulae Paulinae et epistula ad Hebraeos. f. 326$^{v}$—328$^{r}$ tabula est de evangeliis inter se comparandis ex decem *canonibus* constans, columnis pictis (variis coloribus) interpositis, quae arcubus inter se coniunguntur. Inter ff. 370 et 371 fasciculus totus deest. Lacuna est inter Act. 19, 37 *adduxistis enim* (f. 370$^{v}$ extr.) et ep. 1 Ioh. 5, 11 *quoniam uitam aeternam* (f. 371$^{r}$). Totae exciderunt epistulae Iacobi et Petri I et II.

In margine superiore f. 266$^{r}$ leguntur verba *Liber ecclesie Sancti Victoris Xanthi* (Xanthen). Manus est saeculi XV.

f. 401$^{r}$ subscriptum est *Explicit epistula ad hebreos deo gratias.* Tum unius versus spatio interiecto sequitur *Incipit chronica bedae presbyteri de regibus ab adam.* Inc. *Adam cum esset CXXX annorum, genuit seth. Seth autem habens CV genuit enos. uiuente adam et habente annos CCXXXV.* Des. f. 401$^{v}$ *Aetas sexta* (partim evanida). *A nativitate domini nostri usque ad tiberium numerantur anni XIIIl, a tiberio usque ad passionem christi sunt anni decem et octo.* Cetera perierunt. Codicem apparet in fine mutilum esse. **Bedae** chronica quae hic perhibetur est adbreviata, sicut invenitur Monum. Germ. hist., auct. ant. XIII p. 349 ss. [Tk.]

## R 167.

(XLV = S. IV. 1. 6.)

Codex membranaceus foliorum 102, 0,289×0,197 m, ex 8 quaternionibus et 3 senionibus constans, ad quos in calce unio accedit

membrana et argumento dissimilis, fere XIV. saeculo scriptus. Folium primum vacuum est, pristinum tegumentum.

Continentur codice pars **psalmorum** cum **commentariis** perpetuis. Singulae paginae 17—22 versus satis magnis litteris conscriptos habent, quibus ipsa verba psalmorum proponuntur, lato clavo commentariorum circumfusos, qui 55 versus uniuscuiusque paginae obtinent, sex plenos versus supra mediam partem, septem plenos versus infra mediam partem, ceteros 42 iuxta verba explicanda, atque ita quidem, ut haec ipsa interiorem partem, commentarius exteriorem partem occupet et libro aperto binarum paginarum altera pars altera prorsus circumcludatur. Ipse psalmorum contextus incipit f. 2$^r$, desinit f. 86$^r$ his verbis psalmi 94, v. 11: *Et isti non cognoverunt vias meas, ut iuravi in ira mea: Si in* (*troibunt in requiem meam* iam desunt).

In ceteris paginis usque ad finem idem spatium quod supra commentario vacuum est, sed psalmi desunt; commentarius usque ad f. 100$^v$ perductus est hic pertinens ad psalmum 105. Media in serie psalmorum commentariorumque magna lacuna est. Octavus quaternio (f. 64$^v$) desinit his verbis: *dum affligit me inimicus* (psalm. 42, 2), f. 65 et 66 psalmis carent ac tantum commentarios exhibent, 67$^r$ incipit: *Deus, venerunt gentes* (psalm. 78). Commentarii initio f. 65$^r$ ad psalmi 77 versum 41 pertinent, f. 64$^v$ extremi ad psalm. 41, 10. Itaque desunt psalmi 42, 3—77, 72; commentarii ad 41, 11—77, 40. Haec esse poterant 36 fere folia, vel 3 seniones vel 4 quaterniones, qui periisse videntur. Litterae initiales aut eae, quae propria quadam ratione et magnitudine scribendae et pingendae erant, praeter unam h initio commentarii totius (*huic Psalmo non est ausus* etc.) omissae sunt. Primus psalmus incipit: *abiit in consilio impiorum.* Verba, quae antecedunt, desunt, nisi quod littera *B* verbi *Beatus* obiter adumbrata est. Itaque etiam ex hac parte opus imperfectum esse apparet.

Ex alio quodam codice in nostrum transierunt f. 101 et 102, frustulum **novi testamenti,** media columna verborum contextum, sinistra et dextera commentarium continens.

f. 101$^r$ inc.: *(ma)gis · tunc adimpletum est, quod dictum est per Ieremiam prophetam* (Matth. 2, 16. 17).

f. 101$^v$ des.: *secessit in patres* (l. *partes*) *Gali(laeae)* (Matth. 2, 22).

f. 102$^r$ inc.: *ut lapides isti panes fiant* (Matth. 4, 3).

f. 102$^v$ des.: *assumpsit eum diabolus in montem* (Matth. 4, 8).

**[Tk.]**

# R 168.

(II. fol. XLIV = S. IV. 1. 7.)

Codex praeter primum folium membranaceum chartaceus 195 foliorum, 0,303×0,211 m, ex 16 senionibus praemissis 3 foliis constans, satis festinante calamo XV. saeculo scriptus. f. 1—3 ab alia manu scripta atque cetera binas columnas habent, f. 1 quinquagenorum, f. 2 et 3 quadragenorum ternorum versuum. Ceterum paginae non divisae sunt. Notae passim in marginibus et inter lineas inveniuntur.

Continentur codice haec:

f. 1ʳ col. 1 *Uniuersus librorum canonicorum tocius biblie* (addendum erat *conspectus*) *Et primo epistola beati Ieronimi ad paulinum Cum suis capitulis Epistola beati Ieronimi habet septem capitula Genesis 50 Exodus 40* etc. — *Apocalipsim XXII.*

f. 1ʳ col. 2 *Incipit proprium officium missale ad invenienda capitula per bibliam epistolarum scilicet et ewangeliorum. Dominica prima de aduentu Epistola Scientes quia hora est Roman. XIII Ewangelium Cum apropinquaret Math XXI* —

f. 3ᵛ col. 1, 19 *Explicit registrum super officium misse et super nouum testamentum.*

f. 3ᵛ col. 1, 21 *Genesis exodus* — col. 1, 31 *apocalipsis. Explicit ordo biblie etc. Item de sancto paulo legitur ter virgis cesus sum semel lapidatus 2ª ad Cho. XI.*

f. 3ᵛ col. 2 vacua est praeter haec verba: *Anno domini milesimo quadragintesimo nonagesimo septimo decolatus est illustris princeps* (eadem narratiuncula plenior f. 195ᵛ).

f. 4ʳ—195ʳ Libri **novi testamenti** cum variis prologis et explicationibus. f. 191ʳ post apocalypsin haec leguntur: *Explicit liber beati Iohannis apokalipsis* (haec verba rubra linea oblita sunt). Antecedunt minutioribus litteris: *Explicit liber beati Iohannis apostoli qui dicitur apokalipsis per manus nescio cuius.* Infra simili ductu addita sunt: *Finis adest operis mercedem posco laboris amen dicamus ut cum christo maneamus.* Sequuntur Ioannis epistulae et ep. Iudae f. 191ᵛ—195ʳ. Post eas f. 195ʳ rubro colore: *Explicit testamentum nouum bonum et utile per omnes 4 ewangelistas et omnes epistolas pauli et omnes canonice epistole petri iacobi et iohannis.* Atramento scripta, minio oblita: *Expliciunt canonice epistole per manus et non per pedes. hic nullus legat quin prius aue dicat.* Minio scripta: *Comparatum est testamentum istud*

*in praga pro quinquaginta grossys quicunque habebit ille in tantum dabit uel non hebebit* (sic). Atramento: *Explicit opus bonum et utile per manus nescio cuius Qui me scribebat ille nomen nequam habebat Finis adest operis mercedem posco laboris Et nemo illi dabat, qui male scribebat.*

f. 195^v^ praeter complures locos ex biblia desumptos legitur: *Anno Domini Milesimo quadragintesimo nonagesimo septimo feria tertia post iohannis decolatus est illustris princeps nicolaus de oppolina in ciuitate nissen et post annum sequentem combustus est oppido czobten feria secunda post assumptionem marie.* (cf. Grünhagen, Geschichte Schlesiens 1, 370 s.)

In operculo anteriore verso praeter ea, quae tantum ad calamum temptandum pertinere videntur sensumque nullum praebent, pia quaedam verba leguntur, ut *In nomine domini amen . . . amen dicamus ut cum christo maneamus . . . aue trinitatis aue castitatis* (cetera hoc loco evanuerunt), *sancte spiritus;* deinde pretium dicitur *pro LVI* grossis; praeterea haec carmina addita sunt:

*Epitafium.*

*Mathias iaceo rex hac sub mole sepultus*
*Temptauit vires Austria victa meas*
*Terror eram mundi metuit me Caesar uterque*
*Mors potuit tandem sola nocere mihi.*

*Dominus petrus.*

*Niteris incassum petri subuertere nauem*
*Fluctuat: at numquam frangitur ista ratis*

*Et porta* (sic) *inferi non praeualebunt aduersus eam Math. XVI*

*Lutherus ad papam*

*Fata monent. stellae dicunt auiumque volatus*
*Tocius subito malleus orbis ero*
*Roma diu titubans magnis erroribus eius*
*Decidet et mundi desinet esse caput.*

*Papa versus Lutherum*

*Fata silent. stelleque tacent. nil praedicat altum*
*Solius est proprium noscere fata dei*
*Niteris incassum petri subuertere navem*
*Fluctuat. at numquam frangitur illa ratis.*

In margine dextro adscripta sunt verba germanica:

*Meynn fatter ist yn mir und ich yn ym.*

[Tk.]

# R 169.

(XXV = S. IV. 1. 8.)

Codex membranaceus formae paene quadratae (0,304×0,256 m) saeculo VII. vel VIII. uncialibus litteris satis magnis diligenter quamquam ab homine minus docto conscriptus. Ad illud quod dixi tempus eum pertinere iam Scheibel p. VII et David Schulz p. 51 ss. in commentationibus infra nominandis censuerunt et propter scribendi genus et propter libri formam aliaque varia indicia. Traube, Nomina sacra p. 105, 108, 109, 112, 161 de VII. tantum saeculo dicit. Singulae paginae in binas columnas satis inter se distantes vicenarum linearum divisae sunt. Hae transversae lineae, item quaternae perpendiculares ad columnas determinandas satis gravi stilo impressae sunt. Praeterea in uniuscuiusque paginae parte inferiore duae lineae transversae satis magno intervallo ad figuras quasdam collocandas ductae sunt.

Codex habet 296 folia in 40 fasciculis, maximam partem quaternionibus. Multifariam in colligandis fasciculis non, ut optima ratio erat, folia duplicabantur, ita ut ex quaternis quaterniones orerentur, sed folia minoris latitudinis inserebantur margine tantum inflexo, ut filum immitti posset; atque etiam toti quaterniones inveniuntur hoc modo instituti velut 187—194, ubi octo simplicia folia consuta sunt filumque octo membranas percurrit. Talibus foliis adhibitis fit, ut nonnulli fasciculi quamquam integri tamen insolitos numeros habeant. Unus eorum maior est quaternione, nempe 9 foliis constans 249—257; quinque minores sunt: 79—83 foliorum 5, 84—87 (4), 151—155 (5), 172—178 (7), 242—248 (7). Quaterniones non integri f. 1—6 (desunt 2 folia), 144—150 (deest 1), 203—209 (deest 1), 266—271 (desunt 2), 288—293 (desunt 2), 294—296 (desunt 5 folia). Omnia si computantur, 40 illi fasciculi ad 296 folia redeunt (320—11—13). Post f. 257 universus fasciculus deest, quem sequebatur olim 242—248 nunc alieno loco insutus, et post 248 secundum genuinum ordinem proximum folium est 258 nulla lacuna. In initio et in fine codex mutilus est; complura folia maxime in extrema codicis parte non iam integra sunt atque etiam situ et madore male habita.

In ultimis complurium fasciculorum paginis ordo numeris vel litteris significatus est; alia pars signorum propius marginem inferiorem posita cum margine ipso abscisa est. Nam certe plerique margines olim latiores fuerunt. Quod maxime perspicuum est in margine dextro

vel sinistro, cuius in nonnullis foliis pristina amplitudo conservata est foliis implicatis, ut verbis hic appositis parceretur. Sed in superiore quoque et inferiore margine quaedam abscisa esse hic illic facile cernitur. Quaternionum signa haec etiamnunc inveniuntur: IIII (f. 14), V (f. 22), VI (f. 30); D (f. 178), E (pars superior tantum exstat f. 186), G (f. 202), H (f. 209), I (f. 217), K (f. 225), L (f. 233), M (f. 241), P (paulum evanida f. 248), S (f. 279). Schulz p. 9 horum tredecim signorum octo (IIII—VI, H—M) enumerat; Haase in editione omnia habet praeter D et E. Hi numeri litteraeque ab eadem manu, quae codicem scripsit, additae sunt.

Membranae sunt dispares, aliae crassiores aliae tenuiores; in multis foramina sunt vel aliis frustulis membraneis obtecta, ut inscribi possent, vel aperta relicta. Recentiora detrimenta in extrema potissimum parte codicis charta sunt resarta verbis non restitutis.

Continentur codice:

**1) Quattuor evangelia** secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, Iohannem verbis Latinis expressa non secundum Hieronymum, quamobrem a vulgata quam dicunt recensione multis locis differt. Inter codices Latinos Novi Testamenti noster littera l significari solet, cf. Holtzmann, Einleitung p. 58 et Herzog-Hauck, Real-Encyklopädie s. v. Bibeltext.

f. 1$^r$ incipit a verbis Matth. 2, 15. 16: *filium meum. tunc herodes uidens.* Desunt igitur quae antecesserant verba ipsius evangelii et prologus capitulorumque enumeratio, quae omnia duorum fere quaternionum spatium explevisse docet numerus IIII f. 14$^v$.

f. 87$^v$ desinit Matthaei evangelium (28, 20): *et ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. amen amen amen.* Additum est spatio duarum fere linearum interiecto *expl.* (*t secundum mateum* alia vetere manu adscriptum).

f. 88$^r$—89$^v$ Prologus in Marcum inc. *Marcus euangelista dei. et petri in baptismate filius* des. *qui autem incrementum dat deus est.* Subscriptum a vetere correctore *expl. incipiunt capitula parabolarum.*

f. 89$^v$—92$^r$ Capitula inc. I *et erat iohannes* des. *et receptus est in caelum dominus.* Subscriptum *expliciunt capitula parabolarum feliciter.*

f. 94$^r$—150$^v$ Marcus. f. 94$^r$ in margine a correctore superscriptum *secundum marcum.* Inc. 1, 1 *Initium euangelii Iesu Christi fili dei.* Des. 16, 19 *adsumptus est in caelum et sedit ad dextris dei.* Post 150 unum folium cum extremis Marci verbis excidit.

f. 151$^{r}$—152$^{v}$ Prologus in Lucam inc. *Lucas syrus anthiocensis* des. *quam fastidientibus prodidisse.* Subscriptum *expl. prologus.* et spatio duarum linearum interiecto, in quo quae antea scripta erant erasa sunt, a correctore additum *incipiunt capitula parabolarum.*

f. 152$^{v}$—155$^{v}$ Capitula inc. I *Zacharias angelo non credens* des. *passio iesu et sepultura et resurrectio eius.* Subscriptum spatio satis magno (fere 3 linearum) interiecto *explicit.*

f. 156$^{r}$—257$^{r}$ Lucae evangelium. Superscriptum a vetere illo correctore in margine: *in euangelium secundum Lucam.* inc. *Quoniam quidem. multi conati sunt ordinare narrationem* des. *et erant in templo semper laudantes deum. amen.* Sequitur versus apicibus tantum impletus, sic fere: *lml* (rubri) *lml lml* (rubri) *lml,* tum subscriptio: *expli. euangelium secundum lucam.* Infra haec verba avis picta est maximam partem viridis addito quibusdam locis rubro colore rostro cor item viride (vel folium?) tenens, quod ex filo pendere videtur. f. 202$^{v}$ desinit in verba 11, 27: *beatus uenter. qui te portauit. et ubera quae suxisti.* f. 203$^{r}$ incipit (11, 37) *recubuit.* (11, 38) *pharisaeus autem coepit.* Lacuna facta est, quod unum folium excidit (primum fasciculi H). f. 242—248 = fasciculus P per errorem hic inserta ad Lucam non pertinent, immo f. 241 fasciculi M ultimum sequebatur recto ordine f. 249 (fasciculi N primum).

Initium Iohannei evangelii cum prologo et capitulis erat in fasciculo O qui periit. Sequitur P = f. 242—248. Inc. (Ioh. 1, 16) *eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia.* Post f. 248 oratio pergit f. 258 (fasciculi Q). f. 268$^{v}$ desinit in verba (6, 31. 32) *panem de caelo dedit eis manducare. dixit ergo eis iesus;* f. 269$^{r}$ incipit (6, 62) *quia murmurabant discipuli eius.* Desunt duo folia, quae fuerunt fasciculi media. f. 287$^{v}$ desinit (11, 56) *(in) templo stan(te)s et dicentes.* f. 288$^{r}$ incipit (12, 10) *sacerdot . . ut et lazarum interficerent.* Excidit ante 288 folium fasciculi (U) primum. Cum eo cohaerebat ultimum post 293. Etiam primum sequentis fasciculi, qui extremus nunc codicis est, periit, ut inter f. 293 et 294 duo folia desint. Lacuna est inter verba (13, 34) *sicut eg(o) dilexi uos ut eos uos* et (14, 23) *respondit iesus et dixit ei.* Unum folium deest inter 294 et 295; lacuna patet inter (15, 3) *iam uos mundi estis sed non omnes.* et (15, 15) *a patre meo nota feci uobis.*

Denique desinit codex f. 296$^{v}$ his verbis (Ioh. 16, 13): *non enim loquetur a semet ipso. sed haec quaecumque audit loquetur. et futura uobis* ... Reliqua perierunt, quae duobus fere quaternionibus contineri poterant.

Rubro colore distincta sunt initia evangeliorum ipsorum et capitulorum, vel tres et plures vel duo vel unus versus. Litterae initiales, qualis codex nunc est, quinque inveniuntur (f. 88$^{r}$, 94$^{r}$, 151$^{r}$, 152$^{v}$, 156$^{r}$) variis ac satis grandibus lineis coloribusque ornatae monachorum hibernicorum consuetudinem prae se ferentes. Hic illic pictura quaedam addita, ut avis, de qua supra dictum est, in fine Lucae. Iuxta verborum contextum adiecti sunt numeri rubri sectionum Eusebianarum, praeterea titlorum qui vocantur, qui sunt maiores quaedam partes. In singulis paginis infimis more Syriaco vel Gothico conspectus locorum evangelicorum similium datus est quadripartitus, ita ut singula evangelia singulis arcubus includantur, hoc ordine: Matthaeus Marcus Lucas Iohannes, nisi quod is liber, cuius quaeque pagina est, anteponatur. Laterculorum illorum bini in sinistra parte, bini in dextera parte sunt intervallo quodam relicto, quod variis figuris rudi arte pictis expletur, arbore, cruce, stella, calice, pisce, aliis rebus quae vel omnes vel magnam partem ad fidem christianam et traditionem biblicam aliquo modo pertinere videntur. Est, ubi anguis arborem amplectatur; alio loco agnus de ea pascitur vel avis adest.

De ordine genuino evangeliorum David Schulz p. 11 non putavit iudicari posse, cum signaturae quaternionum ei tantum in Luca exstare viderentur. Sed quoniam in Iohanne et P et S inveniuntur, quae illum fugerunt, dubitari nequit, quin Lucam Iohannes in hoc codice semper secutus sit. Atque conspectus quoque, de quo egimus, similium locorum cuique paginae subditus eundem usitatum ordinem habet.

Praeter veterem correctorem qui similibus uncialibus utebatur complures aliae manus et vetustiores et recentiores notas adiecerunt. Quas inter manus satis vetustam commemoro langobardicam, quod haec non solum nonnullas breves adnotationes adspersit sed libellum quendam proprium codici inseruit.

**2)** f. 92$^{v}$—93$^{v}$ his langobardicis saeculi VIII. vel IX. litteris quatenus spatium patet lectiones ecclesiasticae singulis diebus festis statutae enumerantur. Superscriptum est: *in nomine domini incipit capitulare euangelii.* Incipit: *M. decembrio de auentum domini prima domenica euangelium sec. matthe. cap. CCXLVII: cum uideretes abuminacionem desolacionis.* Desinit: *In uigiliis sancti Iohannis sec. matthe. cap. CII Iohannes cum adissent in uincolis opera christi.* Hic dies festus est mensis Junii. Apparet igitur satis magnam partem opusculi

etiam restare, cui hic non erat locus. Sed fortasse in alia codicis parte nunc non exstante res absolvi potuit.

Codicem ex Italia oriundum esse per se intellegitur. Leguntur autem in margine dextro f. $2^r$ quaedam verba, ex quibus aliquid accuratius effici potest: *Questo libro si vene daquilegia 1451* . . . (quae sequuntur non perspicio). Liber igitur Aquileiensis erat et Aquileiae usque ad XV. saeculum remansit. Haase cum codicem edere inciperet, in primae particulae praefatione p. 3 hanc rem breviter strinxit (*quem olim Aquileiensem fuisse docebo*) et in sextae particulae (ultimae) praefatione p. 1 iterum commemorat: *Aquileiensem autem eundem certe ante medium saeculum XV. fuisse alibi docebimus.* Nusquam sane docuit, quoniam anno post (1867) mortuus est, antequam eam partem, quam editioni adiungere voluerat *de codicis antiquitate et virtutibus et vitiis,* confecisset. Sed vix dubium est, quin quod ille de Aquileia dixit ea quam attuli adnotatione marginali nitatur. Si recte codex ecclesiae Aquileiensi tribuitur, capitulari illo foliis 92 sq. conscripto usum ecclesiasticum Aquileiensem demonstrari putandum est.

Postea codex aliquamdiu Veronae fuisse ibique a Rehdigero emptus esse videtur. Legitur enim in f. $257^v$ ceterum vacuo paulo infra marginem superiorem: *69 6. Ienaro Verona* (die 6. Ianuarii 1569).

Egerunt de codice nostro eoque usi sunt ad studia sua litterasque omnino promovendas:

1) Iohannes Ephraim Scheibel, Codex quatuor evangeliorum Latinus Rehdigerianus. Matthaeus et Marcus cum textu Graeco et editione vulgata collatus. Vratislaviae 1763. (Adiectae sunt duae tabulae, quibus duo codicis folia continentur.)

2) Davides Schulz, De codice IV evangeliorum bibliothecae Rhedigerianae in quo vetus latina versio continetur. Accedunt scripturae codis specimina. Vratislaviae 1814 (Natalitia Friderici Guilelmi III. celebranda indicit). Collationem codicis editioni N. T. Griesbachiani a se curatae inseruit 1827, cf. p. XVII.

3) F. G. Haase, Euangeliorum quattuor vetus latina interpretatio ex codice Rehdigerano nunc primum edita part. I—VI (I Ind. lect. in univ. Vratisl. per aestatem 1865 hab.; II Diem natalem Guilelmi I die 22. Martii celebrandum indicit 1865; III Ind. lect. per hiemem 1865 hab.; IV Ind. lect. p. aest. 1866 hab.; V Diem. nat. Guil. I cel. ind. 1866; VI Ind. lect. p. hiem. 1866 hab.). Hac editione accuratissima factum

est, ut quicunque vellet verba codicis, etiamsi ipsum non inspiceret, penitus cognosceret. Tantum qui de figuris ornamentisque acturus est, librum ipsum adeat necesse est.

4) Ernestus Ranke, Fragmenta antiquissimae evangelii Lucani versionis latinae e membranis Curiensibus edidit atque adnotationibus criticis instruxit. Vindobonae 1873.

Inter eos homines doctos, qui in rebus ecclesiasticis tractandis occasione data Haasii editione nituntur, exempli gratia nominetur E. Chr. Achelis. In eius libri qui inscribitur Praktische Theologie volumine II (1891) p. 68 sqq. dies festi lectionesque biblicae quae in capitulari f. 92 sq. inveniuntur, enumerantur. Quamquam quod dicit „Codex Rehdigeranus (7. Jahrh., ed. Haase aus e. langobard. Abschrift des 9. Jahrh. 1866)“, non recte se habet ac prope sensu caret. Doleo quod etiam in novissima editione (tertia) vol. I p. 284 adnot. 1 idem error vix intellegendus redit. Ceterum in hac editione non uno loco omnes partes capitularis enumerantur sed hic illic singulae commemorantur.

De capitulari egit D. G. Morin, Revue Bénédictine 19 (1902), p. 1—12: „l'année liturgique à Aquilée antérieurement à l'époque carolingienne d'après le codex evangeliorum Rehdigeranus“. Censet hanc liturgiam similem esse Mediolanensi magis quam Romanae et quasdam res profert ex evangeliis et ex liturgia petitas, quae opinionem de Aquileia prolatam confirment. Ceterum de compluribus capitularis locis dubitat num Haase ut talium rerum minus peritus omnia recte legerit. Sed inter hos unus tantum est, ubi revera Haase erravit: in codice non est *in ascensu dom.*, sed *in ascensa dom.*, ut Morin coniecit.

**[Tk.]**

## R 172.

(CVII = S. IV. 1. 11.)

Codex membranaceus formae maioris (0,2×0,265 m) foliorum 80 (decem quaternionum) est, quorum f. 9 ∾ 16, 11 ∾ 14 postea ab altera manu scripta et inserta sunt. Triceni bini versus in singulis paginis occurrunt. Scriptura nitida saec. XIV., sed in primis et extremis singulorum quaternionum paginis contrita; plurimae notae margini sunt adspersae. Insunt in hoc codice complures tractatus astronomici, ex arabico plerique in latinum conversi.

**1)** f. 1r *Incipit lib(er) . 4. t(ra)ctatuu(m) ptholomei alfilludhr*[1]) *i(n) sci(enti)a iudicior(um) astr(orum) . . . Rerum yesure i(n) q(ui)b(us) p(ro)nosticabilis* — f. 46r med. *i(m)pone(re) n(on) i(n)c(on)gruu(m) existimam(us).*

Haec **Ptolemaei quadripartiti** recensio saepius typis mandata est, v. c. Firmici Materni operibus adnexa in editione Hervagiana, Basileae 1551.

**2)** f. 46r med. duorum tantum versuum spatio intermisso sequitur tractatus astronomicus auctoris mihi quidem ignoti (*cum p(ro)iect(i)one(m) radior(um) stellar(um) scire volue(r)is. scias g(ra)d(us) ascendentis* — f. 46v 11: *collectu(m) fue(r)it, erit loc(us) radiat(i)o(n)is equate*). f. 47, 48 scriptura vacant.

**3)** f. 49r *Incipit lib(er) d(e) ag(re)gat(i)o(n)ib(us) sci(enti)e stellar(um) (et) p(ri)ncipiis celestiu(m) motuu(m) q(uem)* ***ametus*** *fili(us) ameti q(ui) dict(us) e(st)* ***alfragan(us)***[2]) *c(om)pilauit.* Post capitum laterculum incipit caput I: *Numerus m(en)siu(m) a(n)ni arabu(m) (et) alior(um) o(mn)iu(m) e(st) . 12. m(en)ses* — f. 68v extr. *q(uod) sufficit i(n)tellige(n)ti. (et) in hac arte i(n)telligenti. Expletus est liber ameti alfragani. deo Gratias.* Editum Francofurti 1590 (Muhametis Alfraganus Arabis Chronologica et Astronomica curante auctore M. J. Christmanno).

**4)** f. 69r 1 *Incipit lib(er)* ***thebit bencorath***[3]) *d(e) motu octaue spere. Imaginabor sp(er)a(m) eq(ua)to(r)is diei (et) tres c(ir)c(u)los* — f. 77v extr. *Quia q(ui)dda(m) modicum remansit. Explicit liber thebit bencorath.* Varii tractatus astronomici ab eodem auctore confecti.

**5)** f. 78r in. *Dixit hermes q(uod) sol (et) luna p(os)t deum* — f. 80v med. *nu(m)q(uam) peccabis cu(m) dei auxilio. Expliciunt flores diui hermetis trimesti crisoretheostonos.* Tractatus cui volgo „**Hermetis Trismegisti** centum aphorismorum liber" inscribunt, saepius editus est ut in Hervagiana Firmici editione modo laudata. *crisoretheostonos* graecum aliquod vocabulum, in quo hariolari nolo. **[W.]**

---

[1]) „de hoc nomine e *Κλαυδίῳ* corruptum v. Rose, Herm. VIII 333, Steinschneider, Zeitschr. d. Dtsch. Morgenländ. Ges. L, 200." Brockelmann.

[2]) „Ahmad ibn Mohammed al Fargâni, cuius Elementa astronomica edita sunt Amstelodami 1669." Br.

[3]) „Iâbit ibn Qorra, Arabum vir mathematices doctissimus, mortuus anno 901." Br.

# R 177.

(LXXVI = S. IV. 1. 16.)

Codex chartaceus miscellaneus saec. XV., 0,297×0,215 m, foliorum 377, ex quibus 31 fasciculi consuti sunt, plerique seniones interpositis 16. loco septenione, 26. octonione. In senione septimo (f. 73—83) post f. 76 unum folium decisum, ad senionem decimum (f. 108—119) duo folia adiuncta sunt, senio quartus decimus (f. 158—168) ultimo folio deminutus est, item fasciculi 18 (f. 207—217) ultimum folium resectum est. Unde hic fit conspectus: 31 fasciculorum 1—15 (seniones) = f. 1—180; 16 (septenio) = f. 181—194; 17—25 (seniones) = f. 195—301; 26 (octonio) = f. 302—317; 27—31 (seniones) = f. 318—377. Fasciculi 19—25 (f. 218—301) numeros olim habebant, partim etiamnunc habent 1—7; folium 218 olim primum sui libri fuisse specie decolorata apparet. Singulae paginae in binas columnas divisae sunt versuum 42—58.

Per totum volumen miscellum manus discernendae videntur fere 13: manus 1 = Iohannes Andreae scripsit f. 1—33$^{r}$; 36$^{v}$—62$^{r}$; 73$^{r}$ I, 1—4; 108$^{r}$—108$^{v}$ I; 111$^{r}$—113$^{v}$; 120$^{r}$; 122$^{r}$; 169$^{r}$—170$^{v}$; 214$^{v}$—215$^{v}$; 216$^{v}$—217$^{v}$; manus 2 f. 33$^{v}$—35$^{v}$ (1 hic illic in margine); 62$^{v}$—72$^{v}$ (m. 1); 216$^{r}$; manus 3 f. 73$^{r}$ I, 4—107$^{v}$ (m. 1); 108$^{v}$ II—110$^{v}$; manus 4 f. 114$^{r}$—119$^{v}$ (m. 1); manus 5 f. 122$^{v}$—157$^{v}$; manus 6 f. 158; manus 7 f. 159$^{r}$—167$^{v}$ (= 216$^{r}$?); manus 8 = Petrus de Wintzik (vyno) f. 171$^{r}$—204$^{r}$ (m. 1); manus 9 f. 204$^{v}$—214$^{r}$; manus 10 f. 218—300$^{v}$; manus 11 f. 301$^{r}$; manus 12 f. 302$^{r}$—367$^{r}$; manus 13 f. 367$^{v}$—377$^{v}$.

Satis multa folia signa quaedam chartae impressa habent. Aut est caput bovinum, unde hasta satis longa surgit in stellam vel rosam exiens aut asini caput isdem additamentis. In ea charta, quae toti volumini praefixa est, vir et femina alter ad alteram conversus perlucent, vir poculo sublato velut propinans, femina manibus cor et ipsa quoque poculum quoddam vel nescio quid gerens. Inter illos herba quaedam nascitur, infra eos subscripta sunt haec fere verba „allmodpaper", quae ad XVII. saeculum pertinere videntur.

Hic illic notae germanicae additae sunt, velut 181$^{v}$ I in sinistro margine *Czu iuden und czu kristen Wo ich mag,* 182$^{r}$ I infra *Hut dich vor deme,* 185$^{r}$ I infra *dy do habir inkeuffen vide hic,* 187$^{v}$ II infra *Obirbiten et inducere ho(mines) ad carius emendum.*

Litterae initiales complures magnitudine et coloribus distinctae sunt; minium satis multis locis adhibitum est.

Insunt in volumine:

1) f. 1—27$^r$, 1 *Tractatus sancti* ***Thome*** *de dileccione dei et proximi.* Inc. *Magister quod est mandatum magnum in lege.* Expl. *de sponsa subarrata fit coniunx consumata per ihesum principem summe maiestatis, abbatem summe sanctitatis, sponsum summe caritatis. Qui cum deo patre et spiritu sancto vivit et regnat deus benedictus in secula. amen.* Subscriptum f. 27$^r$ I *finitus est iste tractatus sancti Thome de Aqino doctoris excellentissimi de duobus primis mandatis. dei videlicet et proximi dileccione. in profesto virginis eximie sancte Barbare. Anno domini M°CCCC°XL$^{mo}$. | Per Iohannem Andree de Nysa. Cui post obitum suum cesserit ad legendum. sui poscit memoretur.* Col. 27$^r$ II vacua.

2) f. 27$^v$—31$^r$ *Tractatus bonus de celebracione misse editus a magistro* ***Iohanne de Garson*** (l. *Gerson*) *sacre theologiae professore studii parisiensis summo cancellario.* Inc. *Dubitatum est aput me frequenter et diu praesertim post susceptum sacerdocium siquis nocturno pollutus sompnio a celebrando missam cessare deberet.* Expl. *Deum time in te non sperans in se fidens et mandata eius obserua. quod in te est non obmittens. Hic est omnis homo.* Subscr. *Et sic est finis. per Iohannem Andree scriptus.*

Exstat hic tractatus in editionis operum Gersonianorum Antverpiae a. 1706 confectae parte III a pag. 323 usque ad 334 inscriptus ‚de praeparatione ad missam et pollutione nocturna vel de dignitate celebrationis'.

3) f. 31$^v$—33$^r$ *Tractatus de arte audiendi confessiones* ***M. Io. de Gersona*** *Cancellarii Parisiensis* (= Gersonii operum II 446—453). Inc. *Etsi virtus quam assuefactio gignit, certius quam ars operetur, non nichil tamen prodest artis traditio apud eos qui nondum perfecti sunt in virtute.* Expl. *Et quia siquis ad opus hoc saluberrimum bona fide processerit, ille plus exercendo et orando quam legendo erudietur atque proficiet etc.* Subscr. *finis huius hic est. per Io. An. s.* (= *per Iohannem Andree scriptus*).

4) f. 33$^v$—34$^v$ I *Tractatus de remediis contra recidiuum peccandi a confessoribus dandis* (= **Gerson** II 457—459 ‚tractatus de remediis contra recidivum peccati'). Inc. *Habet hoc proprium ars quaelibet ut faciliori compendio ad finem ducat optatum.* Expl. *et* (l. *ut*) *cum* (l. *eum*) *in omnibus, et super omnia diligentes promissiones suas que omne desiderium superant sequamur amen.*

5) locus quidam fere = **Gerson** II 456

f. 34$^{v}$ I, 37—51 et 34$^{v}$ II, 1 (16 versus). Inc. *Preterea ille circumstancie . . . inquirende sunt in confessione a confessore, Quis quid ubi . . .* Expl. *Tempus locus motus* (l. *modus*) *numerus mora scientia etas amen.*

6) f. 34$^{v}$ II—35$^{v}$ *de efficaci oratione* (= **Gerson** III 271—275 quibusdam rebus omissis). In margine superiore huic titulo antecedunt verba: *Magister Ioh gerson Cancellarius parisiensis in ser(mone) Obsecro vos tamquam ad(venas) in concilio Constanc.* (cf. Gerson III 269.)

Inc. 34$^{v}$ II, 2ss.: *Sit oratio, non obsecratio agilis et expedita bonis associata, patiens et benigna* (ad verba *bonis* — *benigna* adscripta littera *b*) *Sit amicabilis et modesta* (adscripta *a*) *Sit libera et seruiliter alligata, Sit demum humilis et subiecta.* A sinistra parte huic columnae minio adscripta: *alia materia.* Expl. 35$^{v}$: *Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros ad te dirigamus per orationem scilicet que victrix et domina nature est etc.*

f. 36$^{r}$ vacuum.

7) f. 36$^{v}$ I *Sanctus Iero(nym)us in epistula contra Iouinia(nu)m prima de conuersacione cum mulieribus.* Sunt 10 versus. Inc. *Non dixit apostolus. Bonum est uxorem non habere.* Expl. *et diuersitatem sexus intelligit* (= **Hieronymus** ed. Francofurti ad Moenum 1684, epistul. tom. II p. 17 inf., 18 supr.).

8) f. 36$^{v}$ II *Ex tracta(tu)lo Magistri Iohannis* ***Gerson*** *qui incipit Sinite paruulos venire ad me* (Gerson III 277ss.: ‚Tractatus de paruulis trahendis ad Christum') 5 versus: *Quatuor s(em)p(er) iniunxit sibi confitentibus paruulis* etc. (cf. Gerson III p. 290).

Ceterum 36$^{v}$ vacuum.

9) f. 37$^{v}$—42$^{v}$ *Tractatus de valore orationis Cancellarii* ***Ioh. Gerson*** *ad fratrem suum.* Ipsi opusculo haec praemissa sunt: *Incipit tractatus v(e)n(erabi)lis doctoris Iohannis gerson olim Cancellarii parisiensis, de oratione et suo valore, continuacione et intencione. sub pluribus consideracionibus traditus et conscriptus sub Constanciensi Concilio generali sancte ecclesie, anno domini M°CCCC°XVI$^{mo}$. Incipit prima pars et manuduccio in ipsius consideraciones, ostendens proprie pertinere ad monachi uocacionem et professionem orationi insistere in qua q(ua)l(em) esse d(ec)eat ipsum consti(t)u(i)t.* (Inter columnas adscriptum:) *instru(i)t.*

cf. Gerson III p. 247—262.

Inc.: *Oportet semper orare et non deficere.* Expl. 42$^{v}$: *Similiter quod passionibus sit alienus qui de moribus iudicat.* Subscriptum: *Finis huius k(a)r(issu)me m(ateri)e.*

**10)** f. 43$^{r}$—45$^{r}$ ***De locione pedum*** *sermo in Cena domini. factus in Concilio Basiliensi.* Inc.: *Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lauet Io XIII. legimus Ysaiam a deo electum ut Iudaice genti future affliccionis communicacionem indiceret si forte ab impietate conuerterentur in viam domini Cum vir pollutus labiis esset priusquam rem ipsam ordiretur ab angelo labiis purgatum esse.* Expl.: *in terris celibem vitam agemus et demum sue glorie nos faciet participes Christus Iesus qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat in secula benedictus amen.*

Sequitur una linea intermissa

**11)** ***De sancto Martino*** f. 45$^{r}$—48$^{r}$. Inc.: *Inuenit gratiam coram oculis domini Eccl. XLIIII. Originaliter habentur haec verba in leccione p(raese)ntis officii nunc recitata.* Expl. *Sic beatissime confessor martine ecce nomen tuum fulget per secula. petimus ut tuis sacris meritis iuuetur ecclesia a domino quod procedat.* 2 lineis intermissis haec sequuntur 16 versibus conscripta: *Gratia incipiens. proficiens · perficiens,* similia de gratia, tum: *Signa consumacionis gloriosi beatissimi martini. praenunciacio mortis sue* etc.

f. 48$^{v}$ vacuum.

**12)** f. 49$^{r}$—56$^{r}$ ***Tractatulus de Indulgenciis.*** Inc. *Post hec considerandum de potentia pape, ut est infra terram.* Legitur f. 51$^{r}$ II inf.: *Sequitur de causa indulgencie.* f. 53$^{r}$ nova pars inscribitur: *De recipienti indulgentiam.* f. 54$^{r}$ II titulus: *De effectu indulgencie.* Expl. 56$^{r}$ II, 8—11: *multi sunt similiter qui carent illis qui faciant pro eis pertinencia ad utilitatem ecclesie pro qu(a) ordinatum est indulgentias valere ergo potestate legitima et ordinaria talibus thesaurus ecclesie aperiendus non est Sed loquendo 3$^{oo}$* (hic desinit). In margine adscriptum: *tantum fuit in exemplari.* f. 56$^{r}$ ceterum vacuum.

**13)** f. 56$^{v}$ ***Quantum valeant indulgencie.*** Inc.: *Notandum, 4$^{o}$ s(um)marum d(ici), quod indulgencie tantum valent quantum so(na)nt.* Expl.: *nec per alium modum inuenitur per quem possit petri sedes celum claudere uel aperire etc.*

**14)** f. 57$^{r}$—59$^{r}$ *Sermo de passione domini factus in Concilio Basiliensi anno domini M$^{o}$CCCC$^{o}$XXXV per eleemosinarium Serenissimi domini Regis Arragonum Ambasiatorem religiosum et virum scientificum.*

Rex est Alfonsus V., eius eleemosinarius **Bernardus Serra**, cf. Concilium Basileense vol. III, Studien und Quellen zur Geschichte des Konzils von Basel, Basel 1900.

Inc.: *Superioribus diebus sinode sa(n)c(tiss)ima dum ad sacra missarum sollempnia aliaque divina officia conuenisti sedebas quasi sponsa. variis uestibus et preciosis ornata.*

Expl.: *ut in aduentu eius qui utriusque rei erit reuelacio partem in resurrectione iustorum habere mereamur, quando v(er)a vita nullis mortis tenebris obscurata lucebit, quam nobis parare dignetur etc.*

**15)** f. 59$^{v}$ *Ex tractatu beati* ***Uberti*** *de vita monastica* (30 versus).

Inc.: *Omne quod fit conscienciam edificat ad Jehennam.*

Expl.: *Si enim sic fierent indubie caritatem proximi necarent et mortalia fierent, hec ibi* (desinit).

f. 60 vacuum.

**16)** f. 61—70$^{v}$ I *Tractatus de praeceptis de confessione de scientia mortis domini* ***Johannis Gerson*** *Cancellarii parisiensis Tripartitum* (= Gersonii vol. I, p. 426—450).

Inc. *Christianitati finis* (corr. *suus*) *qualiscunque zelator, prosperum ad uirtutes viciis ecpuls(as) incrementum salubre duxi sequens opusculum tripartitum, de praeceptis, de confessione, de scientia mortis, breuiori modo quo potui tradere quatuor praesertim christianorum generibus profuturum.*

Expl. *Ne quis ibidem eger su(s)cipi poss(et) qui non primo ingressus deo confessionem faceret, uel idoneo sacerdoti ad hoc ipsum deputato paratus confiteri se continuo p(raese)ntare sic(ut) in domo dei parisiis laudabiliter obseruatur etc.*

**17)** f. 70$^{v}$—72$^{v}$ ***De Conceptione b(ea)te marie v(i)rg(in)is*** (haec verba in margine superiore 70$^{v}$, 2; sequuntur in ipsa columna:) *De sermone pronunciato in Concilio Constan(ciensi) de conceptione beate virginis.*

Inc.: *Dominus dabit vobis signum Ecce virgo concipiet . . .*

Expl.: *propter hoc dabit deus ipse vobis signum etc.*

**18)** f. 73$^{r}$—79$^{r}$ ***Richardus*** *de potestate ligandi et soluendi* (= Richardus a Sancto Victore, Patrol. lat. ed. Migne 196, p. 1159—1178).

Inc.: *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum et in celis.*
Expl.: *Beatus vir cui deus non imputauit peccatum etc. et sic est finis.*

**19)** f. 79ʳ—83ᵛ *Pronunciatus in sacro concilio anno XXXVI Dominica quarta XLme* (sc. **sermo**).

Inc.: *Iherusalem spiritualis mater nostra militans ecclesia per hunc vestrum cetum gloriosum legittime repraesentata . . .* Expl. *ad illam celestem i(e)r(usa)l(e)m illic perpetuo gauisuri rosam illam speciosissimam que christus est in perpetuum munus laborum vestrorum recepturi conscendere valeatis prestante eodem domino nostro cui laus honor decus et imperium in secula seculorum amen.*

**20)** f. 84—96 *Sequitur materia* ***de conceptione beate Marie virginis.*** In margine superiore: *In Concilio Basiliensi pronunciatus.*

Inc.: *Sapiencia aperuit ora mutorum et linguas infancium fecit disertas sapi(enti)e V. De concepcione immaculate marie virginis Queritur utrum in originali peccato concepta fuerit uel ab eo preseruata.*

Expl. *fideles et deuoti debent istam anticipacionem cum pia quadam importunitate requirere et procurare Amen.*

**21)** f. 97ʳ—98ʳ II *Sermo de passione domini beati* ***Bernardi Clarevalensis*** *abbatis.*

Inc. *O vos omnes qui transitis per viam attendite et videte si est dolor similis sicut dolor meus.*

Expl. *Recordare de amara passione domini nostri iesu christi et fidem eius firmiter serua. Sic numquam recedas ex constancia virtutis sed manebis in bono proposito. In quo nos confortat iesus christus et perducat nos ad regna celorum Amen.*

f. 97ᵛ, 1 in margine inferiore alia manus (1) minio adscripsit: *nescio si hic sermo sit b. Bernardi, licet sibi ascribatur.*

**22)** f. 98ʳ, 2—101ʳ *Sermo* ***beati bernardi*** *de compassione beati* (l. *beatae*) *Marie virginis.* Inc.: *Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis ymbrem lacrimarum . . .* Expl.: *Sic usque conducitur plorantibus plorans donec venerunt ad domum Johannis ibique remansit et Johannes eam in domo sua retinuit et super propriam matrem eam toto corde amauit.*

**23)** f. 101ʳ—106ʳ, 1 ***Johannis ewangeliste*** (sc. **sermo** die festo habitus). Inc. *Sic eum volo manere donec veniam Johannis ult(imo) originaliter scribitur praesens verbum et officialiter in ewangelio hodierne festiuitatis statim lecto.* Expl. *ut laboribus eius digne remuneracionis premium reddam. Cuius nos participes qui in trinitate perfecta viuit et regnat etc.*

**24)** f. 106$^{r}$ I—110$^{v}$ ***Concepcionis Marie*** (sc. **sermo** die festo habitus). Inc. *Tota pulcra es amica mea et macula non est in te.* Expl. *consilium istud ipsum non poterunt homines dissoluere promouente protegente et prosperante ipsum ad laudem sue matris deo et dei filio iesu christo saluatore nostro Qui cum patre et spiritu sancto regnat unus deus in secula Benedictus Amen.*

**25)** f. 111$^{r}$—120$^{r}$ *Sermo habitus in concilio Basiliensi per* ***Alfonsum decanum compostellanum*** *Oratorem sanctissimi Regis Castelle in sollempnitate sancti Thome de aquino anno domini M°CCCC°XXXV.* In medio margine superiore leguntur verba: *Sermo sancti Thome de aquino.* Inc.: *Antiquos oratores Reverendissimi patres cum in concione loqui oportebat rem ipsam quae uertebatur aggressos legimus.* Expl.: *In operationibus autem uite actiue communicant eciam inferioris nostri corporis uires quae sunt nobis et animalibus brutis communes etc. ibid.*

De eo, qui f. 114—119 scripsit, 114$^{r}$ II in margine inferiore manus 1 hoc iudicium tulit (minio scriptum): *Si non est formosa scriptura, est tamen materia bona, is hot eyn meisnerer geschriben.*

f. 120$^{v}$ et 121 vacua.

**26)** f. 122—167$^{v}$ **Summa aurea.** Suprascriptum f. 122$^{r}$ I in margine superiore: *Capitola Auree summe.* Inc.: *Ad honorem omnipotentis dei beate Marie virginis puerpere Beatorum apostolorum petri et pauli et Sanctorum Stanislai Nicolai Martini ac sancte Marie Magdalene Incipiunt Capitula tocius istius auree summe etc.* Post enumerationem capitulorum sequitur f. 122$^{v}$, 2 inf.: *Iste liber nuncupatur summa aurea uel flores sanctorum patrum.* Inc.: *Quoniam peccantibus post baptismum mortaliter remedium est ad vitam sola penitentia . . . nam* (legendum: *iam*) *mihi satis utile est visum ex sanctorum patrum sentenciis qui de hac materia in multis opusculis ante nos diffuse tractaverunt flores aliquos colligendo penitencie modum ordinemque describere et hoc opusculum in XV particionibus diuidere.* Expl.: *Ipsa eciam sapientia maximum opus est et antefertur maria que audiebat marthe que ministrabat. Gloria tibi domine de complecione operis ad honorem tui nominis gloriosi etc.*

f. 168 vacuum.

**27)** f. 169—204$^{r}$ *Tractatus Magistri* ***Mathei de Crac(ovia)*** (sc. de contractibus). Inc.: *Capitulum prohemiale tocius operis ostendens difficultatem et necessitatem scribendi in hac materia in prosecucione apparebit.* Expl.: *iudicant licite posse retineri, non obstante quod dans*

*peccet nisi dando, et recipiens meretur cum peccato ut superbia auaricia uel luxuria et ceterys.* Subscriptum: *Explicit tractatus de contractibus empcionis et vendicionis donacionis et ceterys magistri Mathei Cracouite sacre Theologie professoris per manum petri de winczik alias vyno.*

**28)** f. 204ᵛ—214ʳ *Soliloquium sancti* ***Augustini.*** Inc.: *Cognoscam te domine cognitorem meam.* Expl.: *spem meam admonent ut in te letetur domine deus meus leticia sancta mea qui semper letificas iuuentutem meam Amen. ffinis Soliloquiorum beati augustini.*

**29)** f. 214ᵛ—215ʳ (paginis non in columnas divisis): *Epistula* ***Augustini*** *ad Ieron(ymum) excusantis et calumpniam propellentis.* Inc.: *Cur itaque conor contra tractum fluminis. Et non potius ueniam deprecor.* Expl.: *hoc magnum et triste miraculum est ex amiciciis talibus ad has inimicicias peruenisse. letum erit et multo maius ex inimiciciis talibus ad pristinam concordiam reuertisse.*

**30)** f. 215ᵛ (sine columnis) ***Augustinus*** *ad Celestinum dyaconum de caritate.* Inc.: *Domino venerabili nimiumque desiderabili sancto fratri et condiacono celestino. Augustinus in domino salutem.* Expl.: *Unum enim magistrum apud quem condiscipuli sumus. per eius apostolum dociles audire debemus praecipientem ac dicentem. Nemini quicquam debeatis nisi ut inuicem diligatis.* Hactenus 22 versus; ceterum f. 215ᵛ vacuum.

**31)** f. 216ʳ I continet haec verba (ceterum vacuum): *Bonum est prestolari cum silencio. salutare dei Silencium enim est clauis religionis verum claustrum sine silencio est urbs absque murorum ambitu. Sic vir qui potest loquendo cohibere spiritum suum ultimo ad comendacionem silencii valet illud sapientis locutum esse aliquando penituit tacere vero nunquam deo gratias.*

**32)** f. 216ᵛ—217ᵛ ***Gerson*** *Tractatulus de obligacione furti uel alterius rei mutuate uel commodate.* Inc.: *Conuertamus nunc sermonem ad decisionem huius dubitacionis l(itte)ralis de vellicacione spicarum alienarum per discipulos christi.*

Col. 216ᵛ II inversa scripta est, item 217ᵛ, 2.

Expl.: *Equum est praeterea ut creditores non egentes reddant se beniuolos exorabiles ad implecionem voti sui debitoris ut rependat deus vicem. ffinis huius M. Io Gerson.*

**33)** f. 218ʳ—300 **Henrici de Hassia** dicta super prologum Bibliae. (cf. Beihefte z. Zentralblatt f. Bibliotheksw. II, Roth, Zur Bibliographie des Henricus Hembuche de Hassia, p. 7.) Inc.: *In*

*principio creauit deus celum et terram Ita scribitur in capite tocius diuine scripture que incipit a libro Gene(s)y quem ideo exponere intendo adiuuante domino. Ut in wyennensi uniuersitate nonum sacre theologie studium incipiat a capite diuinarum scripturarum.* Expl.: *Unde secundum veritatem byblye moderne Iudeorum magis corigende ex byblia christianorum quam e conuerso nec elici potest illud ex premissis. deo gracias. Expliciunt dicta super prologum Biblie. magistri henrici de hassia. Sacre theologie professoris.*

**34)** f. 301ʳ ***Regule et doctrine circa obseruanciam interdicti.*** Inc.: *Interdictum est censura ecclesiastica. a diuinis suspendens officiis et ecclesiasticis sacramentis active uel passive.* Expl.: *Item si interdicitur ecclesia, hinc ipsius capelle et cimiteria contigua sunt interdicta. Secus si non sunt contigua.*

**35)** f. 302ʳ ***Diuisio utilis utriusque testamenti.*** Inc.: *Hic est liber mandatorum dei. Baruch V.* Expl.: *librum machabeorum qui continet duos libros, primum qui habet XV capitula, secundum qui habet XV capitula.* Cetera desunt.

f. 303 vacuum.

**36)** f. 304—359ʳ **Concordantia.**

Inc.: *Nota Rubrica de A. De affectus purgacione XXXVII 4. partis.* Hic index pertinet usque ad f. 307ᵛ I, 1: *Contra virum stultum 15 4. partis.* Sequuntur verba: *Incipit primus liber vel prima pars huius libri. Contra peccatum simpliciter Job 26 e Obstetricante manu 18 e Et calcet super eum sicut rex.* Expl.: *hebre. 12 a proposito sibi gaudio Amen. finis est. Exposicio super 7 litteras alphabeti. Cuilibet volenti requirere concordancias in hoc libro unum est primitus attendendum. videlicet quod cum in primis concordanciis quae dicuntur concordancie sancti Iacobi. quodlibet capitulum in VII partes distingwatur. secundum 7 primas litteras videlicet a. b. c. d. e. f. g. In isto opere per eundem modum et in totidem particulas distingwuntur capitula longiora. Capitula vero breviora tantum in partes 4ᵒʳ distingwuntur. videlicet in a. b. c. d. ut breuiori in 4ᵒʳ partes equales diuiso a primam contineret partem b. vero secundam que a principio recedat et usque ad medium protendat. c vero recedat a medio et partem terciam contineat. Capituli vero breuioris d post terciam usque in finem capituli protendatur.*

**37)** f. 359ᵛ—367ʳ sine columnis: **tabula de argumentis librorum biblicorum** versibus hexametris composita, ita ut singula

vel bina verba singulorum capitulorum argumenta indicent, quae verba inter se non cohaerent. Numeri capitulorum minio suprascripti sunt; praeterea minutis litteris supra singulas partes versuum pauca verba addita sunt, quae sensum compleant, ut verum quoddam capituli argumentum conscribatur. Nomina librorum (*Genesis, Exodus* etc.) in lateribus minio adscripta sunt.

Exempli causa afferatur primus versus: (in margine: *Genesis*) *Sex* (minio suprascr. *I*, atramento praeterea: *opera dierum*) *prohibet* (*II, fructum ligni*) *peccant* (*III transgrediendo*) *abel* (*IIII occiditur*) *enoch* (*V transfertur*) *et archa fit* (*VI propter diluuium*) *intrant* (*VII noe et filii eius*).

f. 367[r] subscriptio: *Explicit utilis tabula super veteri et nouo testamento.*

38) f. 367[v]—377[v] **Index ad summam Thomae Aquinatis.** Inc.: *Tabula sequens est super materias meliores et utiliores contentas in summis Beati Thome de Aquino.* Expl.: *Ad hoc autem quod fides confirmaretur de veritate humanitatis et mortis eius oportuit moram esse inter mortem et resurrectionem. Ibidem articulo 2°. Et sic est finis bonorum notabilium collectorum ex summa Beati thome de aquino etc.*

**[Tk.]**

## R 180.

(XLVI = S. IV. 1. 19.)

Codex membranaceus formae maximae (0,21×0,28 m) foliorum 245, ex quaternionibus compositus, scriptus ab uno librario saec. XV. Singulae paginae habent binas columnas 60 versuum. Inde a f. 142 in marginibus dextro sinistro inferiore commentarii additi, inde a f. 147 lemmata rubro picta sunt, quibus in praecedentibus foliis spatia vacua relicta. f. 1[r] vacuum; f. 1[v] exhibet laterculum eorum, quae in codice continentur. Sunt haec:

**1) f. 2[r]—125[r] Augustini epistolae 144.**

f. 2[r] continet indicem epistularum quae sequuntur per tres columnas dispositum.

| | | Migne |
|---|---|---|
| 1) f. 2[v]a: *ad Valentinum.* | *Cresconium felicem* | = ep. 215 (col. 603) |
| 2) f. 3[r]a: *ad Volusianum.* | *De salute tua quam et in hoc seculo* | = „ 132 (col. 300) |

| | Migne |
|---|---|
| 3) f. $3^{r}$a: *Volusiani ad Augustinum. Petis me uir probitatis* | = ep. 135 (col. 302) |
| 4) f. $3^{r}$b: *ad Volusianum. Legi litteras tuas* | = ⸗ 137 (col. 304) |
| 5) f. $5^{v}$a: *Marcellini ad Augustinum. Uir illustris uolusianus* | = ⸗ 136 (col. 303) |
| 6) f. $5^{v}$b: *ad Marcellinum. Illustri uiro et eloquentissimo* | = ⸗ 138 (col. 311) |
| 7) f. $7^{v}$b: *ad Ytalicam. Non solum litteris tuis* | = ⸗ 92 (col. 172) |
| 8) f. $8^{r}$b: *ad Marcellinum. Epistolam tuam quam per sanctum fratrem* | = ⸗ 143 (col. 351) |
| 9) f. $9^{v}$a: *Ieronimi ad Augustinum. Cum a sancto fratre nostro firmo* | = ⸗ 81 (col. 143) |
| 10) f. $9^{v}$a: *ad Ieronimum. Iam pridem tue caritati prolixam epistolam misi* | = ⸗ 82 (col. 143) |
| 11) f. $12^{v}$b: *Alippii et Augustini ad Aurelium. Impletum est gaudio os nostrum* | = ⸗ 41 (col. 66) |
| 12) f. $13^{r}$a: *ad Longinianum. Solere aiunt quendam ueterum dicere* | = ⸗ 233 (col. 640) |
| 13) f. $13^{r}$b: *Longiniani ad Augustinum. Beatus sum et relucentis pure uirtutis* | = ⸗ 234 (col. 641) |
| 14) f. $13^{v}$a: *ad Longinianum. Cepi scripti mei fructum* | = ⸗ 235 (col. 642) |
| 15) f. $13^{v}$b: *ad Bonefacium. Queris a me utrum parentes* | = ⸗ 98 (col. 199) |
| 16) f. $14^{v}$b: *Paulini et Therasiae ad Augustinum. Caritas christi que urget nos* | = ⸗ 25 (col. 27) |
| 17) f. $15^{r}$b: *ad Paulinum. O bone uir et bone frater latebas animam meam* | = ⸗ 27 (col. 32) |
| 18) f. $16^{r}$a: *Paulini et Therasiae ad Augustinum. Iam dudum frater* | = ⸗ 30 (col. 41) |
| 19) f. $16^{r}$b: *ad Paulinum et Therasiam. Cum litteras meas in quibus respondi* | = ⸗ 31 (col. 41) |
| 20) f. $17^{r}$a: *Paulini et Therasiae ad Alipium. Hec uero est uera caritas* | = ⸗ 24 (col. 26) |
| 21) f. $17^{r}$b: *Paulini et Therasiae ad Romanianum. Pridie quam has daremus* | = ⸗ 32 (col. 44) |
| 22) f. $18^{r}$b: *Severi ad Augustinum. Deo gracias frater augustine* | = ⸗ 109 (col. 239) |

| | Migne |
|---|---|
| 23) f. 18$^{v}$a: *ad Letum. Legi epistolam quam misisti fratribus* | = ep. 243 (col. 657) |
| 24) f. 19$^{v}$a: *ad Licencium. Vix repperi occasionem*<br>25) f. 19$^{v}$b: *Carmen Licencii ad Augustinum. Archanum uarronis iter*<br>26) f. 20$^{r}$b: *ad Licencium. Si uersus tuus momentis inordinatis* | = „ 26 (col. 29) |
| 27) f. 20$^{v}$b: *Maximi Madaurensis ad Augustinum. Habens crebro tuis affatibus* | = „ 16 (col. 15) |
| 28) f. 21$^{r}$a: *ad Maximum. Seriumne aliquid inter nos agimus* | = „ 17 (col. 16) |
| 29) f. 21$^{v}$a: *ad Armentarium et Paulinam. Vir egregius filius meus ruferius* | = „ 127 (col. 283) |
| 30) f. 22$^{r}$b: *ad Valentinum et monachos. Venerunt ad nos duo iuuenes* | = „ 214 (col. 602) |
| 31) f. 22$^{v}$b: *ad Vincencium. Accepi epistolam quam tuam esse* | = „ 93 (col. 174) |
| 32) f. 28$^{r}$b: *ad Deogracias presbiterum de sex quaestionibus. Questiones tibi propositas* | = „ 102 (col. 207) |
| 33) f. 31$^{v}$a: *ad Bonefacium. Laudo et gratulor et admiror* | = „ 185 (col. 489) |
| 34) f. 36$^{v}$a: *Macedonii ad Augustinum. Miro modo afficior sapiencia tua* | = „ 154 (col. 406) |
| 35) f. 36$^{v}$b: *ad Macedonium. Quamuis sapienciam quam mihi tribuis* | = „ 155 (col. 406) |
| 36) f. 38$^{r}$b: *Macedonii ad Augustinum. Optatas admodum sanctitatis tue litteras* | = „ 152 (col. 397) |
| 37) f. 38$^{v}$a: *Augustini ad Macedonium. Negociosissimum in re publica uirum* | = „ 153 (col. 397) |
| 38) f. 41$^{r}$b: *Dioscori ad Augustinum. Proemiari apud te* | = „ 117 (col. 248) |
| 39) f. 41$^{v}$a: *ad Dioscorum. In me innumerabilium questionum* | = „ 118 (col. 248) |
| 40) f. 45$^{v}$a: *ad Dardanum. Fateor mi frater dulcissime dardane* | = „ 187 (col. 516) |
| 41) f. 48$^{v}$b: *Paulini ad Augustinum. De paucis que nunc iam ad nauem currente* | = „ 121 (col. 269) |

| | Migne |
|---|---|
| 42) f. 50$^{v}$a: *ad Paulinum. Quod de tam prospera peruentione fratris* | = ep. 199 (col. 382) |
| 43) f. 53$^{v}$b: *Nectarei ad Augustinum. Quanta sit caritas patrie* | = „ 90 (col. 169) |
| 44) f. 53$^{v}$b: *Augustini ad Nectareum. Iam senio frigescentibus membris* | = „ 91 (col. 169) |
| 45) f. 54$^{v}$b: *ad Maximianum. Priusquam ad rem ueniam* | = „ 23 (col. 23) |
| 46) f. 55$^{v}$b: *ad Donatum donatistam. Si posses uidere dolorem cordis mei* | = „ 173 (col. 465) |
| 47) f. 56$^{v}$b: *ad Euodium coepiscopum. Questio quam michi proposuisti* | = „ 164 (col. 435) |
| 48) f. 58$^{v}$b: *ad Probam de orando deo. Et petisse te et promisisse me recolens* | = „ 130 (col. 290) |
| 49) f. 61$^{v}$b: *ad Paulinam de uidendo deo. Memor debiti quod ex tua petitione* | = „ 147 (col. 359) |
| 50) f. 67$^{v}$b: *ad Victorianum. Littere tue impleuerunt grandi dolore cor nostrum* | = „ 111 (col. 241) |
| 51) f. 69$^{r}$a: *ad Oroncium. Ago gracias quod aduentum eximietatis tue* | = „ 257 (col 669) |
| 52) f. 69$^{r}$a: *ad Olimpium. Quicquid sis secundum seculi huius cursum* | = „ 96 (col. 197) |
| 53) f. 69$^{v}$a: *ad Cornelium. Scripsisti michi ut ad te aliquam prolixam consolatricem epistolam darem* | = „ 259 (col. 671) |
| 54) f. 69$^{v}$b: *ad Donatum. Nollem quidem in hiis afflictacionibus* | = „ 100 (col. 204) |
| 55) f. 70$^{r}$b: *ad Olimpium. Quamuis mox ut audiuimus* | = „ 97 (col. 198) |
| 56) f. 70$^{v}$a: *ad Seleucianam. Litteris tuis lectis de salute uestra letatus* | = „ 265 (col. 679) |
| 57) f. 71$^{r}$b: *ad Cirtenses. Si id quod in uestra ciuitate nos grauiter contristabat* | = „ 144 (col. 355) |
| 58) f. 71$^{v}$b: *ad Memorium. Nullas iam debui reddere litteras* | = „ 101 (col. 207) |
| 59) f. 72$^{r}$b: *Ieronimi ad Marcellinum et Anaphitam. Tandem ex affrica* | = „ 165 (col. 442) |
| 60) f. 72$^{v}$a: *ad Esichium de die iudicii. Accepi litteras ueneracionis tue* | = „ 199 (col. 564) |

| | Migne |
|---|---|
| 61) f. 77ᵛa: *ad Florentinam. Secundum propositum tuum* | = ep. 266 (col. 681) |
| 62) f. 78ʳa: *ad Ytalicam. Tres epistolas benignitatis tue acceperam* | = „ 99 (col. 203) |
| 63) f. 78ʳb: *ad Pammachium. Bona opera tua christi gracia germinancia* | = „ 58 (col. 110) |
| 64) f. 78ᵛa: *ad Severum consacerdotem. Epistola mea quam peruexit* | = „ 110 (col. 240) |
| 65) f. 79ʳa: *ad Felicem et Hyllarium. Non miror sathanan fidelium animos perturbantem* | = „ 77 (col. 137) |
| 66) f. 79ʳb: *ad ecclesiam Ypponensem. Vtinam sancte scripture mente sollicita* | = „ 78 (col. 138) |
| 67) f. 80ᵛa: *ad cives Ypponenses. In primis peto caritatem uestram* | = „ 122 (col. 274) |
| 68) f. 80ᵛb: *ad Possidium. Magister quid agas cum eis qui obtemperare nolunt* | = „ 245 (col. 662) |
| 69) f. 81ʳa: *Audacis ad Augustinum. Habeo graciam beatitudini tue* | = „ 260 (col. 672) |
| 70) f. 81ʳa: *ad Audacem. Breuem epistolam tuam* | = „ 261 (col. 672) |
| 71) f. 81ʳb: *ad Maximam. Quantum nos studium tuum sanctum letificat* | = „ 264 (col. 678) |
| 72) f. 81ᵛb: *Alipii et Augustini ad Iulianam. Grate admodum nobis iocundeque accidit* | = „ 188 (col. 526) |
| 73) f. 83ʳa: *ad Anastasium. Salutandi sinceritatem tuam* | = „ 145 (col. 356) |
| 74) f. 84ʳa: *ad Sebastianum. Quamuis ab animo nostro nullo modo te separatum esse permittat dulce uinculum* | = „ 248 (col. 664) |
| 75) f. 84ʳa: *ad Consencium. Quantum ad oculos attinet corporales* | = „ 205 (col. 584) |
| 76) f. 85ᵛb: *ad Proculeianum. Propter imperitorum hominum uanitates* | = „ 33 (col. 47) |
| 77) f. 86ʳb: *ad Valerium. Ante omnia peto ut cogitet religiosa prudencia tua* | = „ 21 (col. 19) |
| 78) f. 86ᵛb: *ad Profuturum. Secundum spiritum quantum domino placet* | = „ 38 (col. 62) |
| 79) f. 87ʳa: *ad Donatum. Quod te amministrantem multum considerans* | = „ 112 (col. 245) |

| | | | Migne |
|---|---|---|---|
| 80) | f. $87^{r}$b: | *ad Madaurenses. Si forte illi qui inter uos catholici sunt christiani* | = ep. 232 (col. 639) |
| 81) | f. $88^{r}$b: | *ad Helpidium. Quis nostrum erret in fide* | = „ 242 (col. 656) |
| 82) | f. $88^{v}$b: | *ad Nebridium. Vtrum nescio quo ut ita dicam blandiloquio tuo* | = „ 3 (col. 3) |
| 83) | f. $89^{r}$b: | *ad Celestinum. O vtinam possem assidue tibi aliquid dicere* | = „ 18 (col. 17) |
| 84) | f. $89^{v}$a: | *ad Antoninum. Cum autem a duobus tibi scripta deberentur* | = „ 20 (col. 18) |
| 85) | f. $89^{v}$b: | *ad Gaium. Vt abs te abscessimus dici non potest* | = „ 19 (col. 18) |
| 86) | f. $89^{v}$b: | *ad Romanianum. Non hec epistola sic inopiam carte indicat* | = „ 15 (col. 14) |
| 87) | f. $90^{r}$a: | *Nebridius ad Augustinum. Itane est mi augustine* | = „ 5 (col. 5) |
| 88) | f. $90^{r}$a: | *Nebridius ad Augustinum. Epistolas tuas perplacet ita seruare* | = „ 6 (col. 6) |
| 89) | f. $90^{r}$b: | *ad Nebridium. Prohemio supersidam et cito incipiam* | = „ 7 (col. 6) |
| 90) | f. $91^{r}$a: | *ad Nebridium. Qvamquam mei animi cognitor sis* | = „ 9 (col. 9) |
| 91) | f. $91^{v}$a: | *ad Nebridium. Numquam eque quicquam tuarum inquisicionum* | = „ 10 (col. 10) |
| 92) | f. $92^{r}$a: | *ad Nebridium. Mirum admodum est* | = „ 4 (col. 5) |
| 93) | f. $92^{r}$a: | *Augustinus et alii episcopi ad Donatistas. Cum in auribus nostris fama crebresceret* | = „ 141 (col. 346) |
| 94) | f. $93^{v}$a: | *Publicola ad Augustinum. Scriptum est interroga patrem tuum* | = „ 46 (col. 81) |
| 95) | f. $94^{r}$b: | *ad Publicolam. Fetus animi tui* | = „ 47 (col. 83) |
| 96) | f. $95^{r}$a: | *ad Marcianum. Abripui uel pocius obripui* | = „ 258 (col. 669) |
| 97) | f. $95^{v}$a: | *ad Probam. Est quidem ita ut dicis* | = „ 131 (col. 299) |
| 98) | f. $95^{v}$b: | *ad Optatum coepiscopum. Quamuis tue sanctitatis* | = „ 190 (col. 532) |
| 99) | f. $98^{r}$a: | *ad Glorium, Eleusium et alios episcopos Donatistarum. Dixit quidem apostolus paulus* | = „ 43 (col. 67) |

| | | | Migne |
|---|---|---|---|
| 100) | f. 101$^{r}$b: | *ad Donatistas. Caritas christi cui omnem hominem* | = ep. 105 (col. 224) |
| 101) | f. 103$^{r}$b: | *ad Bonefacium comitem. Ornet mores tuos pudicicia* | = App. ep. 1 (col. 1) |
| 102) | f. 103$^{r}$b: | *Bonefacius ad Augustinum. Tue sanctitatis epistolam* | = ″ ″ 2 (col. 1) |
| 103) | f. 103$^{r}$b: | *ad Bonefacium. Ego quos diligo arguo et castigo* | = ″ ″ 3 (col. 1) |
| 104) | f. 103$^{v}$a: | *ad Bonefacium. Affrice litus ut audio miles attigit* | = ″ ″ 4 (col. 1) |
| 105) | f. 103$^{v}$a: | *Bonefacius ad Augustinum. Scio quod sit tua sanctitas* | = ″ ″ 5 (col. 2) |
| 106) | f. 103$^{v}$a: | *ad Bonefacium. Miror quomodo tam subito* | = ″ ″ 6 (col. 2) |
| 107) | f. 103$^{v}$a: | *Bonefacius ad Augustinum. Humilis saluto quod primum est* | = ″ ″ 7 (col. 2) |
| 108) | f. 103$^{v}$b: | *ad Bonefacium. Vir illustrissimus castinus* | = ″ ″ 11 (col. 3) |
| 109) | f. 103$^{v}$b: | *Bonefacius ad Augustinum. Graue nobis est bellum* | = ″ ″ 12 (col. 3) |
| 110) | f. 103$^{v}$b: | *ad Bonefacium. Graui de pugna conquereris* | = ″ ″ 13 (col. 3) |
| 111) | f. 103$^{v}$b: | *Bonefacius ad Augustinum. Manus superba deo iuuante cecidit* | = ″ ″ 14 (col. 3) |
| 112) | f. 103$^{v}$b: | *ad Bonefacium. Lecto me uacare* | = ″ ″ 15 (col. 3) |
| 113) | f. 103$^{v}$b: | *Bonefacius ad Augustinum. Numquam diuinitas preces* | = ″ ″ 16 (col. 3) |
| 114) | f. 103$^{v}$b: | *ad Bonefacium. Dum quodam in loco positus* | = ″ ″ 8 (col. 3) |
| 115) | f. 104$^{r}$a: | *Bonefacius ad Augustinum. Furens parato qui obuio bello* | = ″ ″ 9 (col. 3) |
| 116) | f. 104$^{r}$a: | *Bonefacius ad Augustinum. Castinus ille* | = ″ ″ 10 (col. 3) |
| 117) | f. 104$^{r}$b: | *ad Bonefacium. Iam rescripseram caritati tue* | = ep. 189 (col. 530) |
| 118) | f. 105$^{r}$a: | *ad Eusebium. Scit deus cui manifesta sunt archana cordis humani* | = ″ 34 (col. 49) |
| 119) | f. 105$^{v}$b: | *ad Eusebium. Non ego recusanti uoluntati tue iudicium* | = ″ 35 (col. 50) |

Migne

120) f. 105$^{v}$b: *ad Severinum. Litteras fraternitatis tue* = ep. 52 (col. 89)

121) f. 106$^{r}$b: *ad Donatistas. Vobis donatiste catholica ecclesia dicit* = „ 76 (col. 135)

122) f. 106$^{v}$b: *ad Ianuarium. Clerici et circumcelliones uestri* = „ 88 (col. 161)

123) f. 107$^{v}$a: *ad Crispinum scismaticum. Qvia humilitatem nostram* = „ 51 (col. 88)

124) f. 108$^{r}$a: *ad eundem. Deum quidem timere debuisti* = „ 66 (col. 117)

125) f. 108$^{r}$b: *ad Placencium Arrianum. Volueram quidem petente atque instante te* = „ 238 (col. 646)

126) f. 110$^{v}$b: *ad eundem. Si dicis te michi dixisse* = „ 239 (col. 654)

127) f. 111$^{r}$a: *Placencius ad Augustinum. Optaueram te dilectissime* = „ 240 (col. 655)

128) f. 111$^{r}$a: *ad Placencium. Littere tue nec ad reddenda conuicia me prouocare* = „ 241 (col. 655)

129) f. 111$^{r}$b: *ad Probam et Iulianam (de conversione neptis Demetriadis). Implestis gaudio cor nostrum* = „ 150 (col. 392)

130) f. 111$^{v}$a: *ad Honoratum coepiscopum. Caritati tue misso exemplo* = „ 228 (col. 629)

131) f. 112$^{v}$b: *ad Ytalicam. Cum petisses ut de inuisibili deo* deest apud Mignium

132) f. 113$^{v}$a: *ad Marcellinum. Gesta que promisit prestancia tua* = „ 139 (col. 318)

133) f. 114$^{r}$a: *ad Apringium. Non dubito in hac potestate* = „ 134 (col. 301)

134) f. 114$^{v}$a: *ad Marcellinum. Circumcelliones illos et clericos* = „ 133 (col. 300)

135) f. 115$^{r}$a: *Silvanus et alii cum Augustino coepiscopi ad papam Innocencium. Quia te dominus gracie sue* = „ 166 (col. 472)

136) f. 115$^{r}$b: *ad Honoratum episcopum. Consilium tuum multum nobis placuit* = „ 99 (col. 86)

137) f. 115$^{v}$b: *ad Emeritum. Ego cum audio quemquam bono ingenio* = „ 87 (col. 157)

| | | Migne |
|---|---|---|
| 138) f. 117$^{r}$a: *ad Eleusium, Gloriosum et Felicem. Fortunium quem tubursicii habetis episcopum* | = ep. | 44 (col. 76) |
| 139) f. 118$^{v}$a: *Fortunatus, Alipius et Augustinus ad Gloriosum. Quoniam notam esse uoluisti epistolam* | = „ | 53 (col. 90) |
| 140) f. 119$^{r}$b: *ad Festum. Si pro errore homines* | = „ | 89 (col. 166) |
| 141) f. 120$^{r}$b: *ad Fortunacianum. Sicut presens rogaui et nunc commoneo* | = „ | 148 (col. 376) |
| 142) f. 122$^{r}$a: *ad Ecdiciam. Lectis litteris reuerencie tue* | = „ | 262 (col. 673) |
| 143) f. 123$^{r}$a: *ad Asellicum coepiscopum. Litteras sanctitatis tue* | = „ | 196 (col. 556) |
| 144) f. 124$^{v}$b: *ad Paulinum et Therasiam. Carissimus frater celsus* | = „ | 80 (col. 141) |

Expl. 125$^{r}$a: *quid in talibus uel facere soleas. uel faciendum esse reperias. Amen.*

Reliqua pars f. 125$^{r}$ et f. 125$^{v}$ vacua.

2) f. 126$^{r}$a—137$^{v}$b **Didascalicon Hugonis de S. Victore.**

Inc. *Tribus modis res subsistere habent. In actu. Intellectu. In mente diuina. hoc est in racione diuina. In racione hominis sine subsistencia transeunt.*

Expl. *Rogemus igitur ut sapienciam uere radiare dignetur in cordibus nostris et illuminare nobis in semitis suis ut introducat nos ad primam et sine animalibus cenam. amen.*

Sequitur laterculus capitulorum.

Hic textus non congruit cum eo, quem Migne, Patrol. lat. tom. 176, col. 739—858 (*Eruditionis didascalicae libri septem*) praebet.

3) f. 138$^{r}$a—141$^{r}$a *Epistola **Iohannis Damasceni** scripta ad Iordanem archimandritam de (hymno) trisagio.*

Inc. *Dei honorato et zelo diuino ornato domino Iordani archimandrite Iohannes damascenus in domino gaudere. Eius quidem ad te mei desiderii summitas o patrum optime non ex instabili euentu occasiones possedit. set ex diuina caritate que nunquam excidere nåta est.*

Expl. *Noui autem quod et ipsi diuino repleti spiritu ea que desunt lege amicicie adimplebitis. indesinenter pro nobis orantes.*

Hanc versionem epistulae Graece scriptae (cf. Migne, Patrol. Graec. tom. 95, col. 22—62) a Burgundione Pisano factam esse veri simillimum est; impressa est in libro qui inscribitur Beati Iohannis Damasceni opera omnia, Basileae 1575, f. 501—521.

4) f. 141$^r$b: Excerptum de libro **Damasceni de philocosmis et philoteis.**

Inc. *Hauriamus autem et semper fluentes aquas ex paradisi huius fonte salientes in uitam eternam. et sordes quidem peccatorum expurgantes.*

Expl. *a sepulcro autem misericors deus noster tercia die resurgens. et manuum facturam. ex inferni uinculis auelleñs omnibus nobis resurrectionem donauit.*

5) f. 141$^v$a—146$^r$a **Iohannis Damasceni de Haeresibus** cum glossis.

f. 141$^v$ continetur: *Pinax. id est tabula centum heresum. Prima heresis barbarismus. Secunda scytismus. Tercia elinismus. id est grecismus* eqs. *Centesima de heresi agarenorum et ismaelitarum appellatorum. Sciendum quoniam centesima heresis est ea que saracenorum.*

Inc. *Omnium heresum matres et primitiue. quatuor. prima barbarismus. secunda scythismus. tercia grecismus. quarta iudaismus.*

Expl. *Deus enim ait dixit ipsi quoniam dedi tibi et tuis mensam incorruptibilem.*

De hoc tractatu Migne adnotat: *Latinam translationem veterem Damasceni editio Coloniensis exhibet (quam Burgundioni civi Pisano concedere nihil vetat).* Legitur et in editione Basileensi supra allata f. 574—587.

6) f. 146$^r$a—147$^r$a: **Ioannis Damasceni** liber qui inscribitur Disceptatio Christiani et Sarraceni. Titulus est: *Dubitatio ad agarenos.*

Inc. *Si interrogatus fueris a saraceno. dicente quem dicas christum. dic ipsi uerbum dei et non existimes peccare.*

Expl. *Saracenus autem ualde admirans et deficiens recessit. nichilque apponens ad ipsum alterum.*

cf. editio Basileensis, f. 587—590.

7) f. 147$^r$a—161$^r$a *Incipit annotatio Sancti Augustini episcopi plurimorum operum. Incipiunt capitula.* Sequitur index 93 capitum. Deinde: *Incipit liber primus tractatuum sancti Augustini episcopi.*

Inc. f. 147$^{v}$a *Iam diu est ut facere cogito atque dispono* eqs. Capitum tituli rubro scripti.

f. 156$^{r}$a *Expliciunt capitula libri secundi* (!). *Incipit liber secundus.*

f. 161$^{r}$a: *Capitulum · LXVI · ad valentinum et cum illo monachos. de gracia et libero arbitrio liber unus.*

Expl. *antequam epistolas atque sermones ad populum alios dictatos. alios a me dictos rectractare cepissem.*

Sunt **Augustini Retractationum** libri duo = Migne, t. 32, col. 583—656. Reliqua pars f. 161$^{r}$ et f. 161$^{v}$ vacua.

8) f. 162$^{r}$a—167$^{v}$a Elementorum **Iohannis Damasceni.**

Inc. *In nomine patris et filii et sancti spiritus vnius trisypostate et adorate deitatis* eqs. *Substancia et natura et forma secundum sanctos patres idem est. tunc rursus ypostasis et persona et indiuiduum idem est.*

Expl. *fiat autem nos ipsius sequentes uestigia semper cum ipso esse et frui ipsius gloria et regno. nunc et semper in secula seculorum. amen.*

Videtur esse epitoma Latina logicorum Iohannis Damasceni.

9) f. 167$^{v}$a — 173$^{v}$b **Iohannis Damasceni Logica.** Praecedit laterculus capitum.

Inc. 167$^{v}$b *Ens commune nomen est omnium encium* eqs.

Expl. *nec quodcumque eorum ex quibus compositum est custodiens inconfusum et inuertibile. Explicit logica damasceni.*

cf. editio Basileensis, f. 616—673 *Damasceni Dialectica cap. IV (de ente, essentia et accidente) — cap. LXVI (de ea quae secundum hypostasim unione).*

10) f. 174$^{r}$a—176$^{v}$b **Hugonis de S. Victore de contemptu mundi.**

Inc. *Hic incipit liber de contemptu mundi. Munde inmunde quare diligimus te. Hic est ergo fructus tuus. Hic* (!) *promissio tua. Hec spes nostra. Quare sperauimus* eqs.

Expl. *Quedam ergo corda sursum. quedam semet ipsa demerserunt.* Addidit librarius: *Non deficit hic aliqua littera usque ad illam partem. Deorsum sunt illa corda etc.,* ne quis propter spatium vacuum relictum excidisse aliquid putaret.

cf. Hugonis de S. Victore, De vanitate mundi et rerum transeuntium usu libri IV = Migne, Patrol. lat. t. 176, col. 703—716, l. 8.

11) f. 177$^{r}$a—183$^{v}$b **Hugonis de S. Victore de creatione mundi.**

Inc. *Deorsum sunt illa corda que huic seculo configurantur. Sursum uero sunt illa que conuersacionem suam habent in celo.*

Expl. *Quid dicendum est de pueris ante octauam diem morientibus quoniam ad id remedium peruenire non poterant. Racio: Hoc dei iudicio mihi relinquendum uidetur.*

Est continuatio eiusdem operis = Migne, t. 176, col. 176, l. 8 sq.

**12)** f. 183$^{v}$b—185$^{v}$a **Hugonis de S. Victore de studio orandi.**

Inc. *Quo studio et quo affectu sit deus a nobis orandus. ex nostra miseria simul et ex eius misericordia considerare possumus.*

Expl. *quis istas ignitas appuncciones sanctorum affectuum enumerare loquendo potest. quibus mens in oracione accenditur et gratissimum deo sacrificium in ara cordis adoletur.*

Prologus deest. cf. Hugonis de S. Victore, De modo orandi = Migne, Patrol. lat. t. 176, col. 977—988.

**13)** f. 185$^{v}$a—185$^{v}$b ***Sermo Augustini*** *qualiter homo factus est ad ymaginem et similitudinem dei* (hic titulus in margine additus).

Inc. *Tanta dignitas humane condicionis esse dinoscitur. ut non solum iubente sermone* eqs.

Expl. *qui se mirabiliter ad suam similitudinem in primo adam condidit. et mirabilius in secundo.*

*Explicit augustinus de creacione primi hominis.*

cf. Migne, t. 40, col. 1213; t. 161, col. 967—969.

**14)** f. 186$^{r}$a—190$^{r}$a **Ciceronis de amicitia.**

Inc. *Qvintus Mucius augur sceuola. multa de gaio lelio socero suo narrare. memoriter et iocunde solebat* eqs.

Expl. *ut ea excepta nichil amicicia prestabilius putetis.*

*Explicit deo gracias.*

**15)** f. 190$^{r}$b—192$^{r}$a **Ciceronis de paradoxis.**

Inc. *Animaduerti brute sepe catonem auunculum tuum* eqs.

Expl. *non modo non copiosi ac diuites. sed eciam inopes ac pauperes estimandi sunt. Explicit tullius de paradoxis.*

**16)** f. 192$^{r}$a—196$^{r}$a **Ciceronis de senectute.**

Inc. *O tite si quid ego adiuuero curamue leuasso* eqs.

Expl. *ut ea que ex me audistis re experti probare possitis.*

**17)** f. 196$^{r}$a **Servii grammatici Centimeter.**

In mg. notatum: *vacat.*

Inc. *Seruius honoratus albino suo salutem.*

Expl. *de quibus carptim tractabimus eligentes ea que ad palmam lire perducit uoluntas.*

cf. H. Keil, Grammatici Latini IV, 456 sqq.

**18)** f. 196$^r$b—196$^v$b **Anselmi sermo de b. Maria virgine.**

Inc. *Intrauit ihesus in quoddam castellum. Quid ad gloriosam uirginem dei genitricem leccio ista pertineat. ut eius festiuitate legatur. plerique querere solent. vnde quid sentirem. in conuentu fratrum prout potui uulgariter iam plus semel exposui. Et quia quod dixi auditoribus placuit. dicta litteris mandare ab eisdem et maxime a dominis abbatibus Willelmo fiscaniensi. arnufo troarnensi iussus immo coactus sum* eqs.

(Willelmus Benedictinus, abbé de Fécamp 1001—1028, obiit in Fécamp 1031; Arnulfus Benedictinus, abbé de St.-Martin de Troarn 1088, obiit 1112.)

Expl. *hec est pars optima que non auferetur ab ea. cuius et nos participes simus meritis et precibus eius qui uiuit et regnat deus per omnia secula seculorum. amen.*

cf. Anselmi Cantuarensis Opera omnia = Migne, Patr. lat. t. 158, col. 644—649 (Pars secunda ascetica et paraenetica. Homilia IX in Evangelium secundum Lucam X, 38).

**19)** f. 197$^r$a—197$^r$b **Anselmi epistola de sacramentis.**

Inc. *Domino et amico Waleranno gracia dei Newenburgensi uenerabili episcopo. anselmus seruus ecclesie cantuarensis salutem. seruicium. oraciones. dilectionis affectum. Gaudeo et gracias ago deo quia sicut scribitis glorificat eum in uobis catholica ecclesia* eqs.

Expl. *hec sapiencie uestre pro meo sensu nullius meliorem racionem respuens respondeo. de hiis qui sacrificant de fermento misi uobis olim quandam epistolam.*

cf. Anselmi Cantuarensis Archiepiscopi Opera omnia = Migne, Patrol. lat. t. 158, col. 551—554 (Anselmi ad Waleranni querelas responsio, ie. pars secunda operis: S. Anselmus, De sacramentorum diversitate ad Walerannum episcopum).

**20)** f. 197$^r$b—197$^v$b **Anselmi** quaedam meditatio.

Inc. *Anima christiana. anima de graui morte resuscitata. anima de misera seruitute sanguine dei redempta et liberata. excita mentem tuam. memento resuscitacionis tue. recogita redemptionem et liberacionem tuam* eqs.

Expl. *Occupa me totum. quia tu es cum patre et spiritu sancto deus solus benedictus in secula seculorum. AMEN.*

cf. Anselmi Opera omnia = Migne, Patrol. lat. t. 158, col. 762—769 (meditatio XI de redemptione humana).

**21)** f. 198$^r$a—198$^v$a *Ieronimus in cathalogo uirorum illustrium hanc epistolam interserit de seneca.*

Inc. *[L]vcius anneus. Seneca cordubensis. photini stoici discipulus. et patruus lucani poete. continentissime uite fuit. Quem non ponerem in chathalogo sanctorum. nisi me* ***epistole*** *ille prouocarent que leguntur a pluribus.* ***pauli ad senecam. et senece ad paulum.***

Expl. *(Paulus Senece) . . . Quibus aspera et incaptibilis erit persuasio. cum plerique illorum minime flectantur insinuacionibus tuis. quibusque uitale commodum sermo dei instillatus nouum hominem sine corruptela perpetuum animal parit ad deum istinc properantem. Vale. karissime semper. Data kalendis augusti.*

cf. L. Annaei Senecae Opera quae supersunt. Supplementum ed. Frider. Haase (Bibl. Teubner. 1902): Epistolae Senecae, Neronis imperatoris magistri ad Paulum apostolum et Pauli apostoli ad Senecam, p. 74–79.

**22)** f. 198$^v$b—236$^r$b *Incipiunt morales* ***epistole lucii annei. Senece.*** *ad lucilium. Numero nonaginta vna.*

Praecedit laterculus titulorum, qui singulis epistulis praescribuntur.

Inc. *(I)ta fac mi lucili. uendica te tibi* eqs.

Expl. *an illis qui ne hoc quidem quod nobis reliquerunt. nichil scire. vale.*

*Lucilii · Annei · Senece · Liber · XII$^{us}$ Epistolarum moralium ad lucilium. Explicit.*

cf. L. Annaei Senecae Opera quae supersunt (Bibl. Teubner.) vol. III: ad Lucilium epistolarum moralium ed. O. Hense, Lipsiae 1898, ep. 1—88 (p. 1–360).

**23)** f. 236$^r$b—238$^r$a **Senecae de clementia.**

*Incipit liber primus eiusdem. de clemencia ad NeRonem.*

Inc. *Scribere de clemencia neroni cesari institui* eqs.

Expl. *Sic sapiens uidebit quid ingenium qua racione tractandum sit. quo modo in rectum praua flectantur.*

*Lucilii · Annei · Senece · Liber de Clemencia ad neronem. explicit.*

cf. L. Annaei Senecae Opera (Bibl. Teubner.) vol. I fasc. II: De clementia libri II edidit C. Hosius, Lipsiae 1900, p. 217—259.

**24)** f. $238^{r}$a — $241^{v}$b *Incipit* ***seneca de beneficiis*** *ad liberalem virum optimum Liber primus.*

Inc. *(I)Nter multos et uarios errores temere inconsulteque uiuentium* eqs.

Expl. *Quicquid nos meliores beatosque factum est. aut inparato aut in proximo posuit.*

Sunt tantum excerpta per sex libros digesta.

**25)** f. $241^{v}$b — $243^{v}$b *Incipit Liber* ***sancti augustini de bono coniugali.***

Inc. *Quoniam vnusquisque homo humani generis pars est et sociale quiddam est humane nature* eqs.

Expl. *ut cum abraam et ysaac et iacob recumbant in regno dei. qui non propter hoc seculum sed propter christum coniuges. propter christum patres fuerunt.*

cf. editio a Ios. Zycha curata in Corp. script. eccles. lat. vol. 41, Vindobonae 1900, p. 187—230.

f. 244 et 245 manus quaedam multo recentior varia conscribillavit.

**[H.]**

## R 181.

(II. LXXXIII = S. IV. 1. 20.)

Codex chartaceus formae maximae (0,21×0,28 m) foliorum 151 (binionis, trium ternionum, quinque quaternionum, duorum senionum, quinionis, quattuor septenionum), versuum 42, scriptus ab uno librario anno 1393, cf. f. $91^{v}$ et $147^{r}$. Litterae initiales et lemmata rubro picta. Signum chartarum primarum est arbor, cuius in altera parte videtur vir florem manu dextera tenens, in altera femina florem sinistra poculum dextra tenens; sequentium chartarum signum est caput bubulum. Insunt haec:

**1)** f. 1 — $12^{r}$ *Incipit liber* ***Augustini Episcopi de videndo deum.***

Inc. *Memor debiti quod de tua peticione et mea promissione factum est religiosa dei paulina persolucionis quoque eius negligens esse. non debui* eqs.

Expl. *ad videndum deum per eius auxilium cor mundum te debere preparare. de corpore vero spiritali* (sic) *si dominus iuuerit opere alio. experiemur quid disputare debeamus.*

*Explicit libellus de videndo deum. Sancti Augustini Episcopi etc.*

cf. Migne, Patr. lat. 33: S. Aur. Augustini Opera omnia, t. II, col. 596—622 (De videndo deo liber seu epistola CXLVII Augustini Paulinae).

f. $12^{v}$ vacuum.

**2)** f. $13^{r}$—$19^{v}$ *Incipit liber sancti Augustini de querendo deum. Primum capitulum de exhortacione mentis ad contemplandum.*

Inc. *Eya · homuncio. nunc fuge paululum occupaciones tuas. Absconde te modicum a tumultuosis cogitacionibus tuis. abice nunc onerosas curas* eqs.

Expl. *Admitte ergo o desiderantissime Ihesu admitte me intra numerum electorum tuorum ut cum illis te laudem te perfruar et glorier in te inter omnes qui diligunt nomen tuum. Qui cum patre et sancto spiritu viuis et gloriaris deus per interminata secula seculorum. Amen.*

*Finitus est liber Beati Augustini de Querendo deum.*

Est revera **Sancti Anselmi proslogion** seu alloquium de dei existentia (prooemium deest); cf. Migne, Patrol. lat. t. 155, col. 225—242.

**3)** f. $19^{v}$—$91^{v}$ *Dialogus Sapiencie ad discipulum, alias Horologium Sapiencie.*

Inc. *Sentite de domino in bonitate et in simplicitate cordis querite illum. Quoniam non inuenitur ab hijs qui non temptant illum. apparet autem eis qui fidem habent in illum* eqs. Est prologus; initium operis ipsius f. $21^{v}$: *Erat quidam iuuenis deuotus qui dum in primeue iuuentutis flore seculi vanitatibus implicari cepisset et per labencia mundi oblectamenta deflueret atque in regionem dissimilitudinis a statu proprie salutis oberrare uellet diuina miserante clemencia modo quodam ineffabili illustratur et per blanda pariter et aspera tractus tandem ad semitas veritatis per amorem sapiencie mirabiliter reducitur.*

Expl. (f. $91^{v}$) *regem glorie dominumque virtutum in decore suo conspicientes Ihesum christum dominum nostrum. Qui cum patre et spiritu sancto viuis et regnas per omnia secula seculorum. Amen.*

*Explicit visio dyalogorum Sapiencie ad discipulum alias horologium Sapiencie Intitulatur · Anno · dñi etc. · nonagesimo tercio.*

Est versio Latina libri **Henrici Susonis** Germanice scripti, quem vocavit Büchlein der ewigen Weisheit; cf. Karl Bihlmeyer,

Heinrich Seuse, Deutsche Schriften, herausgeg. Stuttgart 1907, p. 105* sqq.; versio Latina edita est in „D. Henrici Susonis viri sanctitate, eruditione et miraculis clari Opera, nunc demum post annos ducentos et amplius e Sueuico idiomate Latine reddita a Reuerend. Patr. Laurentio Svrio Carthusiano. Coloniae Agrippinae CIↃ · IↃ · LXXXXVIII ·" et nuper a Ios. Strange, Coloniae 1861. cf. H. Lichtenberger, Le mysticisme allemand: Suso = Revue des cours et conférences XIX, 1 (1910).

4) f. $91^v$—$92^r$ ***Anshelmus de meditacione.***

Inc. *Anima christiana de graui morte resuscitata. anima de misera seruitute sagwine redempta dei et liberata. Excita mentem tuam. memento resuscitacionis tue* eqs.

Expl. *Saciet eam dileccio tua. Inpingwet eam affectus tuus. Impleat eam amor tuus occupet me totum et possideat me totum quia tu es cum patre et spiritu sancto deus solus. Benedictus deus in secula seculorum. Amen.*

cf. S. Anselmi Cantuar. Archiep. Opera omnia = Migne, t. 158, col. 762—769 (meditatio XI. De redemptione humana).

f. $92^v$ vacuum relictum.

5) f. $93^r$—$147^r$ ***Stimulus amoris.***

Inc. *Liber iste qui stimulus amoris dicitur in dulcissimum et pium ihesum christum saluatorem nostrum. In tres partes diuiditur* eqs. *Capitulum primum incipit: Currite gentes vndique miremini erga vos caritatem dei* eqs.

Expl. *laudabo deum meum in vita mea et mecum laudet eum omnis creatura sic ergo finiatur noster tractatus ut laudet eum omnis spiritus Amen.*

*Anno domini Millesimo Trecentesimo. Nonagesimo tercio finitus est iste tractatus. dictus Stimulus amoris in crastino Sancte Elizabeth. Oretis ergo dominum. Pro huius libri Comparatore.*

Liber I divisus est in 16, II in 15, III in 18 capitula, quibus tituli et argumenta rubro praefixa sunt.

Tractatus hic mysticus, qui falso S. Bonaventurae adscribebatur eiusque inter opera sexies intra saeculum XV., saepius etiam postea impressus est (cf. Bonaventurae opera omnia edita studio collegii a S. Bonaventura, tom. VIII, Quaracchi 1898), re vera confectus est, ut videtur, a Iacobo Minorita lectore Mediolanensi, amplificatus ab Henrico de Baume; cf. Hauréau, Notices et extraits de quelques Mss. latins de la bibliothèque Nationale, t. V, Paris 1892, p. 173. Sbaraglia, Suppl. p. 161, 334, 372. **[H.]**

# R 194.

(XXXIX = S. IV. 2. p. 1.)

Codex membranaceus formae maximae (0,2×0,29 m) foliorum 126 (ie. f. 11—136, quae complent quaterniones tredecim, ternionem, quinionem, ternionem), versuum 34 per binas in quaque pagina columnas digestorum, scriptus est saec. XIII. Huic codici praefixa sunt folium membranaceum (f. 1), in quo Christus cruci fixus cum Maria et Iohanne librum sinistra manu tenente satis nitide pictus est, folium chartaceum (f. 2), ternio chartaceus (f. 3—8), unio membranaceus (f. 9 ∾ 10). Litterae initiales coloribus rubro et viridi pictae sunt. f. $11^v$ et $12^r$ testimonium praebent, quis olim codicem possederit; legitur enim: *LIBER · SC̃E · MARIE · CIRCINIS · IN · LVBENS.* Insunt:

**1)** f. $2^v$—$8^v$ ***Calendarium ab anno 1268*** non multo post ipsum codicem exaratum.

**2)** f. $9^r$—$10^v$ laterculus capitum Gregorii a scriptore quodam paulo recentiore codici praemissus et ita inscriptus:

*Prologus de racione sequencium capitulorum.*

Inc. *Capitula que beatus gregorius in libro ezechielis exposuit. serratim hic ascripsimus* eqs.

Expl. *Expliciunt capitula partis secunde in exposicionem beati Gregorii pape super ezechielem prophetam.*

**3)** f. $11^v$—$135^r$b ***Omeliae sancti Gregorii papae;*** cf. Migne, Patr. lat. t. 76, col. 785—1072.

*Incipit prefatio sancti Gregorii pape. In ezechielem prophetam.*

*Dilectissimo fratri mariano episcopo. gregorius seruus seruorum dei. Omelias que in beato ezechiele propheta. ita ut coram populo loquebar exceptę sunt. multis curis irruentibus. in abolitione reliqueram; sed post annos octo petentibus fratribus notariorum cedulas requirere studui* eqs.

*Explicit prefatio. Incipit omelia prima.*

*Dei omnipotentis aspiratione. de ezechiele propheta locuturus. prius debeo tempora et modos aperire prophetię. ut dum accessus eius ostenditur. uirtus melius cognoscatur.*

Sequuntur f. $16^r$a *omelia II*, $20^v$a *III*, $24^v$a *IV*, $27^v$a *V*, $30^v$b *VI*; inter f. 34 (quod desinit verbis *illic quiescunt in celesti*) et 35 (quod incipit *Distribucionem terrenarum rerum non timet*) excidit quaternio, quo homiliae VI pars extrema, tota homiliae VII, homiliae VIII pars prima interierunt. f. $40^r$a incipit *Omelia IX*, $47^r$b *X*, $55^v$b *XI*, $61^v$b *XII*.

f. $68^{v}$b *Explicit pars prima in ezechiele propheta. Incipit pars secunda eiusdem libri. Omelia tertia decima. Quia multis curis irruentibus* eqs.

Sequuntur f. $75^{v}$a *Omelia XIV*, $80^{r}$b *XV*, $86^{v}$a *XVI*, $92^{r}$b *XVII*, $98^{v}$a *XVIII*, $105^{r}$a *XVIIII*, $112^{r}$a *XX*, $119^{r}$a *XXI*.

Explicit f. $135^{r}$b *per dolores et uulnera et munera ad hereditatem perpetuam erudit. Sit itaque gloria omnipotenti deo nostro ihesu christo. Qui uiuit et regnat cum patre in unitate spiritus sancti deus. per omnia secula seculorum. Amen.*

4) f. $135^{r}$b—$136^{v}$a **Tractatus de missa** a minore manu scriptus.

Inc. *Si per negligentiam de calice aliquid stillauerit in terram lingualiter tabula radetur. Si non fuerit tabula ut non conculcetur locus conradetur et in igne consumetur et cinis intra altare recondatur et sacerdos . XL. dies peniteat* eqs.

5) f. $136^{v}$a **Oratio pro mortuis.**

Inc. *Ave spes nostra. aue salus nostra. Aue redempcio nostra. te adoramus omni tempore. tibi canimus tibi laus et gloria. Agimus tibi et patri gratias pro iam beatificatis. postulantes eorum interuentu adiuuari pro hiis autem qui sunt in ignitoriis locis inmolatur tibi pater sanctus supplicando. ut per hanc sacrosanctam hostiam eorum pena fiat leuior* eqs.

6) f. $136^{v}$b ***Prophetie:*** *Hic pro quo rogas quinque temporibus dominans dominabitur. Terror eius gentium corda ueniet. Metas Alęxandri transcendet. In extremis suis uictoriosus erit. Finis eius ascendet ad superos. Successor eius duorum annorum erit. In eius tempore tota gentilitas conuertetur. Hunc sequetur septennalis auctor. In cuius tempor etotus fere orbis pacificabitur. Hunc sequetur totius immunditie et presumptionis exactor. De quo sic scriptum est implebitur.*

In spatio reliquo manus recentior (saec. XV./XVI.) varia conscripsit quae ad penitentiam agendam incitare videntur. Inc. *Venit hora tunc ad orandum siue ad psallandum* eqs.

[H.]

## R 237.

(VII = S. IV. 2. post. 42.)

Codex membranaceus formae maximae (0,36×0,45 m) foliorum 141 (quinionum quattuordecim foliique unius) versuum quadragenorum binorum scriptura nitidissima s. XV. est exaratus, in fronte et singulis capitum initiis pictura distinctus. Primae paginae s. XVII. numerus 307 est adscriptus. Insunt in hoc libro:

**Hegesippi** qui fertur de bello Iudaico libri quinque.

f. 1^r *Aegisippi de iudaico bello moenium quoque et urbis excidio Iherusalem lib. pr. foel. incipit. Quatuor libros regnorum* (init. prooem.) — f. 141^v *prius ignis consumpsit* (V 53 extr.) *finis.*

Neque hic neque qui sequuntur codices (no. 238. 239) adhibiti sunt a C. Fr. Webero ad edendum opus Hegesippi (Marburgi Chattorum 1864). Cf. praeterea Otto Scholz, Die Hegesippus-Ambrosius-Frage. Diss. Breslau 1913. [W.]

## R 238.

(XXII = S. IV. 2. post. 43.)

Codex membranaceus formae maximae (0,23×0,31 m) foliorum 138 (quaternionum sedecim, quinionis unius), versuum fere senorum et trigenorum in binas columnas digestorum, scriptus est litteris pulcherrimis saeculo XIII. In fronte legitur n. 89, capitum initia coloribus et minio picta sunt, hinc illinc notae margini duobus post saeculis adspersae. Insunt in hoc codice:

1) **Hegesippi** qui fertur de bello Iudaico libri quinque.

f. 1^r *Incipit proemiu(m) egesippi. Quecu(m)que scriptura complexa est* (initium prooemii mutilum) — f. 124^v *pri(us) ignis consumpsit* (V 53 extr.). *heiesippi natione iudei de excidio iudeor(um) lib(er) V explicit felicit(er), t(ra)nslat(us) a beato a(m)brosio mediolanensi archiep(iscop)o de g(re)co in latinu(m).*

Quanti momenti hoc codicum optimorum testimonium sit ad eruendum opusculi illius auctorem, docet A. Reifferscheid (S. B. Wien. Akad. tom. LVI p. 242).

2) **S. Hieronymi** de viris illustribus liber.

f. 125^r *incipit p(ro)emiu(m) beati ieronimi p(re)sbit(er)i ad dextru(m) uirum illustrem et prefectorium de catalogo uirorum illustrium. Hortaris dexter* (prooem. init.) — f. 138^r *et necdu(m) expleta s(un)t* (c. 135 extr.). *Explicit lib(er) beati ieronimi p(res)b(ite)ri de catalogo uiror(um) illustriu(m).* [W.]

## R 239.

(LV = S. IV. 2. post. 44.)

Codex membranaceus formae maximae (0,19×0,3 m) constat e foliis 144 (quaternionibus novem, unione uno, quaternionibus tribus, quinione uno, quaternionibus tribus, ternionibus duobus), quibus in fine tegumenti loco additur folium e missali libro saeculi XIII. exsectum. Quaternio qui fuit VI., in quo continebatur maior pars libri tertii, interiit. Scriptura s. XIV. in binas columnas undequadragenorum versuum digesta est. Insunt in hoc libro:

1) **Hegesippi** qui fertur de bello Iudaico libri quinque.

f. 1$^{v}$ *Quatuor libros regnorum* (init. prooem.) — f. 74$^{r}$ *p(rius) ignis consumpsit* (V 53 extr.). *Explicit liber quintus egesippi.*

f. 74$^{v}$ scriptura vacat.

2) **Pauli Orosii** historiarum adversus paganos libri septem, qui a brevissimo prooemio de Orosii vita et scriptis incipiunt (f. 75$^{r}$).

f. 75$^{r}$ *Incipit prologus. Preceptis tuis piis parui* (p. 1, 1 ed. Zangemeister) — f. 144$^{v}$ *iudicata si deleas* (p. 564, 9 Z.). [W.]

## R 269.

(LI = S. IV. 3. p. 29.)

Codex chartaceus formae maximae (0,21×0,29 m) foliorum 95 (octo senionum absciso folio ultimo) scriptus est in Italia annis 1455 et 1456 ab uno librario. Litterae initiales, lemmata, personarum notae coloribus rubro, caeruleo, viridi picta sunt; picturae insignes videntur in foliis 1$^{r}$, 18$^{r}$, 36$^{v}$, 64$^{v}$. In marginibus multae adnotationes leguntur manusque monstrantes adpictae sunt. Chartae signum sunt duae claves; arma sunt gentium nobilium in ff. 1$^{r}$ (adiectis litteris A. N.) et 36$^{v}$; huic adscriptum *d. Bene-ve-nu-tus.* In folio praefixo membranaceo scriptus est laterculus eorum, quae in codice insunt, et hi versus:

*Sum celi / mundique sator. Sum victor Auerni.*
*Me celebrent populi. testetur et omne creatum.*
*Aliger ecce Leo terras / mare / Sidera prenso.* in margine *A. V. T. (in 1455 confectum).*
*Clauiger ethereus. Christique Vicarius alo.*
*Pascoque Iussus oues miro Trinomius hamo.*
*Eius sum gladius. gladium qui ponere venit.*
*Peruersamque fidem mutaui nomine Paulue* (sic).

Praeterea legitur in f. 1$^{r}$: *Iesi 1456.*

Insunt:

**1) Sancti Gregorii papae dialogi.**

f. 1r supra textum: *Ecclesiam cultor / Petrique Sbanibulus aalmam* (sic)

*Per totum terrarum orbem Gregorius ornat*

*INCIPIT LIBER PRIMVS DIALOGORVM*

*SCI GREGORIJ PAPE:*

*QVADAM die dum nimijs quorundam secularium tumultibus depressus* eqs.

f. 17v Expl. *Vellem tibi in laudibus Redemptoris de viri venerabilis Benedicti miraculis aliqua narrare. Sed ad hec exempla hodiernum tempus uideo non posse sufficere. Liberius hec itaque loquemur. si aliud exordium sumamus. Incipiunt capitula secundi libri Dialogi.*

Sequitur enumeratio miraculorum sancti Benedicti.

f. 18r supra textum versus: *Sic uitam moresque tuos Benedicte sequamur.*

*Vt tecum hic pax aalma Iesu cęloque sequatur.*

Deinde: *INCIPIT LIBER SECVNDVS.*

*FVIT Vir Vitę Venerabilis, gracia dei Benedictus* eqs.

f. 33v rubro supra textum versus:

*Vnanimis Benedicte tibi mitissima Virgo*

*Iure. Soror tumulo: et tecum nunc claret Olympo.*

In margine additum: *versus mei in 1456.*

f. 35v explicit: *Aliquantulum iam a locutione cessandum est: ut si ad aliorum miracula enarranda tendimus. loquendi uires interim per silentium Reparemus INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI TERTII,* quae explent f. 36r.

f. 36v *INCIPIT LIBER TERCIVS.*

*DVM uicinis ualde patribus intendo. maiorum facta reliqueram.*

f. 63v explicit: *quod anima post carnem Viuat. subsequenti hoc Quarto Volumine Demonstrabo.*

*INCIPIVNT CAPITVLA Libri quarti et vltimi.*

f. 64v *INCIPIT LIBER QVARTVS DIALOGORVM.*

*POSTQvam de Paradisi gaudijs culpa exigente expulsus est Primus humani generis parens.*

f. 94r explicit: *Et fidenter dico. quia SALutari hostia post mortem non indigebimus. si ante mortem Deo hostia ipsi fuerimus.*

*LAVS DEO.* In margine legitur: *exegi penultimo Februarij 1456.*

Cf. S. Gregorii Papae I. Cognomento Magni Opera omnia, studio et labore monachorum ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri. t. II (Parisiis 1705), col. 149—473.

2) f. 94v—95r *Oratio aurea* ***sancti Hieronymi*** *pro custodia dei retinenda.*

Incipit *CONCEDE MISERICORS DEVS quę tibi placita sunt ardenter me concupiscere.*

Explicit *Da tuis penis configi per penitentiam. Tuis beneficijs in Via uti per graciam. Et tuis gaudijs in Patria frui per gloriam. AMEN.*

3) f. 95r—95v *De excellentia et utilitate Missę.*

Incipit *MISSA precellit. et est dignior ceteris orationibus. sicut Christus qui est nostrum Caput. et est dignior nobis membris suis.*

Explicit *Non dubites ibidem Angelos consistere in quo Christus asistit.*

Sunt varia excerpta e Paulo Diacono, Bernardo, Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Crisostomo, Luca, Mathaeo, Iohanne petita. [H.]

## R 274.

(II. LXVII = S. IV. 3. p. 34.)

Codex chartaceus formae maximae (0,2×0,31 m) foliorum 394 (triginta trium senionum, abscisis duobus foliis ultimis) binis columnis ab uno librario saec. XV. scriptus est. Litterae initiales et lemmata in margine rubro adpicta sunt.

Insunt in codice:

1) f. 1—304va Postilla super librum Iob facta et conpleta a fratre **Iohanne de Hisdinio.**

Incipit *Respondens autem iob etc. Hic ponitur iob responsio. Notauerat enim eliphat de duobus scilicet quod erat flagellatus propter peccata sua et quod male senciebat de diuina prouidencia.*

f. 19rb *Respondens autem baldach. Hic ponitur ipsius baldach replicacio et postea iob responsio.*

Persaepe citantur *Gregorius, Bohecius, Seneca, Macrobius, Ouidius, Augustinus, Catho, Virgilius, Tullius, Claudianus, Beda, Ambrosius.*

f. 304rb explicit: *Nam quis est aliud uite finis nisi peruenire ad regnum cuius nullus est finis. Ad quod regnum nos perducat* (304va) *Qui in trinitate personali et vna simplici deitate in eternum viuit. Et regnat deus benedictus in secula seculorum.*

*Explicit postilla super librum iob facta et conpleta a fratre iohanne de hisdinio.*

*Alme pater satis est circa iob uerba lucis. Iam paciencia iob premia digna tulit. Quod potui feci defectus corrige supra. Non michi scribenti gloria sed tibi sit. Ergo laboranti vix prestantissime: naute ad tua tendenti littora tende manum.*

De Iohanne de Hesdinio (Hisdinio, Isdinio) theologo Parisiensi cf. Nomenclator litterarius theol. cathol., 3. ed., t. II. Oeniponte 1906, col. 690.

**2)** f. 304ᵛa—ᵛb: *Genealogia iob secundum magistrum in hystoricis scolasticis dicitur.*

Explicit *singula mea contenta plena sunt sensibus breuis conclusio ad dominum cardinalem boloniensem etc.*

**3)** f. 305ʳ—393ʳb: **Sermones beati Iohannis Chrysostomi.** Praecedit f. 305ʳ—320ʳa index rerum alphabeticus, cuius in fine legitur: *Themata posita in ista lectura sunt ista et tractatur satis ad dandum materiam predicandi secundum ea* eqs.

*Incipit prefacio in sermones beati Iohannis Crisostomi quos fecit summam laudando pacienciam iob multipliciter temptati commendandoque christi fidelibus in exemplum.*

f. 320ʳb: *Consweuerunt pater beatissime qui sub ceteris predecessoribus tuis fideles militauerunt diuersis studys diuersos imitari.*

f. 320ᵛa: *Sermo primus de paciencia beati viri iob. in quo comparat eum ad adam et narrat multiplices eius calamitates.*

*Magnus ad nos hodierna die certator orbis advenit. venit ad nos peregrinus atque angelis par.*

f. 323ʳa *sermo II: Magnum rerum pondus magnarum narracionum dignitatem postulat.*

f. 325ʳa *sermo III: Iam nos omnes promissum auditum attingamus.*

f. 329ʳb *sermo IV: Vbique quidem ac omni ut ita dicam in diuino sermone rebus inferiora sunt verba.*

f. 333ᵛb *sermo V: Proponamus igitur vobis dilectissimi.*

f. 342ʳb *sermo VI: Leta uobis hodie festiua celebritas solitoque illustrior cetus.*

f. 346ʳb *sermo VII: Letor et exulto dei ecclesiam hodie suorum multitudine filiorum ornatam videns.*

f. 349ʳa *sermo VIII: Qui etsi hesterna die vobis defuerim non mea sponte actus necessitate defui.*

f. 353ʳb *sermo IX: Assidue eam pastores consuescunt partem suas oues diuertere.*

f. 357ʳa *sermo X: Semper quidem diuinus apostolus diuina celestique utitur lingwa.*

f. 363ᵛb *sermo XI: Ecce uobis hodie sanctus imminet dauid.*

f. 366ʳa *sermo XII: Iam ergo turbine secularium rerum liberati.*

f. 369ᵛb *sermo XIII: Qvam iocundi spiritualis huius uobis maris sunt fluctus.*

f. 374ᵛa *sermo XIV: Beatus paulus gencium apostolos et ecclesie doctor.*

f. 385ʳa *sermo XV: Ergo nouistis vnde uobis hesternus sermo inceperat aut ubi defecerat.*

f. 388ᵛb *sermo XVI: Eya nunc recordacio vestri nos tenuit totoque tempore abfuimus.*

f. 393ʳa explicit: *hic vniuersi deponamus peccata vt multa cum fiducia coram christi tribunali stare possimus regnumque celorum consequi cuius omnes nos participes fieri contingat gracia et clemencia domini nostri ihesu* (393ʳb) *x̄p̄i Cui cum patre simul cum sancto spiritu gloria imperium honor nunc et semper in secula seculorum. Amen.*

*Expliciunt sermones Iohannis Crisostomi de paciencia Iob et aliquot de penitencia translati de greco in latinum.* **[H.]**

## R 284.

(LXVII = S. IV. 4. p. 7.)

Codex membranaceus formae maximae (0,2×0,28 m) scriptus est ab uno librario saec. IX. vel X. binis columnis 28 versuum. Olim eum ex XXXVII quaternionibus unoque quinione constitisse numeri vetusti docent, sed perierunt quaterniones I—VI, XVI, XVII, XXI, XXVI, XXXI et aliquot folia, ut nunc restent haec:

| | | | |
|---|---|---|---|
| f. 1—3 | = | quaternio | VII abscisis 5 foliis |
| f. 4—66 | = | quaterniones | VIII—XV exciso folio uno |
| f. 67—90 | = | „ | XVIII—XX |
| f. 91—122 | = | „ | XXII—XXV |
| f. 123—129 | = | „ | XXVII absciso folio uno |
| f. 130—153 | = | „ | XXVIII—XXX |
| f. 154—185 | = | „ | XXXII—XXXV |
| f. 186—195 | = | quinio | XXXVI |
| f. 196—201 | = | quaternio | XXXVII abscisis 2 foliis |
| f. 202—208 | = | „ | XXXVIII exciso folio uno. |

Litterae initiales coloribus rubro, caeruleo, viridi, flavo, lemmata rubro vel caeruleo litteris maiusculis picta sunt. f. 29$^{v}$, 207$^{v}$, 208$^{r}$ et $^{v}$ scriptura paene evanuit.

Insunt in codice:

**Isidori Hispalensis Etymologiarum libri.**

f. 1$^{r}$ incipit *Quintus circulus cymirinus tropicus qui a latinis hiemalis siue brumalis appellatur* eqs. = III 43, 4. v. 9 rubro *XXXII. DE ZODIACO CIRCULO.*

f. 1$^{v}$ explicit *Unde et eclypsin patitur. si inter ipsam et solem* = III 52, 2. Post f. 1 exciderunt 4 folia.

f. 2$^{r}$ incipiunt capitula libri quinti a *IIII. quid sit ius naturale.* Deinde incipit: f. 9$^{v}$ liber VI, 17$^{r}$ VII, 24$^{r}$ VIII, 45$^{v}$ IX, 129$^{v}$ XIV, 144$^{v}$ XV, 169$^{v}$ XVII, 188$^{r}$ XVIII, 198$^{v}$ XIX. Ultimum caput est f. 204$^{v}$ *De lanificiis et inuentione lanificii.* Postrema pars operis exstetne in codice an desit, incertum propter scripturam evanidam. Exciderunt: post f. 66 VII 12, 28—VIII 9, 10, post f. 90 IX 4, 38—XI 1, 21, post f. 122 XII 7, 46—XIII 12, 2, post f. 129 XIV 3—5, post f. 153 XV 4, 17—XVI 3, 9, post f. 201 XIX 7, 3—16, 1.

Contulit codicem pretiosissimum v. d. Anspach Isidorum editurus.

[H.]

## R 285.

(CII = S. IV. 4. p. 8.)

Codex membranaceus formae maioris (0,18×0,26 m) foliorum 70 (quattuor quaternionum, ternionis, quattuor quaternionum) saeculo XIII. scriptus est. Litterae initiales coloribus rubro et viridi pictae sunt, quarum in multis bestiae, homines, plantae miris formis conspiciuntur. In margine manus recentior (saeculi fere XVI.) lemmata addidit. Insunt

**Isidori Hispalensis Etymologiarum libri XI—XVII.**

f. 1$^{r}$ *IN NOMINE $\overline{DN}$ $\overline{NRI}$ $\overline{IHV}$ $\overline{XPI}$ INCIPIT*
*LIBER ETHIMOLOGIAR$\overline{V}$ PARS SECVNDA*
*I. De homine et partibus eius. II. De etatibus hominis* eqs.

Sequuntur f. 10$^{v}$ liber XII, 23$^{v}$ XIII, 31$^{r}$ XIV, 39$^{r}$ XV, 48$^{v}$ XVI, 59$^{v}$ XVII. Subscriptum f. 70$^{v}$ manu recentiore:

*Que est domus tam stabilis. que tam ciuitas firma est.*
*que non hodijs et discidijs funditus possit euerti.*
*Vnde quisquam priusquam loquatur* (finis deest). [H.]

# R 286.

(II. LXIV = S. IV. 4. p. 9.)

Codex membranaceus formae maioris (0,16×0,26 m) foliorum 213 (senionum duodeviginti, quorum ultimi tria folia exciderunt) versuum 37, scriptus ab uno librario anno 1406 (cf. f. 178[v]). Lemmata et litterae initiales rubro, notae marginales atramento adpictae sunt. Librum primus possedit Iohannes Perger, cuius nomen legitur in f. 1[r] sic: *Io. Perger liber iste fuit notarii huius vrbis Vrat.* Deinde eum anno 1513 a Gregorio Mornberg comparatum esse eiusque posterorum alicuius ex bibliotheca anno 1614 vel 1616 ad Thomam Schröer pervenisse docent hae notae: in parte exteriore tegumenti *Gregorius Mornberg 1513*; in parte interiore tegumenti *1513 Emptus per G. M.* (postea suppletum in *Gregor. Morenberg*) *notarium*; f. 1[r] *Iohan. Morenberg a* (corr. in *de*) *Baruthowiz. 1596. Ex hujus bibliotheca hunc librum sibi comparavit Thomas Schröer v. i. c. Curie Vratisl. Advoc: Ordin. A° 1614*; f. 189[r] *Thomas Schröer Ict. Curiae Vratisl. Advocatus Ordin: comparavit sibi librum hunc ex biblioth. Ioh. Morenberg: A. 1616. M. X[VI.]*

Insunt:

**1) f. 1[r]—57[r] Isidori de summo bono libri tres.**

*Incipiunt capitula primi libri beati ysidori de summo bono et cetera.* Sunt 66 capitulorum tituli.

f. 2[v] *Incipit liber beati ysidori de summo bono quod deus summus et inconmutabilis sit.*

*Svmmum bonum deus est quia inconmutabilis est et corrumpi omnino non potest.*

f. 15[v] *Explicit liber primus beati ysidori. Incipit secundus de sapiencia. C. 1.*

*Omnis qui secundum deum sapiens est beatus est. Beata vita cognicio diuinitatis est.*

f. 32[v] *Incipit liber tercius de flagellis dei. Capitulum I. Sequitur.*

*Diuine sapiencie subtilitas sicut interius (ut testis) scrutatur consciencias ita exterius erogat penas.*

f. 57[r] *Illi enim deplorandi sunt in morte quos miser infernus ex hac vita recipit. non quos celestis aula letificandos includit.*

*Explicit ysidorus de summo bono. laus sit summo patri etc.*

cf. Migne, Patr. lat. t. 83, col. 537—738 (Sententiarum libri tres).

f. 57[v] vacuum (pars inferior eius folii abscisa).

2) f. 58r—92r Liber qui dicitur **Smaragdi Dyadema Monachorum.**

*Incipit prologus smaragdi in librum qui dicitur dyadema monachorum.*

*Nvnc modicum operis nostri libellum de multorum dictis orthodoxorum ... propterea in hoc libello de oracionis officio capitulum primum ponimus.*

*Explicit prologus Incipit liber qui dicitur dyadema monachorum. De oracione.*

*Hoc est remedium anime eius qui viciorum temptamentis estuat. ut quociens quolibet vicio tangitur. et tociens ad oracionem se subdat. quia oracio viciorum inpungnacionem extingit.*

Expl. f. 92r *per hanc dyabolus vincitur. per hanc vicia superantur. per hanc dominus ad misericordiam prouocatur.*

*Explicit liber Smaragdi qui dicitur Dyadema monachorum.*

cf. Migne, Patrol. lat. t. 102, col. 593—690. Chevalier, Répertoire des sources historiques du moyen-âge II (1907), col. 4294. Potthast, Wegweiser², II, p. 1024. Manitius, Gesch. d. lat. Literatur des Mittelalters I (1911), p. 461 sqq.

f. 92v vacuum.

3) f. 93r—178v **Claustrum anime.**

*Incipit prologus in claustrum anime.*

*Domine dilexi decorem domus tue. et locum habitacionis glorie tue. Gloria qui dicit. dilexi me facere decorem tibi domum. et locum in quo gloriose habites. ut de gloria et effectu deitatis aliquid capiam ... erexi humiliter et distinxi.*

Sequuntur tituli 48 capitulorum (*I. De aree domus anime preparacione — XLVIII. De visitacione domus anime*).

f. 93v *Incipit claustrum anime. De aree domus anime preparacione.*

*Diligenter exerce agrum tuum et post edifices domum tuam. sic dicitur prov. L IIII. Iste ager cor hominis est. et ager certe agri pleni. vnde gregor. super Ezechielem omelia VI. Aliter namque olet flos vue quia magna est et opinio predicatorum qui inebriant mentes audiencium. aliter flos olyue quia opus suaue est minime quidem more oley refouet et lucet. Aliter flos rose quia fraglancia est que rutilat etc.*

Expl. 178v *Status nouiciatus boni inchoacio. professio in manus prelati celestium post mortem introduccio. et eterne stabilitatis et felicitatis ibidem confirmacio. Que nobis prestare dignetur.*

*Explicit liber qui dicitur claustrum anime Sub anno domini Millesimo quadringentesimo anno sexto finitus Sabbato post festum sancti*

*Valentini hora quasi sexta. Gloria laus et honor sit summo et inconmutabili bono. Orate pro scriptore.*

Est opusculum ignoti mihi quidem auctoris neque usquam typis expressum videtur.

4) f. 179r—189r *Incipit* ***liber sancti Bernhardi abbatis de diligendo deo.***

*Uiro illustri domino americo ecclesie romane dyacono cardinali et cancellario Bernhardus dictus abbas de claraualle. domino uiuere in domino mori.*

Expl. *Proinde ubi iam non erit miserie locus aut misericordie tempus nullius profecto esse poterit miseracionis effectus.*

*Explicit liber beati barnhardi abbatis de diligendo deo gloria sit ei.*

cf. Migne, Patrol. lat. t. 182, col. 973—1000. (De diligendo deo liber seu tractatus ad Haimericum S. R. E. cardinalem et cancellarium.)

f. 189v vacuum.

5) f. 190r—213v *Incipit liber* ***augustini*** *qui dicitur* ***Enchiridion.***

*Dici non potest dilectissime fili laurenti quantum tua erudicione delecter quantumcumque te cupiam esse sapientem.*

Expl. *vtinam tam comodum quam prolixum de fide. spe et caritate conscripsi.*

*Explicit encheridion beati augustini episcopi laus sit inconmutabili bono.*

cf. Migne, Patr. lat. t. 40, col. 231—290. [H.]

## R 289.

(II. LXXXIX = S. IV. 4. p. 12.)

Codex membranaceus formae maximae (0,44×0,26 m) foliorum 295 (unionis, quinionum duorum, quaternionum duorum, quinionum quattuor, quaternionum quinque, senionis, quinionum duorum, quaternionum duorum, quinionum quinque, quaternionum septem, binionis, quinionis uno folio exsecto, quinionis moduli paulo minoris) binis columnis versuum 45 vel 46 saec. XIV. nitide scriptus est. Margines repleti sunt glossis ab eadem manu scriptis. Lemmata et litterae initiales rubro vel caeruleo colore scripta, sed nonnunquam omissa sunt. Insunt:

**1) Iustiniani Digestorum libri XXXIX—L.**

f. 1r et 2r (in quo scripturae vetustioris postea deletae vestigia cernuntur) varia notata iuridica litteris minutis multisque compendiis adhibitis.

f. 1ᵛ indicem exhibet alphabeticum titulorum ipsius voluminis.

f. 2ᵛ vacuum est.

f. 3ʳ incipiunt Digesta ita: *d(omi)ni iustiniani sacratissimi e* (deletum) *pri(n)cipis p(er)petui aug(usti) iuris enucleati exellietere* (corr. in *ex o(mn)i ueteri*) *iure collecti dig(estorum) eu* (*s* postea praefixa) *pa(ndectarum) Explic(it) XXXVIII i(n)cipit. XL.* (revera XXXIX) *d(e) op(er)is noui nu(n)tiat(i)o(n)e(m)* (sic); deinde 7 versibus vacuis relictis: *(H)OC ed(i)c(t)o p(er)mittitur ut siue iure siue iniuria op(us) fieret. p(er)nu(n)tiatione(m) i(n)hiberetur* eqs. Simili modo libri sequentes a rubricatore indoctissimo inscribuntur, et desunt quidem primis cuiusque libri fragmentis nomina auctorum, adsunt tamen ceteris; per totum vero codicem in legibus singulis afferendis librorum tituli omittuntur. Incipit f. 25ᵛ liber XL, 57ᵛ XLI, 79ʳ XLII, 93ᵛ XLIII, 117ᵛ XLIV, 130ʳ XLV, 148ᵛ XLVI, 175ʳ XLVII, 202ᵛ XLVIII, 234ʳ XLIX, 254ʳ L.

f. 285ʳ explicit liber L. ita: *Paul(us). Seruus rei publice causa abesse non potest.* Subscriptio deest.

f. 285ᵛ vacuum, nisi quod litteris minutissimis pauca adnotata sunt (inter quae sunt aliqui versus memoriales iuridici).

**2)** Quinio adnexus, cuius paginae binas columnas 89 versuum exhibent, continet tractatum inscriptum *De sac(ro)sa(n)ctis ecc l(es)iis.*

Incipit f. 286ʳ *Habeat unusquisq(ue) (et)c(etera). hui(us) r(ubri)ce tres su(n)t p(ar)tes. (et) (prima) lex respic(it) ultima(m) p(ar)tem. r(ubri)ce. d(e) p(ri)uileiis eccl(esiarum)* eqs.

Est commentarius in **Iustiniani codicis** lib. I tit. 2.

Explicit f. 295ʳ.

f. 295ᵛ vacuum est. [Z.]

## R 294.

(CXXII = S. IV. 4. p. 17.)

Codex membranaceus formae maioris (0,18×0,24 m) foliorum 148 (quinionum quattuordecim et quaternionis unius) versuum 33 ab uno librario Italo saec. XIV. exaratus est. Lemmata et litterae initiales rubro vel caeruleo (f. 1ʳ etiam viridi et aureo) colore picta sunt. Insunt:

## Papae Leonis sermones.

**1)** f. 1r—5r *Disertissimi Sermologi Pape Leonis Sermones Incipiunt. Dominica prima Aduentus de incarnatione domini Epistola eiusdem ad flauianum constantinopolitanum episcopum.*

Inc. *Dilectissimo filio flauiano leo. Lectis dilectionis tue epistolis quas miramur fuisse tam seras. et gestorum episcoporum ordine recensito* eqs.

cf. Leonis Magni opera omnia, Lugduni 1700, ep. XXIV, f. 242.

**2)** f. 5r—13v *De Ieiunio · X$^{mi}$ mensis* (octo sermones).
f. 5r *Si fideliter dilectissimi* = sermo XI f. 60.
f. 6v *Quod temporis ratio* = XII f. 61.
f. 6v *In dominico agro dilectissimi* = XIII f. 61.
f. 7v *Confidenter uos dilectissimi* = XIV f. 62.
f. 8r *Sublimitas quidem dilectissimi* = XV f. 63.
f. 10r *Euangelicis santionibus* = XVI f. 65.
f. 11v *Presidia milicie christiane dilectissimi* = XVII f. 66.
f. 12v *Cum de aduentu regni dei* = XVIII f. 67 (desunt duo sermones).

**3)** f. 13v—33r *De Natiuitate domini* (decem sermones) omnes:
f. 13v *Saluator noster dilectissimi* = sermo XX f. 70.
f. 15r *Exultemus in domino dilectissimi* = XXI f. 71.
f. 17r *Nota equidem sunt uobis dilectissimi* = XXII f. 73.
f. 19r *Semper quidem dilectissimi* = XXIII f. 75.
f. 21r *Quamuis dilectissimi ineffabilis* = XXIV f. 77.
f. 23r *Omnibus quidem diebus dilectissimi* = XXV f. 79.
f. 25r *Festiuitatis hodierne dilectissimi* = XXVI f. 80.
f. 27v *Cum semper dilectissimi gaudere* = XXVII f. 82.
f. 29v *Excedit quidem dilectissimi* = XXVIII f. 84.
f. 31r *Sepe ut nostis dilectissimi* = XXIX f. 86.

**4)** f. 33r—45v *De epiphania domini* octo sermones = XXX—XXXVII (f. 88—99).
f. 33r *Celebrato proximo die.*
f. 34v *Gaudete in domino dilectissimi.*
f. 35v *Quamuis sciam dilectissimi.*
f. 37v *Iustum et rationabile dilectissimi.*
f. 39v *Hodiernam festiuitatem dilectissimi.*
f. 41v *Dies dilectissimi quo primum.*

f. 43ʳ *Memoria rerum ab humani generis saluatore gestarum.*
f. 44ᵛ *Causam dilectissimi et rationem.*

**5)** f. 45ᵛ—66ʳ *De quadragesima* duodecim sermones = XXXVIII—XLIX (f. 99—118).

f. 45ᵛ *Hebreorum quondam populus.*
f. 47ᵛ *Licet nobis dilectissimi appropinquante festiuitate.*
f. 49ʳ *Semper quidem nos dilectissimi sapienter.*
f. 50ᵛ *Predicaturus uobis dilectissimi.*
f. 53ʳ *Apostolica dilectissimi doctrina.*
f. 55ʳ *Semper quidem dilectissimi misericordia.*
f. 56ʳ *Uirtus dilectissimi et sapientia.*
f. 58ʳ *Deuocionis quidem uestre.*
f. 59ᵛ *In omnibus dilectissimi solemnitatibus.*
f. 61ʳ *Inter omnes dilectissimi dies.*
f. 62ᵛ *In omnibus quidem dilectissimi diebus.*
f. 65ʳ *Appropinquante dilectissimi solempnitate.*

**6)** f. 66ʳ—68ᵛ *Secundum Matheum. In illo tempore assumpsit iesus petrum iacobum et iohannem fratrem eius et duxit eos in montem excelsum seorsum ualde. Et reliqua. Omelia beati Leonis pape* = s. XCIV f. 179.

Inc. *Euangelica dilectissimi lectio que per aures corporis interiorem mentium nostrarum pulsauit auditum. ad magni sacramenti nos intelligenciam uocat.*

Expl. *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. ipsum audite. qui et uiuit et regnat cum patre et spiritu sancto in secula seculorum. AMEN.*

**7)** f. 68ᵛ—101ʳ *De passione domini nostri ihesu christi* 19 sermones = L—LXVIII (f. 118—148).

f. 68ᵛ *Sacratissimum dilectissimi.*
f. 70ʳ *Exigit fides dilectissimi.*
f. 71ʳ *Inter omnia dilectissimi opera.*
f. 73ʳ *Expectationi uestre dilectissimi.*
f. 74ᵛ *Creator et dominus omnium.*
f. 75ᵛ *Sponsionis nostre memores.*
f. 77ʳ *Scio quidem dilectissimi pascale.*
f. 79ʳ *Decursis dilectissimi sermone.*
f. 81ᵛ *Sacramentum dilectissimi dominice passionis.*

f. 83r *Cum multis modis dilectissimi.*
f. 84v *Desiderata nobis dilectissimi.*
f. 86v *Omnia quidem tempora dilectissimi.*
f. 88r *Euangelica lectio dilectissimi.*
f. 90r *Gloria dilectissimi dominice passionis.*
f. 92r *Sermonem dilectissimi de gloriosa.*
f. 93v *Semper quidem dilectissimi fidelium mentes.*
f. 95v *Sermo proximus dilectissimi.*
f. 97r *Magnitudo quidem dilectissimi.*
f. 99r *Sacram dilectissimi dominice passionis historiam.*

8) f. 101r—105v *De resurrectione domini nostri ihesu christi.*
f. 101r *Sermone proximo dilectissimi* = sermo LXIX (f. 148).
f. 103r *Notum quidem dilectissimi* = sermo LXX (f. 150).

9) f. 105v—108v *De ascensione domini nostri ihesu christi.*
f. 105v *Post beatam et gloriosam resurrectionem* = sermo LXXI (f. 152).
f. 106v *Sacramentum dilectissimi salutis nostre* = sermo LXXII (f. 153).

10) f. 108v—114v *De solemnitate pentecostes* tres sermones = LXXIII—LXXV (f. 155-160).
f. 108v *Hodiernam solempnitatem dilectissimi.*
f. 110r *Plenissime quidem uobis dilectissimi.*
f. 113r *Hodiernam dilectissimi festiuitatem.*

11) f. 114v—117v *De Ieiunio pentecostes* quatuor sermones = s. LXXVI—LXXIX (f. 161—163).
f. 114v *Hodiernam dilectissimi festiuitatem de descensione.*
f. 115v *Dubitandum non est dilectissimi.*
f. 116r *Sanctarum solempnitatum dilectissimi.*
f. 116v *Inter omnia dilectissimi apostolice doctrine.*

12) f. 117v—120r *In solemnitate apostolorum petri et pauli* duo sermones = s. LXXX (f. 163) app. IV (f. 189).
f. 117v *Omnium quidem sanctarum solemnitatum.*
f. 119r *Exultemus in domino dilectissimi.*

13) f. 120r—120v *In octauis apostolorum petri et pauli sermo* = s. LXXXI (f. 165).
Inc. *Religiosam deuotionem dilectissimi.*
Expl. *iuuare dignetur per christum dominum nostrum. amen.*

**14)** f. 120$^{v}$—121$^{v}$ *De Septem machabeis sermo* = s. LXXXII (f. 167).

Inc. *Gratias dilectissimi domino deo nostro.*

Expl. *auxiliante domino nostro ihesu christo qui cum patre etc.*

**15)** f. 121$^{v}$—122$^{v}$ *In passione Sancti Laurentij Sermo* = s. LXXXIII (f. 168).

Inc. *Cum omnium dilectissimi forma uirtutum et tocius plenitudo iusticie de illo amore nascatur.*

Expl. *per dominum nostum iesum christum uiuentem et regnantem in secula seculorum amen.*

**16)** f. 122$^{v}$—132$^{v}$ *De Ieiunio Septimi mensis* nouem sermones = s. LXXXIV—XCII (f. 169—178).

f. 122$^{v}$ *Obseruantiam quidem uestram dilectissimi.*

f. 123$^{r}$ *Deus humani generis conditor et redemptor.*

f. 124$^{r}$ *Ad exorandam dilectissimi misericordiam dei.*

f. 125$^{v}$ *Predicationem nostram dilectissimi.*

f. 127$^{r}$ *Sacratum dilectissimi in septimo mense ieiunium.*

f. 128$^{v}$ *Deuotionem fidelium dilectissimi.*

f. 129$^{v}$ *Apostolica institutio dilectissimi.*

f. 130$^{v}$ *Omnis dilectissimi diuinorum erudicio.*

f. 131$^{v}$ *Scio quidem dilectissimi plurimos.*

**17)** f. 133$^{r}$—135$^{v}$ *In festo omnium sanctorum secundum Matheum.*

*In illo tempore uidens iesus turbas ascendit in montem et cum sedisset accesserunt ad eum discipuli eius. Et reliqua.*

*Omelia beati Leonis pape* = s. XCV (f. 181).

*Predicante dilectissimi domino nostro iesu christo euangelium regni.*

**18)** f. 135$^{v}$—140$^{r}$ *De ordinatione pontificis* tres sermones = s. I—III (f. 49—54).

f. 135$^{v}$ *Laudem domini loquatur os meum.*

f. 136$^{v}$ *Quotiens nobis misericordia dei.*

f. 138$^{r}$ *Gaudeo dilectissimi de religioso uestre deuotionis affectu.*

**19)** f. 140$^{r}$—144$^{r}$ *De collectis* (quinque sermones) = s. V—IX (f. 55—59).

f. 140$^{r}$ *Multis diuinarum scripturarum testimonijs.*

f. 140$^{r}$ *Notum uobis dilectissimi et familiare mandatum.*

f. 140$^{v}$ *Christiane pietatis est dilectissimi.*

f. 141$^{r}$ *Misericordia dilectissimi et iusticia dei.*

f. 142$^{v}$ *Apostolice tradicionis dilectissimi instituta.*

**20)** f. 144$^{r}$—145$^{v}$ *Contra heresim euticetis Sermo eiusdem* = s. CIII (f. 178).

f. 144$^{r}$ *Sicut peritorum dilectissimi prudentumque medicorum.*

**21)** f. 145$^{r}$—147$^{r}$ *Contra absalon quando persequebatur dauid patrem suum.*

Inc. *Perdidit absalon sceleratissimus mentem suam.*

Expl. *Nouo enim supplicio debuit interire. qui seculo nouum scelus patris exitium uoluit intulisse. Deo gracias. Amen.*

*Expliciunt sermones beati Leonis. pape primi. deo gratias.*

Hic sermo deest in editione laudata.

**22)** f. 147$^{r}$—148$^{v}$ Tabula sermonum.

f. 148$^{v}$ *Explicit tabula sermonum beati leonis pape primi. deo gratias. amen.* **[H.]**

## R 354.

(Oct. XVII = S. IV. 2. a. 1.)

Codex chartaceus formae minoris (0,1×0,145 m) foliorum numeratorum 602 per seniones digestorum, binis columnis versuum 50 saeculo XV. scriptus. Litterae initiales et lemmata rubro vel caeruleo colore scripta. Praecedunt ff. 9 vacua.

f. 598$^{r}$a legitur: *Bartholomeus leuman introligandum disposuit.*

Insunt:

**1)** f. 1$^{r}$a—543$^{r}$a. **Biblia Sacra.**

*Prologus. Incipit prologus sancti ieronimi in libro genesis. Frater ambrosius michi tua munuscula perferens detulit simul et suauissimas literas que a principio amiciciarum fidem probate iam fidei et ueteris amicicie noua preferebat* eqs.

f. 4$^{v}$a *Nunc te deprecor desideri karissime. ut quia me tantum opus subire fecisti et a genesi exordium capere oracionibus iuues quo possim eodem spiritu quo scripti sunt libri in latinum eos transferre sermonem. Explicit prologus. Incipit liber genesis: In principio creauit deus celum et terram* eqs.

Sequuntur ceteri libri solito ordine. Agmen igitur claudit Apocalypsis, quae sic explicit: *Sic dicit qui testimonium perhibet istorum. Eciam uenio cito amen. Veni domine ihesu amen. Gracia domini nostri ihesu christi cum omnibus nobis. amen.*

b) f. 544$^{r}$b Symbolum quod dicitur Athanasianum. Incipit: *Quicumque vult saluus esse ante omnia opus est ut teneat catholicam fidem* eqs.; explicit: *Est ergo fides recta ut credamus et confiteamur quia dominus noster ihesus christus dei filius cui laus et honor est.*

f. 545$^{r}$ vacuum est.

c) f. 544$^{v}$ *Incipit registrum librorum biblie secundum alphabetum compilatum et scriptum per manus fratris franczconis losac.*

d) f. 545$^{r}$ *Registrum super epistolas et ewangelia tocius anni.*

f. 545$^{v}$ *Restaneam partem huius registri quere.* Et legitur pars reliqua in f. 598$^{v}$—600$^{r}$a.

2) f. 546—595$^{v}$a **Glossarium hebreo-latinum.**

3) f. 595$^{v}$b Index librorum Bibliae. Incipit: *Primus adam genesis sequitur* eqs. Explicit: *Hic est sacrorum scriptus breuis ordo librorum.*

4) f. 596$^{r}$ Pars Glossarii suo loco (f. 569$^{v}$) omissa.

5) f. 596$^{v}$a—696$^{v}$b *Incipit prefacio in libros salomonis. Tribus nominibus uocatum fuisse salomonem scripture manifestissime docent . . . sed amore proprium nomen sufficit. et equalis magister est et nescit esse se regem Que omnia referuntur ad christum.*

f. 596$^{v}$b *Hinc alia prefacio in libros salomonis. Tres libros salomonis id est prouerbia · ecclesiastes · canticum canticorum · ueteri · LXX$^{a}$ · interpretum auctoritati reddidi.* . . . (f. 597$^{r}$a) *et idcirco que legis semper peregrini memento.*

f. 597$^{r}$a *Incipit prefacio in epistolam pauli ad romanos. Primum queritur quare post ewangelia que supplementum legis sunt et in quibus nobis exempla et precepta uiuendi plenissime digesta sunt. voluerit apostolus has epistolas ad singulas ecclesias destinare.* (f. 697$^{v}$b) *Nam et vinctis compassi estis et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis cognoscentes uos habere meliorem et manentem substanciam.*

f. 597$^{v}$b *Incipit argumentum in epistolam pauli ad romanos. Romani sunt qui ex iudeis gentibus crediderant. Hii superba contencione*

*uolebant se alterutrum superponere . . .* (f. 598$^{r}$b) *Quamobrem vicissim eos humilians ad pacem et concordiam exhortatur. Explicit.*

6) f. 600$^{v}$—602$^{r}$b Glossarium latinum.

*Abecce. id est de celo uel a diuina scriptura. Abdita · id est ab-*
*Vrgebat id est instabat. Zabulon id est dyabolus.* *[scondita . . .*

Etiam in f. 602$^{v}$ vestigia pallida glossarii a manu recentiore scripti cernuntur. [H.]

## R 356.

(Oct. XII = S. IV. 2. a. 3.)

Codex membranaceus formae minoris (0,11×0,16 m) foliorum 328 (per quiniones digestorum) versuum 24, scriptus est, ut subscriptio docet, anno 1400. Litterae initiales, quarum prima ceteris longe praestat, rubro vel caeruleo colore pictae sunt. In parte interiore tegumenti pictura insignis aetatis nimirum recentioris adglutinata est, in qua conspiciuntur tres reges sancti Iesu infanti offerentes. Inest:

f. 1$^{r}$ sqq. **Novum testamentum.** Singulis libris praeeunt prologi. Prologus in Matthaeum incipit:

*Matheus ex Iudea sicut in ordine primus ponitur. Ita in iudea primus Ewangelium scripsit* eqs. Explicit f. 2$^{r}$ *in vitulo sacerdocium. In leone regnum. In aquila exprimitur diuinitatis sacramentum.*

Liber ultimus ie. Apocalypsis explicit his verbis: *Et si quis diminuerit de verbis prophecie libri huius auferet deus partem eius de libro vite et de ciuitate sancta et de hiis que scripta sunt in libro vite dicit qui testimonium perhibet testimonium istorum.*

Sequitur haec subscriptio:

*Quae sequuntur, translata sunt ex quadam vltimo folio agglutinata vix legibili schedula:*

*Hic liber benedictus, continens nouum Testamentum, perfectus est in pace que est a Domino, die S. P. n. Benedicti, Anno Salutis Humanae 1400, scripsit fr. Blasius pauper et humilis Monachus in TS. aliqui legunt in Tegernse alii in Thierhaupten.* [H.]

## R 369.

(I. fol. CXLVIII = S. IV. 2. a. 16.)

Codex membranaceus formae quadratae (0,14×0,2 m) foliorum 149 (quindecim quinionum absciso folio ultimo) versuum 33, scriptus in Italia saec. XIV. Litterae initiales rubro vel caeruleo colore pictae; prima pluribus coloribus insignis.

Insunt **Augustini Confessionum** libri XIII.

Inc. *Confessionum mearum libri. XIIII. et de malis. et de bonis meis Deum laudant iustum et bonum atque in eum excitant humanum intellectum et affectum.*

Expl. *A te petatur. in te queratur. a te pulsetur. sic sic accipietur. sic inuenietur. sic aperietur. Amen.*

*Explicit liber confessionum Beati Augustini Episcopi et confessoris. Deo gracias.*

*Vt gaudere solet. fessus iam nauta labore*
*Desiderata diu littora nota videns*
*Haud aliter scriptor. viso nunc fine libelli*
*Exultat letus. lassus et ipse quidem.*

Non adhibuit codicem P. Knoell in editione, CSEL XXXIII (1896). [H.]

## R 370.

(Quart. XXXVIII = S. IV. 2. a. 17.)

Codex chartaceus formae quadratae maioris (0,15×0,205 m) foliorum 379 (senionum undeviginti, quinionis, senionum duodecim abscisis 3 foliis) versuum 26—37, scriptus est a pluribus librariis anno 1471 (v. f. 379$^{v}$). Litterae initiales rubro vel caeruleo colore pictae sunt. Insunt:

**1)** f. 1—8$^{r}$ ***Incipiunt contemplaciones beati augustini de passione domini.***

Inc. *Quis dabit capiti meo aquam et occulis meis ymbrem lacrimarum ut possim flere die ac nocte donec seruo suo dominus Ihesus appareat uisu uel sompno consolans animam meam.*

Expl. *Tu sis benedicta in eternum et ultra cum Ihesu filio tuo Qui cum deo patre et sancto flamine uiuit et regnat deus benedictus per omnia secula seculorum. Amen.*

2) Sequuntur sine interstitiis titulisve variae **narrationes de sanctis:**

a) f. 8[r] *Sancta Appollonia fuit vnica filia Ewsebii grecorum imperatoris in ciuitate Allexandria gubernantis* eqs. Finem facit enumeratio earum aegritudinum, quibus mederi soleat; cf. Chevalier, Répertoire des sources historiques au m. âge (1905), I col. 293.

b) f. 10[v] *Sancta Otilia temporibus hylderici regis erat nata* eqs. Est Vita s. Odiliae abbatissae Hoemburgensis (in Alsatia), cf. Potthast, Bibl. histor. medii aevi[2], II p. 1497.

c) f. 12[r] *Tractatus de indulgentia sanctae Mariae de Portiuncula a S. Francisco probata.*

*Uniuersis christi fidelibus presentes literas inspecturis frater Theobaldus dei gracia Episcopus assisinas salutem in domino saluatore propter quorundam detrahencium lingwas qui se invidie uel fortasse ignorancie concitati indulgencie sancte marie de angelis que est prope assisium indurata facie contradicunt* eqs.

Est testimonium Theobaldi de Assisi episcopi; cf. AA. SS. Oct. II 880 sq. P. A. Kirsch, Der Portiunkula-Ablaß, Tübingen 1906, p. 44 [Tüb. Theol. Quartalsschrift 1906].

d) f. 22[r] *Post impressionem sacrorum stigmatum Seraph loquebatur S. francisco illa verba. Sanctus franciscus reuelauit ea cuidam fratri et hoc tali modo. Qvidam sanctus frater et deuotus ordinis nostri cum legeret legendam sancti francisci cogitauit in corde suo que poterint esse illa uerba deuota que dixit sibi seraph quando recepit sacra stigmata* ... (23[r]) *Hec autem uerba dixit sanctus franciscus. Nemini dixi. dum viuerem ne iactantis presumpcio in me inanis gloria uideretur. Quibus dictis statim disparuit.*

Hoc caput haud raro in codicibus mss. legitur sic inscriptum: *Revelatio facta cuidam fratri quae fuerunt verba quae loquebatur Seraph beato Francisco.*

cf. Paul Sabatier, Actus beati Francisci et sociorum eius [Collection d'études et de documents, tome IV] Paris 1902, p. XXXVII[1].

e) f. 23[v]—24[v] *Secuntur miracula de sancto Laurencio. Legitur quod quedam mulier cum viro suo quinque pueros habuerit* ... f. 24[r] *Hic puer wilhelmus nomine factus est postmodum episcopus parisiensis vitam religiosam duxit matrem cum duabus sororibus moniales fecit. completis autem vite sue diebus in domino obdormiuit.*

*Aliud miraculum de sancto laurencio: Quidam abbas Cisterciensis beatum laurencium in multa veneracione habuit qui diligenter rogabat dominum ut sibi ostenderet animas existencium in tormentis que tamen saluande essent* . . . (24$^{v}$) *et beato laurencio diligencius et deuocius seruiuit.*

Scriba addit: *Tu autem domine miserere.* cf. Potthast, Bibl. hist. med. aevi², II p. 1419.

f) f. 25$^{r}$ *Incipit legenda de sancto cllodewico. Amnus christi confessor et episcopus ludewicus ex illustrissima prosapia ortus patrem habuit Karolum regem sycilie matrem vero mariam filiam regis vngarie.*

Expl. 31$^{v}$ *De corpore autem eius tantus odor fragrauit ut multos recrearent infirmos membra eius adeo mollia ac tractabilia se prebebant palpantibus ut conuersa uiderentur in teneritudinem puerilis etatis.*

Est Vita s. Ludovici episcopi Tolosani, filii Caroli II Siciliae, auctore anonymo synchrono; cf. Potthast, Bibl. hist. m. aevi², II p. 1436.

**3)** f. 31$^{v}$—33$^{v}$ *Hystoria de Concepcione gloriose virginis marie.*

Inc. *Anshelmus Cantuarensis archiepiscopus et pastor anglorum coepiscopis suis cunctisque orthodoxis salutem et perpetuam in domino benediccionem. Concepcio veneranda dei genitricis et perpetue virginis beate marie dilectissimi fratres quemadmodum per multa experimenta signorum in Anglia et in francia ceterisque mundi climatibus celebranda olim sit declarata me narrante audiat vestra dileccio. Eo tempore quo wilhelmus dux northmannorum etc.*

Expl. . . . *ducamus ad ineffabilem dei omnipotentis visionem in qua gaudentes ab omni tristicia seculi liberati in eterna beatitudine regnare cum christo mereamur.*

Scriba addit: *Tu autem domine.*

Est **S. Anselmi Cantuarensis** episcopi Sermo de conceptione beatae Mariae = Migne, Patrol. lat. t. 159, col. 319—324.

ff. 34—36 vacua sunt.

**4)** f. 37$^{r}$—143$^{v}$ **Sermones S. Augustini.**

Inc. *Cupio vos scire fratres karissimi que sit lingwa dolosa a qua eximius prophetarum dauid postulabat a domino liberari dum dicebat. Domine libera animam meam a labiis iniquis et a lingwa dolosa.*

Expl. *pro vobis dico qui forte nescitis nam vestri plurimi sciunt. Amen.* Scriba addit: *Et sic est finis huius operis.*

Primus sermo est in app. no. XXIX apud Mignium Patrol. lat. t. 40, col. 1287 sq. impressus.

f. 144 vacuum.

5) f. 145r—233v **Commentarius in Canticum Canticorum.**

Inc. *Benedictiones dabit legislator. Ibunt de virtute in virtutem uidebitur deos eorum in syon etc. Beatus dyonisius in libro de celesti hierarchia dicit etc.*

Expl. *Sicut uicta coctinea. Dicit Glosa super verba illa quod labia sunt sermocinatores et cum superius actum sit de predicatoribus hic agitur de ipsa predicacione et tanguntur hec uerba primo tangitur quod predicacio debet esse vtilis et hoc verbo dicitur sicut uicta coctinea etc. Gloria predicatores et doctores sunt.*

f. 234—238 vacua.

6) f. 239r—248v **Epistula beati Cyrilli ad Augustinum de laude Hieronymi.**

Inc. a) *Gloriosissimi christiane fidei adlethe sancte matris ecclesie lapidis angularis in quo admodum firmata consistit nunc vero in celesti gloria sideris radiantis olim ieronimi presbyteri laudes venerabilis pater cyrille silendum ne putas aut balbucientis pueri ut virum pollutum labijs me forte locuturum vereberis . . .*

Expl. 244r *non enim suo aliqualiter fraudatus desiderio. Explicit epistula.*

cf. Migne, Patrol. lat. t. 22, col. 281—289; t. 33, c. 1120—1126.

b) f. 244r *Incipit epistula beati cyrilli episcopi ad beatum augustinum de laude gloriosissimi strenui Ieronimi. Uenerabili viro episcoporum eximio augustino yponensi episcopo Cirillus Ierosolimitanus pontifex et omnium sacerdotum infimus. Illius sequi uestigia cuius in terris sanctitas radiare non cessat etc.*

Expl. . . . *potes agnoscere quanta gloriosus pater Ieronimus prefulget gloria per quem deus tanta continue operatur miracula et prodigia hominibus insueta ad laudem et gloriam dei nostri ihesu christi qui cum patre et spiritu sancto est vnus deus benedictus in secula seculorum. Amen. Explicit epistula Ciryli ad augustinum.* cf. Migne, Patrol. lat. t. 22, col. 289 sq.; t. 33, col. 1126 sq.

f. 249 vacuum.

7) f. 250r—379v **Antonini archiepiscopi Florentini** Summa confessionum seu Interrogatorium pro simplicibus Confessoribus.

f. 250r *Incipiunt Rubrice super tractatum de instruccione seu direccione simplicium confessorum.*

f. 252v *Prologus super Tractatum de instruccione seu direccione simplicium confessorum editum a domino Anthonino archiepiscopo Florentino.*

*Defecerunt scrutantes scrutinio ait psalmista. Scrutantes aliorum peccata sunt confessores.*

f. 253r *De potestate confessoris in audiendo confessiones et absoluendo Capitulum primum.*

*Qvantum igitur ad primum vt habeas auctoritatem audiendi confessiones si es in ordine mendicancium requiritur.*

Expl. f. 379r *Si vero ista vice non morieris reseruo tibi plenariam auctoritatem et indulgenciam tibi concessam a domino papa pro vltimo articulo mortis tue. In nomine patris et filij et spiritus sancti. Amen.*

f. 379v *Explicit Summa confessionum seu Interrogatorium pro simplicibus Confessoribus editum ab Archiepiscopo florentino videlicet fratre Anthonio ordinis predicatorum. .1471.*

De Antonino archiepiscopo Florentino (1389—1459) cf. Chevalier, Répertoire (1905), p. 285/286. Potthast[2] I, p. 113. Tractatus primum impressus est 1472, deinde saepius. [H.]

## R 371.

(Quart. XXXIX = S. IV. 2. a. 18.)

Codex chartaceus formae quadratae (0,14×0,19 m) foliorum 160 per seniones digestorum, versuum 30, saec. XV. ab uno librario scriptus est. Litterae initiales et lemmata rubro colore picta sunt. Insunt:

f. 1 vacuum.

1) f. 2r—28v ***Florigerus ex dictis sancti Augustini.***

Inc. *Qvoniam librorum gloriosi et incomprehensibilis doctoris augustini tractatus percurrentes vt pigri lectores et inbecillitatis sarcina grauati ex*

*eiusdem beatissimi patris dictorum torrentibus sentencias quasdam singularitate dignissimas in vno volumine advnare curauimus.*

Rubricae sunt hae: *Quid est deus* (2r) — *de confessione* (5r) — *de leccione diuini sermonis* (5v) — *de gracia et adiutorio diuino* (6v) — *de cordis mundicia* (7r) — *de virtute fidei* (8r) — *de oracione* (8v) — *de excitacione ad amandum* (9v) — *de caritate* (11r) — *de contemptu mundi* (12r) — *de magnitudine diuine misericordie* (13v) — *de temptacionibus* (14v) — *de sobrietate* (15v) — *de castitate* (16r) — *de eo quid sit beate viuere* (16v) — *de discrecione* (17v) — *de contemptu vane glorie* (18r) — *de flagello dei* (19r) — *de paciencia* (20r) — *de humilitate* (20v) — *de obediencia* (22r) — *de pietate et misericordia* (22v) — *de timore et spe* (22v) — *de dulcedine nominis ihesu* (24r) — *de pace* (24v) — *de contemplacione* (26r) — *de gloria eterna* (26v) —

Expl. *te prestante ihesu clementissime qui viuis et regnas per omnia secula seculorum Amen Amen solamen sit sanctus spiritus amen.*

*Finito libro sit laus et gloria christo ffinis adest operis premium sis christe laboris.*

f. 28v *Incipit registrum in tractatum precedentem.*

2) f. 29r—59r *Incipit liber augustini de domo consciencie.*

Inc. *Domus hec in qua habitamus ex omni parte sui ruinam nobis minatur. Idcirco quia in breui casura est edificanda est.*

Expl. *Unde superbit homo cuius concepcio culpa nasci pena labor vita angustia mori angustia est quando quomodo uel vbi nescire amen.*

*Explicit liber beati Augustini de domo consciencie.*

*Incipit registrum in eundem* (quo repletur f. 59r).

Est revera tractatus de interiori domo seu de conscientia aedificanda qui inter opera **Hugonis a Sancto-Victore** recensetur. cf. Migne, Patrol. lat. t. 184, col. 507—538.

3) f. 59v—115r ***Liber enchiridyon sancti augustini.***

Inc. *Dici non potest dilectissime fili laurenti quantum tua erudicione delector quantumcumque te cupiam esse sapientem non ex eorum numero de quibus dicitur vbi sapiens vbi scriba vbi conquisitor huius seculi* eqs.

Expl. f. 109v *librum ad te sicut valui vtinam tam commodosum quam prolixum de fide spe et caritate conscripsi Amen. Explicit liber enchiridyon sancti Augustini yponensis episcopi. Incipit Registrum* (quod continent f. 109v—115r).

cf. Migne, Patrol. lat. t. 40, col. 231—290.

**4)** f. $115^r$—$156^r$ *Incipit liber* ***soliloquiorum beati Augustini*** *yponensis episcopi et doctoris eximij et primo de ineffabili dulcedine dei.*

Inc. *Agnoscam te domine cognitor meus cognoscam te virtus anime mee.*

Expl. *omnis gloria omnis laus omnis virtus omnis potencia omnis magnificencia omnis beatitudo omnis clemencia sit deo patri et filio et spiritui sancto Amen.*

*Explicit liber soliloquiorum sancti Augustini yponensis episcopi. Finito libro sit laus et gloria cristo. Incipit registrum in eundem* (f. $155^v$—$156^r$). Subscriptum: *Finis adest operis premium sis christe laboris.*

cf. Migne, Patrol. lat. t. 40, col. 863—898.

f. $156^v$—160 vacua. **[H.]**

## R 372.

(Oct. IX = S. IV. 2. a. 19.)

Codex membranaceus formae minoris (0,115×0,165 m) foliorum 172 per quaterniones digestorum, versuum 21, saec. XIII. ab uno librario diligenter scriptus. Litterae initiales et lemmata rubro picta. Insunt:

**1)** f. $1^r$ - $37^v$ ***Liber aurelij augustini de fide et operibus.***

*Qvibusdam videtur indiscrete omnes admictendos esse ad lauacrum regeneracionis que est in christo ihesu domino nostro.*

Expl. *tale esse arbitratus sum cui mea responsio necessaria non fuisset. siue quod ad rem de qua agitur non pertineret. siue quod tam leue esset ut a quolibet redargui facillime posset.*

cf. Migne, Patrol. lat. t. 40, col. 197—230.

**2)** f. $38^r$—$62^v$ ***Incipit tractatus beati augustini de continentia.***

*De virtute anime que continentia nominatur. satis conuenienter et digne disputare difficile est.*

Expl. *ubi omni hoste quia omni peste carebimus. id nobiscum salubriter agitur. ut qui gloriatur in domino glorietur.*

*Explicit tractatus beati augustini de continentia.*

cf. Migne, Patrol. lat. t. 40, col. 349—372.

**3) f. 63ʳ—66ʳ S. Augustini** ***de fraterna concordia.***

*Multis sanctarum scripturarum locis nos ammonet spiritus sanctus de fraterna concordia loqui vobis . . .*

Expl. *Quod ipse prestare dignetur. qui cum patre et spiritu sancto viuit et regnat in secula seculorum Amen.*

**4) f. 66ᵛ—70ᵛ S. Augustini** ***de augurijs et sacrificijs.***

*Bene nostis fratres karissimi me vobis frequentius supplicasse et paterna sollicitudine commonuisse et pariter contestatum esse ut illas sacrilegas paganorum consuetudines obseruare minime deberetis.*

Expl. *sed totam spem vestram in deo posituri estis ut nunquam ad illa mala nefanda que superius comprehensa sunt redeatis. prestante domino nostro ihesu christo. cui est honor et imperium in secula seculorum Amen.*

cf. Migne, Patrol. lat. t. 39, col. 2269—2271.

**5) f. 71ʳ—76ʳ S. Augustini** ***de castitate.***

*Qvandocumque castitatis bonum fratres carissimi secundum quod et decet et expedit commendamus. forte aliqui adolescentes et adhuc in viridi etate positi dicunt. Iuuenes homines sumus. continere nos non valemus.*

Expl. *ut ad eternum mereamur premium feliciter peruenire. prestante domino nostro ihesu christo. cui honor et gloria in secula seculorum Amen.*

cf. Migne, Patrol. lat. t. 39, col. 2291—2294.

**6) f. 76ᵛ—87ʳ S. Augustini** ***de amore inimicorum*** (duo sermones).

*In diuinis voluminibus fratres karissimi ita dispensauit spiritus sanctus. ut et sanis ornamenta. et egrotis spiritualia medicamenta deesse non possint . . .* (82ʳ) *que sequitur de amore inimicorum. aut die crastina. aut certe in die dominico absque aliqua lassitudine corporis oportunius audietis per dominum.*

*De amore inimicorum. Scio et credo caritatem vestram sapienter intelligere non esse sine causa. quod vos de vera et perfecta caritate tam frequenter ammoneo . . . ut cum secura conscientia possitis in oratione dicere. dimitte nobis debita nostra. sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*

cf. Migne, Patrol. lat. t. 39, col. 2253 sq. (sermo CCLXXII) et col. 2256 –2259 (sermo CCLXXIII).

7) f. 87$^{v}$—91$^{v}$ *sermo* ***de ebrietate.*** *Nolite inebriari vino. in quo est luxuria.*

Inc. *Licet propicio christo fratres karissimi credam vos ebrietatis malum velut inferni foueam expauescere* . . . (89$^{v}$) *et in futuro sed ipsorum sanctorum consercium feliciter peruenietis. prestante domino nostro. qui cum patre et spiritu sancto viuit et regnat deus per omnia secula seculorum. Amen.*

cf. Migne, Patrol. lat. t. 39, col. 2303—2306.

*Item sermo secundus eiusdem de ebrietate* (89$^{v}$).

*Frequenter caritatem uestram fratres carissimi paterna pietate admonui* . . . (91$^{v}$) *Qui uero me libenter audire et fideliter quod ei predictum est implere uoluerit habebit premium eternum. qui autem contempserit timeat ne eternum necesse sit sine ullo fine sustinere supplicium. Explicit.* In margine scriptum: *Sermo tercius de ebrietate require in fine libri huius.*

cf. Migne, Patrol. lat. t. 39, col. 2307—2310.

8) f. 91$^{v}$—112$^{r}$ *Incipit* ***retractatio sancti augustini*** *in librum* ***de cura pro mortuis agenda.***

*Librum de cura pro mortuis agenda scripsi cum interrogatus litteris fuissem utrum prosit cuiquam post mortem quod corpus eius apud sancti alicuius ecclesiam sepelitur. Hic liber sic incipit. Diu sanctitati tue etc.*

f. 92$^{r}$ *Incipit liber aurelij augustini episcopi.*

*Diu sanctitati tue coepiscope venerande pauline rescriptorum debitor fui* . . .

Expl. *Nam cor meum tanta distendunt. ut nisi ipso assidue commonente non sinerer obliuisci. profecto interrogationi tue mea responsio defuisset. Explicit.*

cf. Migne, Patrol. lat. t. 40, col. 591—610.

f. 112$^{v}$ vacuum.

9) f. 113$^{r}$—169$^{v}$ *Incipit Prologus. Liber de anime quantitate. id est dyalogus. in hoc de anima multa queruntur* . . . *ut appellaretur de anime quantitate. Explicit prologus.*

*Incipit liber* ***aurelij augustini episcopi ypponensis de anime quantitate.*** *Discipulus. Qvoniam video te habundare ocio. queso ut mihi respondeas de hijs que me mouent. non ut opinor inoportune atque incongrue.*

Expl. 169$^{v}$ *cedam iudicio tuo. ac deinceps tam magnis rebus inuestigandis non modo tempus propter tuas occupationes. sed etiam me ipsum oportuniorem obseruabo. deo gracias. Explicit.*

cf. Migne, Patrol. lat. t. 32, col. 1035—1080.

**10)** f. 169$^{v}$—171$^{v}$ *Sermo tercius* ***beati augustini de ebrietate*** *cum terribilis casus enarracione. Non miremini fratres karissimi si hodie ter sermonem deo auxiliante perfecero. Accidit hodie terribilis casus ut omnes audistis propter quem non solum ad ecclesiam ypponensem omnes antiquiores habere uolui. sed eciam omnes feminas et infantes in unum congregari precepi.*

Expl. *Eya ergo fideles casum superius assignatum inter cetera considerantes deum timete. et timentes eum feruenter rogate ut ab his et ab omnibus malis liberet nos semper. Amen.*

cf. Migne, Patrol. lat. t. 40, col. 1294—1295.

f. 172 vacuum. **[H.]**

## R 394.

(I. fol. CXXV = S. IV. 2. a. 41.)

Codex membranaceus formae maximae (0,165×0,32 m) e duabus partibus compositus. Pars prima continet folia 1—88 (tres quaterniones, senionem, unionem, quinque quaterniones, septenionem, cuius folia tria ultima abscisa sunt) versuum 22 (f. 1—38 binis columnis) vel 18 (f. 39—88 singulis columnis) saec. XIII. conscripta. Pars secunda continet folia 42 (89—130) per quaterniones digesta versuum 36 binis columnis saec. XIV. conscripta. Litterae initiales et lemmata rubro vel caeruleo colore picta sunt. Insunt:

**1)** f. 1—38$^{r}$a **Vita S. Dominici** (sine titulo).

Inc. *Multipharie multisque modis olim deus loquens patribus electos ad eternum inuitans conuiuium. nouissime diebus istis. i. hora undecima misit seruum suum dicere inuitatis ut uenirent. quoniam iam parata sunt omnia.*

Expl. (37$^{v}$b) *Hec autem breuiter aduocata sunt ad sanctitatis eius astructionem ad fidelium edificationem ad laudem quoque et gloriam eius qui fe* (38$^{r}$a) *cit mirabilia magna solus qui trinus in personis et unus in essentia uiuit et regnat per infinita seculorum secula amen.*

*De curationibus etiam infirmitatum plurima nobis innotuerunt que ad presens scripto mandata non sunt sanctitatis eius insignia.*

cf. Bibliotheca hagiographica latina antiquae et mediae aetatis. Bruxellis 1898—1901, p. 2235.

**2)** f. 39^r — 88^v **Vita S. Francisci.**

Inc. *Ad hoc quorumdam quos speciali meritorum prerogatiua dominus priuilegiare disposuit. priora quedam in diuinis eloquiis commemorantur.*

Expl. *Frater uero rufinus ad eum scalpendum admissus. manu illud sensibiliter. sed fortuito contrectauit. ad cuius contactum uir sanctus remurmurans grauis* = p. 194, l. 30 editionis quam curavit Fr. van Ortroy, La légende de S. François d'Assise par Julien de Spire = Analecta Bollandiana, t. XXI (1902), p. 148 ff., ubi et noster codex adhibitus et p. 158 descriptus est.

**3)** f. 89^r—130^ra *Incipit **liber dyalogorum** sancti **iohannis crisostomi** constantinopolitani. et sancti **basilij** cesariensis episcopi. collęge beati gregorij nazanzeni. de dignitate sacerdocij. Iohannes.*

Inc. *Michi quidem multi fuerunt amici certi et amicicie iura scientes solideque seruantes. Vnus autem ex hiis plurimis amore quem in nos habebat illis omnibus antecellens: tanto eos spacio contendit post tergum relinquere quantum illi ceteros qui nobis leui noticia iungebantur.*

Expl. *Credo enim inquam in christo qui vocauit te et preposuit ouibus suis quoniam tantam apud eum confidenciam de hoc ministerio consequeris. ut nos quoque in die illo periclitantes in eternum tuum recipias tabernaculum.*

*Explicit dyalogus Iohannis et basilij. Gracias domino.*

Est versio tractatus Graeci Ioannis Chrysostomi de sacerdotio (= Migne, Patrol. graeca t. 48, col. 623—692) facta ut videtur a Germano episcopo Autissiodorensi. [H.]

## R 419.

(Oct. VI = S. IV. 3. a. 13.)

Codex membranaceus formae quadratae (0,115×0,17 m) foliorum 43 (ternionis, cui folium deest, quaternionis, trium quinionum) versuum 17, saec. XV. scriptus. Insunt:

f. 1—2 vacua.

f. 3^r^ ***Antonii*** (sequitur rasura 6—8 litterarum) *tudertini prohemium in opusculo gregorii nazanzeni de uirtute ad sanctissimum papam Eugenium. IIII^m^.*

Inc. *Cogitanti michi sepenumero. et studia hominum animo uolutanti absurdum pariter: et iniquum uideri solet beatissime pater cogitationes nostras. et animi cupiditates circa humana pocius quam circa diuina uersari. et rebus terrenis intentas sapienciam negligere: ac ad mortem citatissime properare* . . . (5^v^) *Sed iam gregorium nazanzenum e grecia ad italiam a me prouocatum sanctissimum quidem uirum legere aggrediamur.*

f. 6^r^ *Explicit prohemium: incipit tractatus feliciter: DEVM cuius natura est sapientibus ad sapientiam comparandam dux: atque uiaticum: quique uisibilium atque intelligibilium ordo existit: rerum omnium causam atque precipuum bonum extare censemus.*

Expl. (41^v^) *Hec si honeste uiuens colueris uitamque hanc tempestuosam contempseris ratione uera: et odio rerum fictilium in ordine celesti ascriptus prestantior fies: ut plus fiducie apud deum consequaris. Finis.*

De Antonio (Pacini) Tudertino (v. 1465) cf. Fabricius, Bibl. m. aevi (1734—1736) I, 324. Chevalier, Répertoire s. v. Pacini.

f. 42—43 vacua. [H.]

## R 420.

(Oct. V = S. IV. 3. a. 14.)

Codex membranaceus formae minoris (0,12×0,17 m) foliorum 57 versuum 20 saeculo XV. in Italia nitide scriptus. Insunt

1) f. 2^r^—8^v^ ***Epistola beati hieronimi*** *presbiteri ad heliodorum episcicopum exhortatoria de contemptu mundi incipit feliciter.*

Inc. *QVANTO amore et studio contenderim ut pariter in heremo moraremur.*

Expl. *Vt hec tibi frater dicerem me inuitauit dilectio. ut his interesse contingat. qui nunc labor durus est. Explicit ad heliodorum.*

cf. Corpus Script. eccles. lat. vol. 54 S. Eusebii Hieronymi epistulae rec. J. Hilberg. Vindobonae et Lipsiae 1910, p. 44—62 (ep. XIV). Hieronymi Stridoniensis epistulae selectae opera Petri Canisii Theologi. Lugduni 1592, f. 111a—118b (lib. II ep. VI ad Heliodorum de laude vitae solitariae).

**2)** f. 9$^{r}$—10$^{r}$ ***Hieronimus*** *ad rusticum monachum de superandis et mundi huius illecebris fugiendis incipit feliciter.*

Inc. *NIhil est christiano felicius. cui promittuntur regna celorum.*

Expl. *credentium turbam de terris in celum rapit. Explicit Hieronimus ad rusticum monachum.*

cf. Epp. selectae apud Canisium, f. 166b (lib. II ep. XIII), desinit f. 167b, v. 11.

**3)** f. 10$^{r}$—12$^{r}$ *UIDeas nonnullos accinctis renibus pulla tunica et barba prolixa a• mulieribus non posse discedere.*

Expl. *et si parumper ieiunauerit hominemque non uiderit putat se esse alicuius emolumenti. Explicit.*

Est pars extrema epistulae eiusdem, cf. Canisius, f. 169b, v. 4 ad 171b, v. 24.

**4)** f. 12$^{v}$—20$^{r}$ *Vita beati pauli primi heremite a beato* ***hieronimo*** *presbitero conscripta.*

Inc. *INTER multos sepe dubitatum est a quo potissimum monachorum heremus habitari cepta sit.*

Expl. *Cui si dominus optionem daret, multo magis eligeret tunicam Pauli cum meritis suis quam regum purpuras cum regnis suis. Vita beati Pauli primi heremite explicit feliciter.*

cf. Canisius, f. 275b—283b (lib. III ep. 1).

**5)** f. 20$^{r}$—26$^{r}$ *De Malco monacho captiuo libellus* ***a beato hieronimo*** *editus incipit.*

Inc. *QVI nauali prelio dimicaturi sunt ante in portu.*

Expl. *hominem christo deditum posse mori. non posse superari. De Malco monacho captiuo libellus a beato hieronimo editus explicit feliciter.*

cf. Canisius, f. 307b—314b (lib. III ep. 3).

**6)** f. 26$^{v}$—29$^{r}$ *Sermo* ***beati Augustini*** *de trinitate et incarnatione domini lege feliciter.*

Inc. *LEGIMVS sanctum Moysen populo dei precepta dantem. ubi dixit.*

Expl. *quia ipse per sanguinem crucis sue pacificauit omnia que in celis sunt. et que in terris. Sermo beati Augustini de trinitate et incarnatione domini lege feliciter explicit.*

cf. S. Aurelii Augustini Hipponensis Episcopi operum t. quintus continens sermones ad populum opera et studio monachorum ordinis S. Benedicti e Congregatione Sti. Mauri. Antwerpiae 1700, sermo CCXLV appendicis (Sermones de tempore no. 3), col. 283 sq.

7) f. 29r—55v *Opusculum de uita uel obitu. seu itineratione sancte paule editum in consolatione beate Eustochie filie eius* ***a beato hieronimo*** *presbitero cuius solemnia celebrantur. VI. kal. februarij feliciter incipit.*

Inc. *SI mei cuncta corporis membra uerterentur in linguas.*

Expl. *Vixit in sancto proposito rome annos. V. bethleem annos quinquaginta sex. menses octo. dies uiginti et unum. Finis.*

f. 55r *Hic sancte paule titulus sepulchri. Scipio quos genuit paule dixere parentes ... Pauperem est christum bethelemica rura secuta.*

*Finit titulus sepulchri. / Hic titulus in foribus spelunce. Respicis augustum precisum rupe sepulchrum ... Munera portantes hominique deoque dedere.*

cf. Canisius, f. 349b—379b (liber III ep. 7). [H.]

## R 435.

(S. IV. 3. a. 29. Deest apud Kranzium.)

Codex chartaceus formae quadratae (0,15×0,21 m) foliorum 224 (quinque senionum, quaternionis, senionis folio egentis, senionis duobus foliis egentis, octo quinionum, senionis, duorum quinionum, senionis, quinionis) versuum 30, saec. XIV. scriptus, ex bibliotheca Uberiana, continet **Lactantii divinarum institutionum** libros VII. Titulus deest; subscriptum: *Firmiani Lactantij liber septimus et ultimus finit.* Multa et in textu et in margine correcta vel addita; Graeca a manu parum exercitata inserta. [H.]

## R 436.

(Quart. XXXVI = S. IV. 3. a. 28.)

Codex membranaceus formae quadratae (0,12×0,18 m) foliorum 147 per quiniones dispositorum, versuum 29, saec. XIV. a diversis scriptoribus exaratus est. Insunt:

1) f. 1r—37r *Incipit liber sextus* ***diuinarum institucionum lactancij*** *de vero cultu. Quod erat officium suscepti muneris* eqs.

2) f. 37r—49v *Incipit libellus* ***sancti Augustini de disciplina christianorum.***

Inc. *Locutus est ad nos sermo dei et promptus est. ad exortationem nostram. Dicente scriptura. Accipite disciplinam. in domo discipline. Disciplina a discendo dicta est.*

Expl. (49r) *Sufficiant hęc pauca caritati uestrę. Consoletur uos abundantius qui non migrat de corde uestro. sed ita dignatur habitare. ut non dignetur etiam in fine mutare. Conuersi* (49v) *ad dominum deum patrem omnipotentem. qui in trinitate perfecta uiuit et regnat. per omnia secula seculorum AMEN.*

*Oratio Sancti Augustini in sermonibus.*

*Conuersi ad dominum deum patrem omnipotentem puro corde ei quantum potest paruitas nostra maximas atque uberes gratias agamus . . . et ad beatitudinem suam perducat. per ihesum christum filium eius. AMHN.*

cf. Migne, Patrol. lat. t. 40, col. 669—678.

f. 50 vacuum.

3) f. 51r—57v fragmentum libri alicuius historici.

Inc. *In superioribus libris domino suffragante ex multorum opusculis agyographorum seu gentilium non modico labore desudans decerpere curaui queque utilia paruitati meę sunt uisa et legentibus profutura. sumens exordium a primo parente mortalium propagatore. Tandem post multorum tenebras seculorum ad noui natiuitatem hominis peruenimus. domini scilicet ihesu christi. dei et hominis filii. ubi priorum finem decreui facere librorum. ut cum legalibus cerimoniis et umbris atque erroribus terminarentur.*

Expl. 57r *Quibus diebus ouidius poeta in exilio diem obiit. qui ab augusto sene damnatus fuerat propter libros amatorię artis quos composuerat.* (57v) *Liuius historiographus pataui moritur. Philippus tetrarcha paneadem in qua plurimas ędes construxerat. cesaream philippi uocauit. et iuliam aliam ciuitatem.*

4) f. 58r—143r M. Tullii **Ciceronis de officiis** libri tres.

5) f. 143r—146v Oracula Sibyllae Tiburtinae.

*In xpi nomine incipiunt acta et prologus nobilissime sibille. decem sibille fuerunt que a doctis doctoribus fuisse describuntur. Ista sibilla in grecum nomen est. in ebreo vates. in latino propheta. nobili genere orta filia manases.*

Expl. *hic est finis seculi in die iudicii. Beati qui parati sunt et digni inuenti sunt in illa hora quando hec fient. eritque regnum sanctorum in eternum. Regnabunt sancti cum christo in secula seculorum. amen.*

[H.]

## R 443a.

Duo folia membranacea formae minimae (0,167×0,095 m), saec. XIV., versuum 35, a bibliopega quodam ad artem suam adhibita eamque ob rem nonnullis locis perforata, Markgrafii iussu ex illo conexu soluta. Continet utrumque folium libelli, quem **Macer Floridus** qui dicitur fere saec. IX. exeunte de viribus herbarum scripsit, quandam partem. De libello toto eiusque auctore accuratius egit Ludovicus Choulant in ea editione, quam anno 1832 publici iuris fecit et Ernst H. F. Meyer, Geschichte der Botanik, vol. III, Königsberg 1856, p. 426 ss. Sunt in foliorum nostrorum altero versus 1041—1086 et 1342—1365, in altero 1312—1324 et 1532—1602, qui ad has carminis partes pertinent: 1r, 1—35 et 1v, 1—11 = XXXII Papaver, quae pars a versu 1037 incipit, 1041—1086 (extr.) 1v, 12—35 XL Violae. Incipit *cunctis nobilior est cui flos nascitur albus.* Des. *Illius semen cum vino menstrua purgat.* 2r, 1—13 = XXXVIII Origanum (inc. a versu 1285) 1312—1324 (extr.) additis duobus versibus (14, 15):

*puluis radicis eius cum melle iugatus*
*tussim compescit sumptus sedatque catarrum*

(cf. versus 1297: illius pulvis tussim cum melle repellit.) 2r, 16—2v, 16 = XLVI Asarum 1532—1567. (1568 deest.) 2v, 17—34 = XLVIII Cyperus 1585—1602.

Inc. *hijs quibus ex aliquo vitio digestio tarda*
*euenit, ex vino prodest si sumitur albo.*

Des. *(a)tque per urinas humores purgat aquoso(s).*

[Tk.]

## R 458.

(II. oct. VII = S. IV. 3. a. 47.)

Codex membranaceus formae quadratae (0,12×0,17 m) foliorum 140, a compluribus librariis saeculi plerumque XV. conscriptus. In interiore parte tegumenti legitur:

*Frater Matthaeus Hubka Præsbiter, abiens in Bohemiam 13 die Octobris, Annj 1564. amicitiæ ergo dono dedit hunc librum Valentino Pollio.*

Folium primum olim tegumenti instar praefixum et brevia praecepta continet medica et aliqua Bohemica et haec:

*En ego Valentinus quondam Iohannis de Hlawna clericus pragensis diocesis publicus auctoritate Notarius dum supradicta omnia sic agerentur una cum prefatis testibus presens fui eaque omnia et singula propria*

*manu conscripsi et in hanc publicam formam redegi signo meo consueto signaui rogatus in testimonium omnium premissorum.*

In folio verso leguntur morborum nomina.

Insunt in codice:

**1)** f. 2r—11v Tractatus de dispositione universi.

Inc. *Ivxta vestre voluntatis placitum scribam naratiue probabiliter tamen de disposiciocione vniuersi. modo facili atque breui. Et distingwam hanc naracionem in duas partes. Prima erit de disposicione mundi inferioris siue elementalis et caduci et quibudam effectibus in hoc mundo contingentibus. Secunda erit de disposicione mundi superioris seu etherei et perpetui et de motibus eius. Et quia tam inferior quam superior mundus sunt sperite* (l. *sperice*) *forme. Dicam igitur primo quid sit spera.*

Expl. *Exemplum horum omnium poterit haberi in figura suo modo etc. in alia parte folij.*

Tituli et litterae initiales rubro vel viridi colore picta. Compluribus locis spatia vacua relicta, quae explerentur figuris imaginibusve.

**2)** f. 12—15 et 18 Tractatus de coloribus urinarum.

f. 12r vacuum, 12v et 13r et 18r matellae vitreae pictae cum variis adnotatis.

f. 13v *De colore vrine ruffo uel subruffo. Color ruffus est ut color auri bene polliti et alii vocant eum citrinum tinctum.* — f. 14r *De colore vrine citrino et subcitrino.* f. 14v *De colore vrine pallido. Karopos vrina.* f. 15r *De colore vrine lacteo. De colore vrine albo ut est calix uel aqua fontis.* f. 15v *De colore vrine glauco. De colore vrine rubeo et subrubeo. De colore vrine rubicundo uel subrubicundo.* f. 18r *De colore vrine nigro uel subnigro.*

**3)** f. 16r—20r Alius tractatus de urinis.

*De difinicione vrinarum quomodo debeant considerari.*

Inc. *Urina est colamentum sagwinis. Et est duarum rerum significatiua proprie. Aut enim significat passionem epatis. et venarum aut vesice et renum. Aliarum rerum est inproprie significatiua.*

Expl. *Item si quatuor mensibus tunc vrina in superiori parte est clara et in fundo quasi feces Et sic conpletur tractatus valens aurum et inapreciabile precium huius mundi. Amen.*

**4)** f. 20r—26v 85 praecepta medica. Inc. *Contra casum capilorum.* Expl. *Contra inflacionem virge si fuerit ex tactu inmunde mulieris et menstruate . . . et tunc eodem vnge virgam tam diu quousque perfecte sanabitur et hoc est probatum. Amen.*

5) f. 26$^{v}$—31$^{r}$ Tractatus de tempore minutionis.

*Rogatus a quibusdam vt de tempore minucionis aliquid edocerem. Uolens igitur eorum peticioni aquiescere hunc librum sumens opiniones meorum magistrorum de diuersis uoluminibus tam medicorum quam astronomorum collegi qui quinque continet capitula pulcherrimum tractatum. In primo determinatur quid sit minucio et ad quid sit vtilis. In secundo de tempore minucionis. In tercio de uentosis. In quarto de indicio sanguinis iam emissi. In quinto de indicio vrine quia hijs cognitis ab illustratis cyrurgicis non decipieremur.* Inc. *Est autem minucio cyrurgia.*

6) f. 31$^{r}$ Tractatus de signis Zodiaci.

Inc. *Nota quod zodayci signa uel zodyaci conueniunt cum membris corporis humani secundum astronomos.*

7) f. 32$^{v}$ *Sequitur de fleubothomia.* Huc pertinet figura aliqua, quae est in f. 18$^{v}$.

f. 35$^{v}$ *Explicit tabula que dicitur fleubothomia ad mandatum domini Iohannis Prepositi dicti sobyehrd patris mei dilecti Slybyla my byelkadacy byalka.*

8) f. 35$^{v}$—43$^{v}$ Calendarium versibus conceptum. Praeeunt de regimine sanitatis heroici versus, quorum aliquos adscribimus:

*Prima dies paucas tibi sumere precipit escas.*
*Nam de pane bolum post sorbicile porigit ouum . . .*
*Mensibus in quibus . er . post prandia fit sopor eger*
*Ista nocent oculis nocturna refectio potus*
*Puluis scriptura fletus vigilia cura*
*Balnia. Vina. Venus. lens. piper et alea. Cepe:*

Sequuntur aliqua Bohemica.

9) f. 44$^{r}$—76$^{v}$ *Probleumata quaedam de medicina.*

Inc. *Ex paupertate mei ingeniolli aliqua probleumata collecturus. Primum sit istud Quare ut dicit galienus in libro de iumentis quod inter omnia animalia solus homo habet faciem uersus celum.*

Expl. *Et secundum sanctam ecclesiam si vteretur ambobus membris esset cremandus. . . . Misereamur impio et non discet facere iusticiam. Consumantur probleumata Aristotilis sub anno domini Milesimo CCCCVIII$^{o}$. post Octauam Natiuitatis Beate Marie uirginis pro honorabili viro domino preposito de Opatowicz.*

f. 77 vacuum.

**10)** f. 78^r^—80^v^ *Ypocras de distinctione anni.*

*Cura mecenatis cum distinccionibus anni in quatuor partes scilicet autumnum. ver. Estatem. et hyemem. Ypocras Menecenati salutem.*

Inc. *Ypocras menecenati salutem. libellum quem roganti promisi tibi omni cura adhibita descriptum misi. ordinatissimum tue salutis custodem. Quem debes ea diligencia seruare. qua scriptus est.*

Expl. *versus de medicina.*

*Saguis purpureus sine poris et cito spissus.*
*Indicant humanam tria naturam bene sanam.*
*Saguis sulphureus macer et niger attenuatus.*
*Monstrat naturam corruptam non valituram.*
*Sanguis reumaticus ex omni parte creosus*
*Tusses catharros indicat assiduos*
*Et cum sutela persepe tutela*
*Est sanguis colore niger et ruber at tamen ille*
*Qui niger est peior sed ruber est melior.*

**11)** f. 80^v^—82^r^ *Epistola Vindiciani ad Pentaclium de medicina.*

Inc. *Vindicianus pentaclio nepoti suo salutem. licet scirem te karissime nepos litteris grecis eruditum · ad hanc disciplinam posse · tamen ne quid tibi poscenti ad memoriam denegarem · ex libris medicinalibus ypocratis intima latinaui . . .*

Expl. *Hec cum adhibita fuerint tunc peritus medicus inuenietur et eger ad sanitatem cito reuertetur.*

De Vindiciano, imperatoris Valentiniani medico, cf. Fabricius, Bibl. medii aevi (1746), t. VI p. 838.

**12)** f. 82^r^—83^v^ *Ypocras de racione ventris et viscerum ad Anthiochum regem.*

Inc. *Diuidimus autem corpus hominum in quatuor partes. Caput. pectus. venter. atque uesica.*

Expl. *Et per totum annum integra salute viues sine vllo auxilio medicorum.*

**13)** f. 83^v^—86^r^ *Incipit cornellius celsus de medicina et fflebotomia.*

*Omni tempore si necessitas vrget fleubotomium est adhibendum. verum ab VIII^o^ kal. aprilis usque in VIII kal. Iunij vtilissimum tempus detrahendi quia tunc crescunt et augmentum habent.*

Expl. *In ipso mense (Februario) betas non manducabis agrimonium et apium simul vsitans et cornnellis conficiendam facit et fleubotomia per ventrem et colere deducenda et melancolicum quoniam plus invenitur habundare etc. Explicit liber celsus de medicina. mencastrum polskavica Experiencia magistra Iacobi a sancta Cruce. Amen dico uobis.*

**14)** f. 86r—87v Varia praecepta medica.

Inc. *Item contra dolorem cordis et qui habent epar perforatum . . .*

Expl. *et oculus cristi est herba frigida ualet apostematibus interioribus epatis stomachi etc.*

**15)** f. 87v—93v *Nota de medicina notabilia pulcra et utilia secundum Albertum.* Inc. *Medicina que corpus uel curat uel restaurat salutem eius cuius materia versatur in morbis uel vulneribus . . .*

Expl. *Squinancia est apostema quod fit in gutture.*

*Expliciunt nomina acutorum morborum et cum hoc notabilia de medicina satis pulcra.*

**16)** f. 93v—124r *Incipiunt dicta Magni adalberti de quadrupedibus animalibus et de naturis ipsorum et postea in secundo capitulo de uolatilibus.* Inc. *Castores sumunt signum omnium que durare possunt per hyemem proiciunt enim aquam glacialem super caudam etc.* f. 94v *de volatilibus,* f. 96r *de piscibus,* f. 96v *de serpentibus,* f. 97r *de vermibus,* f. 98r *de arboribus,* f. 109v *de herbis.*

Expl. *Sed oua mollia comesta sana sunt et confortatiua et cum croco comesta bonum generant sangwinem et pulcrum dant colorem.*

*Expliciunt Remedia bona et utilia.*

**17)** f. 124r—131r Tractatus medicus de tuenda sanitate.

Inc. *Qvoniam ut ait Tulius amicicia plurimas res continet quocumque se quis disponat presto ullo loco excluditur nunquam molesta prosperas res splendidiores efficiens in aduersis compaciens vnde per eam absentes assunt presentes habundant et debiles confortantur . . .*

Expl. *(virtutes vini distilati siue ardentis aque) . . . serpigotina scabies ardentis aque vis.*

**18)** f. 131v—137v Tractatus de reumate.

Inc. *Tractatum de reumate quatuor capitolis distingimus. In primo capitulo dicemus quid sit reuma diffinicione et vnde generetur et que et quot sunt cause reumatis. In secundo capitulo dicemus de causis intercipientibus reuma. In tercio capitulo dicemus qui et quales morbi generantur ex reumate et in quibus partibus corporis et quomodo generentur*

*et de nominibus morborum. In quarto capitulo dicemus remedia breuia contra predictos morbos.*

Expl. *mutacio coloris in cute contra quam recipe endiuie spicanar arthomesie et absinthij et coquantur in aqua et zuccaro et bibatur mane et in sero.*

**19)** f. 138[r] et [v] Versus medici a manu recentissima scripti:

*Anglorum Regi scribit Scola tota Salerni.*
*Si vis incolumem si vis te reddere sanum.*
*Curas tolle graves irasci crede profanum.*
*Parce mero. coenato parum. non sit tibi vanum*
*Surgere post epulas. Somnum fuge meridianum*
*Ne mictum retine. ne comprime fortiter anum ...*

Expl. *Non acidum sapiat cereuisia. sit bene clara*
*ex granis sit cocta bonis satis ac veterata*
*de qua potetur stomachus non inde gravetur.*

**20)** f. 139[r]—140[r] Preparacio aque ad coquendum ...

Expl. *deinde cum cessabit a bulicione misce bene cum spatula propter occultandam aquam.*

f. 140[v] varia notata, quae partim evanuerunt, velut *Contra morbum Noli me tangere.* Praeterea praecepta medica Bohemica.

[H.]

## R 459.

(II. oct. XXV = S. IV. 3. ant. 48.)

Codex membranaceus formae minoris (0,12×0,175 m) foliorum 119 (folii unius; binionis unius uno folio decurtati, senionum quinque, quorum tertio deest folium unum, septenionis unius, senionum trium, quorum primum deficiunt duo folia, quinionis unius duobus foliis privati) s. XIV. a variis librariis est exaratus litteris minutissimis, abundantibus compendiis. Binis plerique columnis usi sunt, quarum versus quantum ad numerum haud constant sibi. f. 1[r] leguntur haec: *Ex libris p. d. Mag. Christophori Bremeri, quondam rectoris et bibliothecarii Neapolitani.* Deinde alia manu: *In foro scrutario hic liber emebatur 6 gr. albis. 15 Septembr. 1636. Vratislaviae.*

Insunt in hoc codice miscellanea sacra, quorum potiora tantum accuratius descripsi.

**1)** f. 1[v]—4[v] Epicedium in mortem Thomae Aquinatis et epitaphium in eundem. Scholasticorum excerpta theologica grammatica lusoria.

**2)** f. 5ʳ—30ᵛ Tractatus nonnulli ab **Anselmo Cantuarensi** conscripti, praemissis capitum laterculis:

f. 5ʳ—11ʳ de peccato originali (*Cum i(n) om(n)ib(us) tue volu(n)tati — si uera p(ro)bare pot(er)it*).

f. 11ʳ—18ʳ de casu diaboli (*illud ap(osto)li quid h(ab)es — uti po(tes)tate loq(ue)ndi*).

f. 18ʳ—30ᵛ cur deus homo, libri duo (*Sepe (et) studiosissime — b(e)n(e)d(i)c(t)us in s(ae)c(u)la. am(en)*).

cf. Migne, Patr. lat. t. 158, 451 sq. 325 sq. 361 sq.

**3)** f. 30ᵛ—38ᵛ Opuscula nonnulla a **Boethio** confecta:

f. 30ᵛ B 26 *Annicij Mallij S. B. v. c. (et) ill. (et) exc(o)nsul)is) prim(us) lib(er) i(n)cip(it). Quo(modo) t(ri)nitas un(us) deus ac n(on) t(re)s dii ad Aur(elium) Memiu(m) Simachu(m) uiru(m) clariss(imum) (et) illustrissimu(m) excons. ordi(n)e atq(ue) patriciu(m) soceru(m). lege felicit(er)* — f. 32ᵛ A 8 *uota supplebu(n)t* = De trinitate, cf. Peiperi editio Boethiana p. 149—164.

f. 32ᵛ A 9 *I(n)cip(it) lib(er) ei(us)d(em) ad s(an)c(tu)m Ioh(anne)m diacon(um) ecc(lesia)e Ro(manae) utru(m) pat(er) (et) fi(lius) ac s(piritus) s(anctus) d(e) di(ur)nitate s(u)b(stanti)alit(er) p(rae)dice(n)t(ur)* — f. 32ᵛ B 20 *r(ati)o(n)e(m)q(ue) c(on)iu(n)ge* = Peiper p. 164—167.

f. 32ᵛ B 21 *I(n)cip(it) lib(er) t(er)tius ei(us)d(em) ad eu(n)d(em). Quo(modo) sub(stanti)e i(n) eo q(uod) si(n)t bone si(n)t cu(m) sub(stanti)alia n(on) si(n)t bona* — f. 33ᵛ A 12 *aliud o(mn)ia (i)g(itur) bo(n)a* = Peiper p. 168—174.

f. 33ᵛ A 13 (*Christ)iana(m) fide(m)* — f. 34ᵛ B 7 *laus p(er)petua c(re)atoris* = Tractatus qui dicitur de fide catholica, Peiper p. 175—185.

f. 34ᵛ B 9 *Ep(istu)la Boetij ad Ioh(anne)m diacon(um) VI(r)o s(an)c(t)o ac uen(er)abili pat(ri) ioh(ann)i diacono Boetius fili(us). Anxie te* — f. 38ʳ B 6 *bonor(um) c(aus)a p(er)sc(ri)bit* (quibus adiecit manus recentior: *Ip(s)i honor (et) gl(ori)a in s(ae)c(u)la s(ae(c(u)lor(um). Amen*). *Explicit liber de duab(us) nat(ur)is (et) una p(er)sona xp̃i* = Liber contra Eutychen et Nestorium, Peiper p. 186—218.

Inspexit hanc codicis partem R. Peiper anno 1869 neque tamen dignam iudicavit, qua in curanda editione uteretur.

4) f. 38ʳ—39ʳ **Secundi** philosophi vita et doctrinae per quaestiones et responsa digestae.

*[S]Ecundus phi(losophus) fuit.* — *Igitur ad(ri)anus c(um) h(ec) legiss(et) (et) didiciss(et) ca(usa)m, quare s(e)c(un)d(u)s in silent(i)o phylosopharet(ur), p(re)cep(it) eius libros bibliothece inseri (et) intitulari s(e)c(un)di ph(iloso)ph)i.*

cf. A. Hilka, Das Leben und die Sentenzen des Philosophen Secundus, 88. Jahresber. d. Schles. Ges. f. vaterl. Kultur, Breslau 1910, S.-A. p. 8 sq.

**5)** f. 39ʳ Versus anonymi de corde et oculis.

*Quisq(ui)s cordis (et) oculi n(on) sentit i(n) se iurgia* — *cordi ca(usa)m i(m)putat occ(asi)o(ne)m oc(u)lo. am(en).*

**6)** f. 39ᵛ Carmen de sancta cruce compositum.

*Crux de te uolo c(on)q(ue)ri* — *emulatores p(er)fidi.*

**7)** f. 39ᵛ Epistula **S. Ignatii ad Iohannem.**

*Ioh(ann)i s(an)c(t)o seniori suus ignaci(us)* — *iubeas et uales.*

cf. Migne, Patr. gr. t. 5, 943.

**8) Iohannis Damasceni** de orthodoxa fide libri quattuor.

f. 40ʳ *Iohannis pr(es)b(ite)ri damasce(ni) q(ui) ma(n)sur lib(er) incipit in q(uo) e(st) t(ra)dic(i)o certa ortodoxe fidei* — f. 77ᵛ *gaudiu(m) fructificantes. am(en). explicit damasceni.* cf. Migne, Patr. gr. t. 94, 789 sq.

**9) Alberti Teutonici** de creatione et creatis sermo.

f. 78ʳ *queritur d(e) c(re)aturis* — f. 86ᵛ *est frui, ut dictum e(st).*

Non inveni in editionibus, quas curaverunt Jammy, Lugduni 1651, et Borgnet, Parisiis 1890 sq.

**10)** Excerptum paucorum versuum ex **Augustini** libro II. de civitate dei.

f. 87ʳ *l. II [m]ala mors putanda* — *pio uilis aut nulla.*

**11)** ***Ans(elmus)*** *i(n) nat(ivitate) do(mini) de gl(ori)osa v(ir)gi(n)e.*

f. 87ʳ *audistis filie i(he)r(usa)l(e)m* — f. 87ᵛ *b(e)n(e)dictus i(n) sec(u)la. amen. amen. am(en).* Impressum non inveni.

**12)** Tractatus logici, ut videtur, argumenti.

f. 88ʳ *omnis c(aus)a p(ri)maria* — f. 92ᵛ *acq(uire)re no(n) acquisic(io) sicut ost(e)ndimus. Explicit.*

**13)** Duo tractatus f. 93ʳ—98ᵛ, de quorum argumento docemur subscriptione f. 95ᵛ *Explic(it) lib(er)* ***Rabbi moyse*** *hebrei ph(ilosoph)i*

*d(e) uno d(e)o b(e)n(e)d(i)c(t)o q(ui) n(ec) e(st) cor(pus) n(ec) u(inc)t(us) i(n) cor(por)e. Incip(it) lib(er)* ***constab(i)li(s)*** (?) *ph(ilosoph)i de d(omini)ca* (?) *spe* (?) *(et) die* (?). *Spiritus est quoddam corpus subtile* eqs. cf. Florilegium Casinense (in Biblioth. Cas.) I 102.

**14)** *Lamentac(i)ò* ***Ans(elmi) Cantuar(ensis)*** *Archiep(iscop)i de amissa v(ir)ginitate.*

f. 98v *[A]Nima mea a(n)i(m)a eru(m)pnosa* — f. 99v *b(e)n(e)d(i)c(t)us i(n) s(ae)c(u)la am(en).* cf. Migne, Patr. lat. t. 158, 725.

**15)** f. 100r—107v *Incip(it) opusc(u)l(u)m* ***epiphanii*** *d(e) nat(ivitate) b(eat)e v(ir)g(in)is.* Textus Graecus exstat apud Amadutium, Anecdota litteraria III, Romae 1774, 39 sq., versionem Latinam nostram editam non inveni.

**16)** f. 107v—110r *Incip(it) ep(istula) b(ea)ti* ***Dyo(ny)sii Ariopagite*** *ad b(ea)t(um) thimotheum d(e) morte b(ea)tissimi pauli.* Non invenitur inter epistulas Dionysii in Mignei Patr. gr. t. 3, 1065 sq. editas.

**17)** f. 110r—111r ***hylarius*** *d(e) laudib(us) b(ea)tissi(mi) pauli ap(osto)li.* cf. Migne, Patr. lat. 18, 65. 17, 45 sq.

**18)** f. 111r—111v *Incip(it) s(er)mo* ***Anselmi*** *de pass(i)o(n)e (Christi).* cf. Migne l. c. t. 158, 761.

**19)** f. 112r—119v Excerpta e Sacris scripturis, ad singulorum Sanctorum dies ut videtur digesta. [W.]

## R 465.

(S. IV. 4. a. 5.)

Codex membranaceus formae quadratae (0,145×0,215 m) foliorum 64 (duorum quinionum, duorum quaternionum, quinionis, quaternionis, quinionis) versuum 25, scriptus saec. XIV. Tituli rubro, litterae initiales variis coloribus et auro pictae, quarum prima (f. 1) arte insignis; in margine inferiore folii 1r arma gentilicia cernuntur. In folio membranaceo praefixa leguntur haec: *Hunc beati pamphili libellum dono mihi dedit Venerabilis Dominus Henricus Eserim* (?) *Canonicus Vuratislauiensis reuerendissimi domini Ioannis Episcopi Vuratislauiensis consanguineus Actum in Cancellaria Episcopali Vuratislauiensi Anno Domini*

*M. Quingentesimoquarto Kal. Ianuarijs. presente Magistro Bartholomeo Stein Rectore Scole S. Ioannis. Ego Stanislaus saur hęc manu propria.* Folium versum exhibet indicem libri.

f. 1r legitur: *Ecclesiae Wratislauiensis.*

Insunt:

**1)** f. 1r—54v *Verba beati hieronimi presbiteri in librum de uiris illustribus. De pamphilo martire sic ait.*

*PAMPHILVS Presbiter eusebij cesariensis episcopi necessarius* eqs. . . . *antequam eusebius scriberet apologeticum pro origene et passus est cesaree palestine sub persecutione maximini.*

*Prefatio rufini presbiteri in apologia pamphili martiris ex greco in latinum per eum traducta.*

*Cognoscende ueritatis amore permotus o uir desideriorum machari iniungis mihi rem quam uideris* . . . (2v) *si qui hanc regulam sequuntur pax super illos et israel dei AMEN.*

*Pamphili martiris apologeticus pro origene a rufino aquilegiensi in latinum VERSVS.*

*NIchil mirum fratres uidemini mihi esse perpessi quod in uos origenis intellectus ut uos quoque ea estimetis de illo que et alij non nulli* . . .

Expl. *alius enim grauius ac uehementius cruciatur pro magnitudine peccatorum alius autem remissius. quorum leuiora et faciliora peccata sunt.*

Est **Apologia Pamphili martyris pro Origene** quam praecedit Rufini praefatio ad Macarium = Migne, Patrol. graeca 17 (Origenis Opera omnia t. VII), col. 539—616.

**2)** f. 54v—64r *Tractatus Ruffini pro Origene.*

Inc. *In hijs que in superiore libro secundum Apologeticum sancti martiris pamphili quem pro origine greco sermone edidit prout potuimus ubi res poposcit latino sermone digessimus* . . .

Expl. *unde et dyabolus a criminando nomen accepit simul et maledicorum sententiam que a regno dei seperat eos qui tales sunt declinamus. Finis AMEN.*

Est **Rufini epilogus in Apologeticum S. Pamphili martyris ad Macarium,** seu Liber de adulteratione librorum Origenis = Migne, Patrol. graeca t. 17 (Origenis opera omnia, t. VII), col. 616—632.

[H.]

## R 468.

(S. IV. 4. a. 8.)

Codex chartaceus est saec. XVII., continens varia **collectanea:**

1) *Praecepta viginti tria ex Plutarcho desumta.*

2) *Tres amplificationes.*

3) *Res memorabiles historiae graecae.*

4) *Res memorabiles historiae romanae.*

5) Varia notata de historia recentioris aetatis usque ad annum 1596.

**[H.]**

## R 472.

(II. qu. XXVI = S. IV. 4. a. 13.)

Codex membranaceus formae quadratae (0,13×0,19 m) foliorum 162 (folii unius, quaternionum viginti, folii unius) versuum 27 in parte priore (f. 2—73), 30 in posteriore (74—161), saeculo XIV. exeunte vel XV. ineunte conscriptus est. Litterae initiales et lemmata rubro vel caeruleo colore picta sunt, f. 2^r^ et aurum adhibitum est.

Insunt:

### Prudentii carmina.

**1)** Cathemerinon.

f. 1 vacuum.

f. 2^r^ *Incipit excordialis narratio Clementis aurelij Prude(n)cij in libros suos infra scriptos. Per qui(n)que(n)nia iam decem* eqs. Explicit f. 2^v^ *Mobilis ultimo Explicit p(rae)fatio Incipit Kathimerino(n). i(dest). liber ymnoru(m) prude(n)tij militis et senàto(r)is Ymn(us) p(rimus) ad gallicantu(m). dimetru(m) ia(m)bicu(m) archiloicu(m) acathalecton monocolon Ales diei nu(n)cius* eqs.

f. 23^r^ *Explicit Kathemerinon id est liber y(m)noru(m).*

**2)** liber peri stephanon.

f. 23^v^ *Incipit liber peristephanon Ymnus in honore sanctoru(m) martiru(m) emeterij et cheledonij calacurritanoru(m) Metru(m) trochaicu(m) archiloicu(m) consta(n)s ex quatuor trocheis et sillaba. et aliquociens spondeu(m) admittit.*

f. 24^r^ *Scripta su(n)t celo duor(um) martiru(m) vocabula* eqs. Sequuntur revera omnes XIV hymni, sed turbato ordine, scilicet hoc: f. 26^r^ in Vincentium (= V), f. 31^v^ in Laurentium (= II), f. 37^r^ in Hippolytum (= XI), f. 41^v^ in Cyprianum (= XIII), f. 43^v^ in Petrum et Paulum apostolos (= XII), f. 45^r^ in XVIII martyres Caesaraugustanos (= IV),

f. 47$^r$ in Agnetem (= XIV), f. 49$^r$ in Eulaliam (= III), f. 51$^v$ in Fructuosum, Augurium, Eulogium (= VI), f. 53$^v$ in Quirinum (= VII), f. 54$^v$ in Cassianum (= IX), f. 56$^v$ de loco quo martyres passi sunt (= VIII), f. 56$^v$ in Romanum (= X).

f. 73$^r$ *i(n)duat(ur) vellere finit romanus siue histo(r)ia sc̃i ro(ma)ni m(arty)ris Explicit peristephano(n) prude(n)tij cleme(n)tis aurelij.*

**3)** f. 73$^r$ *Incipit de opusculis eius laudis queda(m) libatio Trocheu(m) trimetru(m) endecasillabon.*

*Pius fidelis i(n)nocens pudicus* eqs. Expl. f. 73$^v$, v. 3 sq.: *Iuuabit ore p(er)sonasse cristu(m) Quo regna(n)te viuim(us).* Est Epilogus qui dicitur omisso versu primo (*Inmolat deo patri*).

**4)** f. 73$^v$ Versus de trinitate sic inscripti:

*Clementis aurelij prudentij apotheosis ide(st) de diuinitate liber incipit Est tria su(m)ma deus* eqs. Expl. *in corpora transfert.* Sequitur duobus versibus vacuis relictis descriptio metrorum praefationis Apotheoseos haec: *Iambus senarius et quat(er)narius. s(e)c(un)da regio s(em)p(er) hab(et) iambu(m) et in medio spondeu(m) vel iambu(m) et clauditur pirrichio.*

**5)** f. 74$^r$ Apotheosis.

*Est vera secta te m(a)g(iste)r consulo* eqs. Expl. *Zizaniorum semina.* Est praefatio Apotheoseos. Sequitur versu vacuo relicto ipsa Apotheosis inscripta *Co(n)tra h(aer)esim q(uae) patre(m) i(n) diuinis passu(m) affirmat.* (f. 74$^v$) *Plurima sunt* eqs.

f. 92$^r$ *quo xp̃us p(ro)uocat ite Explicit apotheosis.*

**6)** f. 92$^v$ Hamartigenia.

*Prude(n)tij cleme(n)tis aurelij amartigenia ide(st) de origi(n)e p(e)cc(at)or(um) lib(er) i(n)cipit Metru(m) iambicu(m) trimetru(m) achatalecto(n) Fratres ephebi* eqs. Expl. f. 93$^r$ med. *morte fratris alitus.* Est praefatio; sequitur ipsum carmen ita inscriptum: *Contra marchionitas qui duos deos seu duo reru(m) p(ri)ncipia esse affirmant. Quo te p(rae)cipitat rabies tua* eqs.

f. 109$^r$ *Glorificent. me pena leuis cleme(n)ter adurat.*
*Explicit amartigenia id e(st) de origine p(e)cc(at)or(um).*

**7)** f. 109$^v$ Psychomachia.

*Prude(n)tij aurelij clementis sycomachia incipit Senex fidelis p(ri)ma crede(n)di via est* eqs. Expl. f. 110$^r$ med. *patris i(n)plebit domu(m).* Est praefatio; sequitur ipsa Psychomachia hoc titulo instructa: *Imploratio*

*aucto(r)is ad xp̃m p(ro) salutife(r)o sp(irit)ualis belli adiuto(r)io CRiste graues ho(m)i(nu)m* eqs.

f. 125$^{r}$ *Eternu(m) solio diues sap(ient)ia regnet.*

*Explicit sycomachia prudentij.*

**8)** f. 125$^{r}$ extr. Dittochaeon.

*Incipiu(n)t tytuli historiaru(m) prude(n)tij et p(ri)mo de tytulis veteris testamenti.*

f. 125$^{v}$ *EVa colu(m)ba fuit* eqs.

f. 127$^{r}$ *Lumine p(er)fuso docuit sol versus in ortu(m).*

*Expliciu(n)t tytuli quaru(n)da(m) histo(r)iar(um) vet(er)is testa(men)ti. Incipiunt tytuli historiaru(m) noui testamenti. ADuenie(n)te deo* eqs.

f. 128$^{v}$ *Et septe(m) potuit signacula pandere solus.*

*Explicit liber historiaru(m) prudentij.*

**9)** f. 128$^{v}$ contra Symmachum libri II.

*Incipit p(rae)fatio prudentij clementis aurelij in libru(m) primu(m) contra oratione(m) et errore(m) sy(m)machi vrbis rome prefecti.*

*PAulus p(rae)co dei* eqs.

f. 129$^{v}$ *Arsuru(m) medijs inferat ignibus.*

*Explicit p(rae)fatio Incipit liber p(ri)mus co(n)tra errore(m) sy(m)machi vrbis rome p(rae)fecti.*

f. 130$^{r}$ *CRedeba(m) vitijs egra(m) gentilibus vrbe(m)* eqs.

f. 140$^{v}$ incipit praefatio in librum II, f. 141$^{v}$ ipse liber II. Explicit:

f. 161$^{r}$ *Quemq(ue) ducem belli sequit(ur) pietate sequat(ur).* Subscriptio deest.

**10)** f. 161$^{v}$ leguntur 9 versus memoriales, quorum primum et ultimum exscribimus:

1 *Cast$^{2}$e$^{1}$llu(m) sign$^{2}$u$^{1}$(m) vnid$^{1}$u$^{1}$(m) vo$^{1}$x ã$^{2}$na rema$^{2}$nsit.*

9 *Reg$^{4}$ulus e$^{1}$t $^{8}$seruus tu(n)c$^{2}$ $^{2}$reddite fi$^{9}$lia pa$^{6}$nes.*

*Nil pre post supra matheo mar lu iohā pūcta Reddant(ur) singula singulis.*

**11)** f. 161$^{v}$ extr. index librorum Prudentii inscriptus *Libri prudencij*, sed non ad nostrum codicem confectus. Incipit enim *Chyroceus i(dest) manual(is)*, explicit *Adu(er)sus symachu(m) ydolatria(m) defendente(m). ex quor(um) l(e)c(t)ione p(ro)bat(ur) pale(n)tin(us) miles fuisse.*

f. 162 vacuum. **[Z.]**

# II. Codices Magdalenaei.

## M 1006 et 1007.

Codex membranaceus formae maximae (0,29×0,39 m), in duo volumina divisus foliorum 205 + 203, per quiniones plerumque digestorum, scriptus est in Germania saec. XV. In priore volumine inter f. 201 et 202 duo folia excisa sunt, plura in altero, velut post f. 8, 17, 65 et in fine. Insunt:

### Biblia sacra.

Textus et ordo librorum est Vulgatae, prologi soliti. Volumen prius desinit in Proverbiorum Salomonis cap. XXXI., cuius rubrica adest, ipse textus qui sequitur et in hoc volumine desideratur et in altero, in quo et Ecclesiastes, Canticum Canticorum, liber Sapientiae, Ecclesiasticus usque ad medium cap. XL. desunt. f. 89 post librum II. Maccabaeorum incipit *Lib(er) petri ma(n)ducatoris de com(menda)cione ioh(anni)s Hircani pertinens ad secundu(m) libru(m) Machabeoru(m),* qui in Historia scholastica Petri Comestoris vel Manducatoris est cap. 2 sq. Novum testamentum incipit f. 93ᵛ sine lemmate. Actus Apostolorum postpositi sunt litteris pastoralibus, f. 155ᵛ. Apocalypsin f. 171ᵛ sine lemmate vocabularium Hebraeo-Latinum excipit, quod desinit in *Throgadite,* cum ea quae sequebantur abscisa sint.

Voluminis prioris tegumenti anterioris parti interiori bibliopega haec litteris maiusculis aureis impressit:

*Anno 1550 habend die erssamen vnd vorsichtigen Herrn Kirchen Veter als nemlich Her Ian̄ vom Holtz vnd Her Lvcas Mvgkner dise Bibel mir Christanno Merck geben wider avf das newe ein tzvbinden vnd ist gemacht am Osterabendt.*

Idem bibliopega in parte interiore tegumenti anterioris voluminis secundi haec impressit:

*Anno 1549 am Sontag vor dem Christag vnder der Frvmess: ist das Bvch von der Kethen avsgeschnittē vnd gestolen worden vnd an Sanct Stefanvs Tag wider in ein Gestvl fvnden worden.* [M.-Z.]

## M 1030.

Codex chartaceus formae maximae (0,22×0,31 m) foliorum 290 (23 senionum, septenionis) versuum 24, anno 1413 in Germania scriptus. Insunt:

**Prophetae maiores et minores,**

praemissis Hieronymi prologis. f. 57ᵛ in fine Iesaiae scriptum: *Et sic est finis huius libri. Sub Anno domini millesimo quadringe(n)tesimo tredecimo In die lucie virginis.*

f. 290 vacuum. [M.-Z.]

## M 1033.

Codex chartaceus formae maximae (0,21×0,34 m) foliorum 145, exeunte saec. XVI. scriptus ab eodem librario, qui et codicem M 1034, I. II exaravit; caret tegumento.

Quae insint, indicat f. 1 ***Ar(istote)lis*** *libri de Anima (et) III priores Meteorolog(icorum) cum excerptis ex* ***F. Vicomercati*** *comment.*

f. 2—45 *De Anima.*

f. 48—86 *I Meteororum Ar(istote)lis. Cap. 1.*

f. 88—145 *Franc. Vicomercatus Mediolan. in Meteora Ar(istote)lis.* [M.-Z.]

## M 1038.

Codex chartaceus formae maximae (0,205×0,31 m) foliorum 181, quorum 14 prima vacua relicta nec numerata sunt. Folia 1—148 sumpta sunt ex pristino libro negotiatoris, qui in ff. 9ʳ et 17ʳ—18ʳ varias summas acceptas tulit annis 1608—1612 insularum suarum causa; ff. 1—29 praebent vetustos numeros 151—216; ff. 30—131 ita numerati erant, ut paginae sibi adversae eundem numerum haberent (velut ff. 30ᵛ et 31ʳ : 121), a 120 ad 223, quo more adhuc mercatores utuntur;

ff. 132—137 habent numeros 117—128, ff. 138—141 numeros 133—140, f. 142 numeros 145—146; ff. 143—148 olim subsequebantur f. 131 et habebant numeros 223—229; ff. 149—167 paulo minoris sunt formae et habent numeros vetustos 441—472.

Insunt notae philologicae ad Taciti Agricolam et aphorismi ex eodem petiti.

f. 1r—5v Aphorismi VII—XIII; sunt varia cogitata ad Tacitum additis exemplis et veteribus et recentioribus (velut de Henrico IV. rege christianissimo, de Antverpiensibus aliisque).

f. 5v *Pars II. Narratio quae Agricolae ortum res domi militiaeq(ue) gestas exponit* etc. *II. Notae philologicae.* In margine capitum numeri adnotantur, de quibus agitur.

f. 50v *Aphorismi politici et Exempla ex Narratione Agricolae eruti.* Sunt 325 Aphorismi ad XLVI Agricolae capita. Desinunt f. 167r med.; reliqua pars paginae et f. 167v vacua.

Scriptura cum eadem sit atque in cod. M 1371, scriptorem codicis fuisse **Christophorum Colerum** sub medium saeculum XVII. apertum fit.

[Z.]

## M 1040.

Codex chartaceus formae maximae (0,23×0,33 m) foliorum conscriptorum 252, exaratus saec. XVI. Est

**Liber psalmorum Iohannis Hessi parochi Vratislaviensis.**

In parte interiore tegumenti anterioris leguntur, ab ipso Hesso (cum compendiis) scripta: *Anno XXVII mense Marcio. Sum Ioannis Hessi Theologi Parochi Vuratislaviensis.* Infra postea rubro scripsit: *Anno 1545 feria 2da post Quasimodogeniti 13 Aprilis Christo fauente Ioannes Hessus Doctor et Parochus Wratislaviensis inchoaturus est preleccionem psalterii Dauidici, Cras Hora XII in lectorio . . . templi sui B. M. Magd.* et infra atramento: *Et morbus et frigus intercepit lectionem. Anno 1546 16. Feb. iterum incepi psalmum 17 Exaudi domine justiciam. Ad proximum diem Martij D. Jo. Hessus susceptam praelectionem psalterii Dauidici Adiuuante Christo prosequetur.* Deinde: *Cras hora XII. Christo propicio commodiori valetudine ad psalterii exposicionem redibimus in communi nostro auditorio.*

f. 1r scripsit Hessius: *In XXII annum declamator ad populum, sed sentio in capite collo et pectore non perdurare. Cum mihi non soli natus et opto usque ad ultimum vite spiritum utilem seruum domini, qui*

*talentum suum non fodit in terram Ergo in nomine domini tentabo exponere si viuam gracia dei omnes libros Biblie ut si non liceret esse senem me declamatorem ad frequentem populum, fierem vel hic vel alio loco paucorum discipulorum preceptor. Multis racionibus incipiam a psalterio. Altera racio verbum predicare dormientibus, securis in aurem et auram, non cor. In lectione habeant auditores librum et calamum, hoc est prediger weihen firmen. Simplicissime pro capacitate auditorum. Non omnium adire Corinthum, Wittebergam.*

*Ego magister annorum . . . doctor theologie anno . . . Discere volo a paruulo Ex ore infancium.*

*Calcar ero aliis professoribus ut et ipsi legant. Tempus ad conuiuia, non ad lectiones. Nec nox nec dies nos impedit. Faciamus domi theologos, si non fiunt in uniuersitate. Latine propter Polonos, hec regio sitit evangelion. Parate interim vobis libros, parabuntur a vitricis ecclesie subsellia. Volo paucos auditores sed diligentes. Negligentium copiam abhorreo.*

f. 1—20 Praemonita ad expositionem Psalmorum.

f. 21—241 Textus Latinus Psalmorum e versione quadam, quae textum Hebraicum accuratius sequitur quam Vulgata, scriptus a manu alia (non Hessi) tam large, ut Hessus et inter lineas et in marginibus explicationes modo breviores modo ampliores addere posset, maiore ex parte Latina, minore Germanica lingua conceptas. Continuus commentarius est psalmorum I—XXV, deinde rariores adnotationes leguntur.

f. 242 vacuum.

f. 243—252 Index vocabulorum, e Lutheri praecipue explicationibus congestus.

In parte interiore tegumenti posterioris Hessus haec scripsit: *Collegi in hunc librum que ex ore D. Lutheri excepit Magister Vitus Theodorus Nurembergensis, in multos psalmos, precipue in XXV primos et in ps. 29. 43. 51. 56. 41. 72. 81. 110. 132. 137. 148. 149. 157.*

Cf. Schönborn, Beiträge zur Geschichte der Schule und des Gymnasiums zu St. Maria Magdalena in Breslau, II (programma gymnasii Magdalenaei Wratislav. 1844), p. 37; Köstlin, Johann Heß, in Zeitschrift für Geschichte etc. Schlesiens VI, 256. Koffmane, Zu Luthers Arbeiten an den Psalmen, in Festschrift für Julius Köstlin. Gotha 1896.

[M.-Z.]

## M 1047.

Codex chartaceus formae maximae (0,22×0,29 m) foliorum 237 per seniones digestorum binis columnis anno 1397 scriptus. Insunt:

1) **Nicolai Gorrani** explicationes evangelii Matthaei.

f. 1 Initium textus non continuatum.

f. 2 manus recentior supra scripsit titulum *Gorra s(upe)r Math(eu)m*; deinde incipit: *Sume tibi libru(m) grande(m) (et) scribe in eo stilo hominis.*

f. 229r Expl. *qui est benedict(us) in secula seculor(um). Amen.* Deinde litteris magnis fortasse ab alio scriptis: *Expliciunt dicta Gorre supra ewan(gelium) Mathei In vigilia palmarum IIICXVII°.* Subiunxit ipse librarius: *Expliciu(n)t d(i)c(t)a gorre sup(ra) Matheu(m) Anno d(omi)ni M° CCC° nonagesimo septimo in vigilia palmar(um).*

De Nicolao Gorrano dominicano, qui vixit annis 1210—1295 totamque scripturam sacram commentariis instruxit maxima ex parte typis non expressis cf. Wetzer u. Weltes Kirchenlexikon², IX, 319.

2) Varia excerpta:

f. 229v *Nota h(ec) seq(uen)cia excerpta su(n)t d(e) opusculo* ***Loca(r)ii*** *dyaconi (et) cardi(n)alis ven(er)ab(i)lis viri.*

f. 231v *No(ta) h(ec) excerpta su(n)t d(e) opusculo q(uo)d voca(tur)* ***scintilla(r)ius.***

f. 236v *Nota q(uod) editor hui(us) opusculi cui(us) compe(n)diu(m) hic desc(ri)ptu(m) (est), excussit aut(orita)tes s(an)c(t)or(um) ex m(u)lt(is) volu(min)ib(us) sicut excuti sol(et) scintilla ex silice. (Er)g(o) opusculu(m) d(e) q(uo) h(ec) c(on)sc(ri)pta su(n)t intitulat(ur) scintilla(r)ius i(n) q(uo) (et) b(e)n(e)dicit(ur) (Iesus) (Christus). amen.*

f. 236v et 237r Addenda ad opusculum Locarii.

[M.-Z.]

## M 1056.

Codex membranaceus formae maximae (0,22×0,33 m) foliorum 247 per seniones plerumque digestorum, binis columnis saec. XIV. exaratus. Insunt:

**Psalmi cum explicationibus.**

f. 1 incipit psalmus XXXII, f. 247 desinit explicatio psalmi CL.

[M.-Z.]

## M 1057.

Codex membranaceus formae maximae (0,22×0,31 m) foliorum 157 (quinionum quindecim, quorum primo folium [2] insertum est, et 6 foliorum consutorum) binis columnis versuum 46 nitide exeunte saeculo XIV. in Italia scriptus. Litterae initiales et lemmata rubro vel caeruleo colore picta sunt. Eae litterae initiales, quae sunt in ff. 3r, 59v, 62v, 125r, pluribus coloribus et auro ornatae hominum imagines praebent.

Insunt:

**1) Francisci Petrarchae de remediis utriusque fortunae libri II.**

f. 1r vacuum, nisi quod 5 versibus evanidis manus quaedam recentior indicem dedit eorum, quae in codice continentur.

f. 1v—2v exhibent laterculum capitulorum.

f. 3r *Incipit primus liber de remedijs ut(ri)usq(ue) fortune Laureati poete Francisci Petrarche de Florencia (et)c. Prologus et(cetera). Cum res fortunasq(ue) ho(m)i(nu)m cogito* eqs.

f. 59v col. II incipit liber II.

f. 123v col. I extr. *Age res tuas curam hanc linque viuentib(us) (et)c. D(omi)ni Francisci Petrarche de Florencia laureati poete Explicit liber secundus de remedijs vtriusq(ue) fortune (et)c. (et)cet(er)a.*

**2) Seneca de remediis fortuitorum.**

f. 124r col. I *Seneca de remedijs fortuitorum LIcet cu(n)ctor(um) poetar(um) carmi(n)a* eqs.

f. 125r II *in aliqua domo ista felicitas (et)c. (et)cet(er)a Explicit libellus Senece de remedijs fortuitorum (et)cet(er)a finis est huius.*

**3) Francisci Petrarchae liber vitae solitariae.**

f. 125r II *Liber vite solitarie Francisci petrarche laureati poete de Florencia Incipit PAucos homi(n)es noui* eqs.

f. 157v II *Bene suades / recte consulis / ver(um) dicis.*
*Explicit liber vite solitarie Francisci*
*Petrarche laureati Poete. (et)cetera.* [Z.]

## M 1058.

Codex membranaceus formae maximae (0,21×0,295 m) foliorum 542 per octoniones digestorum, binis columnis saec. XIV. exeunte vel XV. ineunte nitide scriptus et imaginibus ornatus. In parte interiore tegumenti anterioris legitur: *Den 12. Junij Anno 1584 hat der Erbare vnd*

*Wolgeachte herr Hans Jacob der geburth von Thoren, Bürger vnd Handelsman alhie auffm Hünermarckt wohnendt, diß Buch Gott dem Allmechtigen zu Lob vnd zu beforderung seines seligmachenden Worts, auf diese Bibliothecam zu S. Mar. Magdalenen in Breslaw verehrett. Georgius Scheidt, Biblioθecarius.* Supra monogramma donatoris pictum. Praefixa 11 folia chartacea et 2 membranacea, signata *a* et *b*. f. a[r] habet titulum *Biblia*, f. a[v] registrum codicis; f. b continet haec: *Copia clausule ex testamento Reve(ren)di d(omi)ni M(a)g(ist)ri Iohannis Bont vt(ri)usq(ue) iuris doctoris Thesaurarij ecclesie Cameracen(sis) (et)c. q(uan)tu(m) necessaria est hic Inscribi. Item volo Insinuari dictu(m) diem obitus mei monasterio viridisuallis cui ultra alia p(er) me eis b(e)n(e)facta lego septe(m) lectos (et)c. necnon quatuor volu(m)i(n)a lectura(m) m(a)g(ist)ri Nycholai de lira sup(er) biblia contine(n)tia. Atq(ue) alia quatuor volu(m)i(n)a magna, o(mn)ia octo i(n) p(er)gameno scripta co(n)tine(n)tia dictionariu(m) Et post obitu(m) d(omi)ni pauli Bont Canonici Anderlecten(sis) Biblia(m) mea(m) meliore(m) et maiore(m), scolastica(m) hystoria(m) (et)c. Que quide(m) o(mn)ia volu(m)i(n)a tam Nycholai de lira q(uam) dictionarii biblie et scolastice hystorie Relinquo eisde(m) sub co(n)ditione tali, q(uod)* eqs. — *Et desup(er) prior et Co(n)ue(n)t(us) p(re)dicti tenebu(n)t(ur) dare m(a)g(ist)ris fabrice et p(ro)uisorib(us) p(re)tactis l(itte)ras in forma debita ip(s)oru(m) sub Sigillo. Volens q(uod) principio cuiuslibet volu(m)inu(m) p(re)d(i)c(t)or(um) copia istius clausule inscribat(ur) in magna littera rubei coloris.* Haec rubro, deinde atramento: *Nos prior et Co(n)uentus Monasterii B(ea)te Marie viridisuallis in zonia ord(in)is Canonicoru(m) Regulariu(m) s(an)c(t)i Augustini Came(r)acen(sis) dyoc(eseos) Notu(m)facim(us)* eqs. *In cuius rei testimoniu(m) nos prior et Conuentus viridisuallis antedicti Sigillu(m) n(ost)r(u)m vnicu(m) et co(mmun)e p(rese)ntib(us) litteris duxim(us) appende(n)du(m) Anno d(omi)ni Millesimo Quadringentesimo Quinquagesimoprimo prima die octobris.* Infra: *Liber mo(n)asterij b(ea)te marie viridisuallis in zonia ord(in)is Cano(n)icor(um) Regular(ium) s(an)c(t)i Aug(ustini).* Insunt:

**Biblia sacra.**

Textus et ordo librorum est Vulgatae, nisi quod Actus Apostolorum post epistulas pastorales positi sunt. Explicit Apocalypsis f. 507. Sequitur f. 508—542 vocabularium Hebraeo-Latinum, quod desinit imperfectum in *Vri lux mea (ve)l ignis m(eu)s seu i(n)cen.*

**[M.-Z.]**

# M 1062.

Codex chartaceus formae maximae (0,21×0,31 m) foliorum 361 per seniones plerumque digestorum, binis columnis scriptus Lignitiae anno 1386. In folio praefixo leguntur haec: *Istum librum dedit et assignauit per suos procu(rato)res venerabiles viros d(omi)nos Andrea(m) Lumppe rectorem p(er)rochialis eccl(es)ie sanctoru(m) Andree ap(osto)li et Ma(r)ie-magdalene Wrat(islauiensis) et Iohanne(m) cluge Ciue(m) Wrat(islauiensem) hon(ora)bilis d(omi)nus Iacobus Sculteti de Gdanczyk* (vel *Gdanczgk*) *quonda(m) capellan(us) eccl(es)ie sup(ra)d(i)c(t)e in testamento qui Obijt anno dom(in)i M⁰ CCCC⁰ octuagesimo tercio die Sancti domi(ni)ci Quinta Augusti hora vesp(er)or(um). Orate deu(m) pro eo.*

Insunt:

1) f. 1—268 **Bartholomaei Pisani** Summa de casibus conscientiae.

f. 1r *Summa pysani. Quonia(m) ut ait Gregorius super Ezechielem* eqs.

f. 268r *tu(n)c est i(n)vidia ut dictu(m) est s(uper) Invidia. Explicit Su(m)ma de Casibus consciencie qua(m) co(m)pilauit frater Bartholomeus Ordinis fratr(um) p(re)dicator(um) Consu(mm)atu(m) fuit hoc opus in Ciuitate pisana p(er) d(i)ct(u)m fr(atr)em Bartholomeu(m) Anno d(omi)ni M⁰ CCC⁰ XXXVIII de mense decenbr(is) t(em)p(or)e sanctissimi patr(is) et d(omi)ni dom(in)i Benedicti pape XII. P(re)dictus aut(em) Bartholomeus c(om)positor hui(us) optimi libri obijt Anno d(omi)ni M⁰ CCC⁰ XLVII 2ª die Iulij. Cui(us) a(n)ima r(e)quiescat i(n) pace Amen.*

f. 268v—271r Registrum alphabeticum casuum conscientiae.

Summa Pisani typis expressa est et antea et Lugduni 1519; cf. Wetzer u. Weltes Kirchenlexikon² I, 2057.

2) f. 319r II—325v, deinde 271v—276v **Tractatus anonymus de confessione.**

f. 319r II *Simplicio(r)es et mi(nus) exp(er)tos confesso(r)es de m(odo) audiendi c(on)fessio(n)es informare cupiens* eqs.

f. 276v I *appar(e)bo purus (et) mu(n)d(us) in c(on)spectu tuo et saciabor cu(m) apparue(r)it gl(ori)a tua ad q(uam) nos p(er)ducat Ihesus xp̃us Amen Explicit tractatus bon(us) de c(on)fessio(n)e Item declarac(i)ones abreuiatu(r)ar(um)* quae expliciunt f. 276v II.

Instituit igitur scribere hunc tractatum librarius in medio senione XXVII. (f. 314—325 complexo), quo completo reliquam partem exaravit

in foliis antea vacuis relictis senionis XXIII (= f. 266-277), cuius et sic folium ultimum remansit vacuum. Idem tractatus exstat in cod. Laudiano Misc. 278, cf. Little, Initia Operum Latinorum quae saeculis XIII. XIV. XV. attribuuntur, Manchester 1904 (Public. of the Univ. of Manchester, hist. ser. II), 235.

3) f. 278ʳ—286ᵛ **Speculum beati Augustini episcopi.**

f. 278ʳ *Incipit Speculum Beati Augustini Episcopi. Adesto michi u(nu)m lume(n) deus pater om(n)ipo(te)ns.*

f. 286ᵛ — *p(er) infinita et defessa et i(m)mortalia sec(u)la sec(u)lo(rum) Amen. Explicit speculum b(ea)ti Augustini Episcopi.*

cf. Migne, Patr. lat. tom. 40, 967 sq.

4) f. 286ᵛ—301ᵛ **S. Bernardi tractatus de interiore domo.**

f. 286ᵛ I *Incipit liber beati Augustini de c(on)sciencia (et) ei(us) exq(ui)sic(i)on(e). Domus hec in qua habitam(us).*

f. 301ᵛ I *celestiu(m) pocius c(on)templac(i)o(n)e qu(am) terrestrium ocupacione. Explicit liber de consci(enci)a ho(minis).*

cf. Migne l. c. 184 A, 507 sq.

5) f. 301ᵛ I—302ʳ I excerptum de exercitatione divini amoris.

f. 301ʳ I *Sequitur ergo nu(n)c de exercitacione diuini amoris.*

6) f. 302ʳ I *De pace et contemplac(i)one.* Sunt 20 tantum versus.

7) f. 302ʳ I—306ᵛ II **Augustini Manuale** quod dicitur.

f. 302ʳ I *Incipit liber beati Augustini de salute anime. Quonia(m) in medio laqueor(um) positi sum(us).*

f. 306ᵛ II — *non cessant michi dice(re) ut amem deum meum. Explicit liber Sancti Augustini de salute anime.*

cf. Migne l. c. tom. 40, 951; 177, 171 sq.

8) f. 307ʳ I—319ʳ I ***INcipiu(n)t Flores et Notabilia d(e)cretor(um).*** *Quid est lex? Lex est c(on)stitucio sc(ri)pta — iusticia(m) r(e)cense(ri) . . . Expliciu(n)t Flores et no(ta)bilia decretoru(m).*

9) f. 326ʳ—360ʳ I **Liber penitenciarius magistri Iohannis de Deo Hispani.**

f. 326ʳ I *Ad laudem et honorem su(m)me trinitat(is) et indiuidue unitat(is) patris et filij et s(piritus) s(ancti) et beate v(ir)ginis Marie et o(mn)i(u)m angelor(um) sanctor(um)q(ue) et p(re)cipue b(ea)ti vince(n)cii Et ad honore(m) venerabiliu(m) patru(m) Ep(iscop)i et Cap(itu)li uniu(er)salis Bono(niensis) et ad vtilitate(m) uniu(er)salis Studij et ad honorem*

*Romane eccl(es)ie ac ven(erabi)l(is) Presulis Innoce(n)cii 4ti Incip(it) liber penite(n)ciarius et i(m)mor(ta)lis A m(a)g(ist)ro Iohanne de deo editus a vete(r)i et nouo testame(n)to fidelit(er) co(m)p(ro)batus in quo succu(m)bit f(a)l(s)itas* (?) *et ve(r)itas elucescit ut p(er) septe(m) libellos et p(er) septuaginta ca(pitu)la est distinct(us) Sup(er) op(er)is imp(er)f(e)ct(i)one venia postulata.*

f. 360r I *Explicit liber septim(us) ad hono(r)e(m) su(m)me t(ri)nitat(is) et i(n)diuidue vnitatis. In no(m)i(n)e patr(is) (et) filij (et) sp(iritu)s sancti Amen a m(a)g(ist)ro Iohanne de deo co(m)pilat(us) . . . portugalis . . .*

*En ego que(m) genuit p(at)ria pia Portugalens(is)*
*Diua kathedrauit urbis scola Bononien(sis)*
*Hoc opus aptaui d(omi)ni no(n) absq(ue) labo(r)e,*
*S(ed) labor est facilis n(ost)ro sup(er)atus amo(r)e.*

*Sub anno d(omi)ni millesimo trecentesi(m)o octuagesimo sexto Co(m)positus liber p(e)n(i)t(enci)arius a m(a)g(istr)o Iohanne de deo Hyspano docto(r)e decretor(um). Sc(ri)ptus in Legnitcz.*

De hoc Iohanne iuris canonici professore Bononiensi saeculi XIII. egit J. F. v. Schulte, Die Geschichte der Quellen und Litteratur des canonischen Rechts, II, 94. 102. Liber poenitentiarius ex parte typis mandatus est Parisiis 1677 post Poenitentiale Theodori archiepiscopi Contuar. tom. II.

f. 360v—361v vacua. **[M.-Z.]**

## M 1066—1067.

Codex chartaceus formae maximae (0,21×0,32 m) in duo volumina divisus foliorum 281+335 (per seniones digestorum), binis columnis saec. XV. scriptus. In interiore parte tegumenti anterioris voluminis prioris legitur: *It(em) iste lib(er) c(on)ti(n)et XXIII sext(er)nos (et) fuit d(omi)ni Ie(r)onimi smid m(on)asterij legniczensis.* Insunt:

1) **Biblia sacra** ex parte.

Textus est Vulgatae, sed ordo aliquot locis turbatus. Praecedunt enim libri Regum (f. 145v—241v) libris Iosue (f. 241v—260r), Iudicum (f. 260r—278r), Ruth (f. 278v—281r); in volumine secundo Iob, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus (f. 268r—328v) postpositi sunt libris Maccabaeorum (f. 104r—142r) et Prophetarum (f. 143r—268r); prologi in Ezechielem et Danielem suo

loco omissi ante prologum in Isaiam collocati sunt. Psalmi et Novi Testamenti libri desunt. Librarii hae notae memorabiles: vol. II. f. 143ʳ *Et sic est finis s(e)c(un)di libri machabeor(um) Sub a(n)no d(omi)ni M°CCCCLXV° in die sancti Lamp(er)ti in Lubano p(er) me Iohanne(m) clare de Swebischen (et)c.* f. 168ʳ *Et sic est finis ysaie p(ro)ph(et)e Anno d(omi)ni MCCCCLXIII°.* f. 268ʳ *Et (si)c e(st) finis o(mn)i(u)m p(ro)ph(et)ar(um) ta(m) maior(um) q(uam) mi(n)or(um) sub a(n)no d(omi)ni M°CCCC63° In vigilia s(an)c(t)i Nicolai (et)c.* f. 328ᵛ *Et sic e(st) finis libror(um) sapie(n)cialiu(m) a(n)no d(omin)i M°CCCC64° in vi(gili)a nati(vitatis) xp̃i in nouo foro.* Pars codicis annis 1463—1464 scripta (vol. II f. 145—328) aliam praebet scripturam quam pars anno 1465 a Iohanne Clare de Swebischen scripta (vol. II. f. 1—144), qui idem et prioris voluminis librarius fuit.

**2) Statuta synodalia Conradi episcopi Wratislaviensis anni 1447,** diligenter a tertio librario scripta.

f. 329ʳ *Innomi(n)e d(omi)ni amen Nos Cunradus dei gr(ati)a ep(iscop)us Wratislauien(sis)* eqs.

f. 335ʳ *Et sic est finis statutorum Sinodalium in octaua Apostolorum petri et pauli anno d(omi)ni millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo hora merediej.* Subscripsit manus alia: *Et nota q(uod) ille liber c(on)stat Quattuor (et) dimidiam marcas.*

cf. Montbach, Statuta synodalia dioecesana s. ecclesiae Wratislaviensis, sec. ed., Wratislaviae 1855, p. 52—73, qui tamen textus multis locis e nostro codice emendari poterit. [M.-Z.]

## M 1068.

Codex chartaceus formae maximae (0,22×0,31 m) foliorum 396 (senionum triginta trium) sub medium saeculum XV. in Germania scriptus est binis columnis 38—44 versuum. Praefixum est folium membranaceum, in quo scriptum est (cf. cod. M 1062): *Istum librum dedit et assignauit per suos p(ro)curatores venerabiles viros dominos Andream lumpe Rectorem perrochial(is) eccl(es)ie Sanctorum Andree Ap(osto)li et ma(r)ie magdalene wrat(islaviensis) et Iohannem Cluge Ciuem wrat(islaviensem) Honorabilis d(omi)n(u)s Iacob(us) Sculteti de Gdanczyk* (vel *Gdanczgk*) *quonda(m) Capellanus eccl(es)ie Suprad(i)c(t)e in testamento qui obijt Anno dom(in)i M°CCCC° octuagesimo tercio die Sancti domi(ni)ci Quinta Augusti hora vesp(er)orum Orate*

*deum pro eo.* In f. $1^r$ a librario vacuo relicto leguntur haec: *henge hodcyn scekelcyn* bis; deinde: *Om(n)ib(us) in reb(us) g(ra)uis e(st) inceptio queuis* tum *Nabochodonozor* bis; *In xp̃o ih̃u domi(n)o nostro Anno i(n)carnac(i)o(nis) xp̃i millesimo quadringentesimo quadragesimo q(uar)to obijt* et *O be(at)a paup(er)tas t(u?) no(bis) c(om)mitt(is?) r(e)gnu(m) celor(um) s(ed) da(s?) Quotienscu(m)q(ue) dede(ris?) cogitam(us)* et alia lectu difficillima. f. $1^v$ vacuum.

Insunt:

**1) [Alberti Magni] Compendium theologicae veritatis.**

f. $1^r$ *Incipit p(ri)m(us) liber compe(n)dij theoloyce veritatis de natura diuinitatis Q(uod) deus est Q(uod) unus deus est* eqs.; est index capitulorum.

f. $4^r$ I *Expliciu(n)t capitula istius libri Incipit prologus in co(m)pendiu(m) theoloyce v(er)itatis VEritatis theoloice sublimitas cu(m) superni sit splendoris radius illu(m)i(n)ans* eqs. Singulorum librorum tituli sunt hi: *de natu(r)a diuinitatis* (f. $4^r$ II) *de reru(m) creac(i)one* (f. $22^v$ I) *de corruptela peccati de malo in g(e)n(er)e* (f. $50^r$ II) *de hu(m)anitate christi* (f. $69^r$ I) *de virtutibus et gracia* (f. $87^r$ II) *de sacramentis ecclesiasticis* (f. $113^v$ I) *de fine mu(n)di* (f. $133^v$ II).

f. $147^r$ II *Explicit compendiu(m) theoloyce veritat(is) p(er) ma(nus) c(uius)d(am) p(ro)copii Anno d(omi)ni M°CCCCXLV (et)c.* Deinde rubro *Om(n)ib(us) est notu(m) q(uod) m(u)ltu(m) diligo potum Brenge byr.* Addidit denique aliquot verba manus quaedam minutior.

Hoc compendium inter opera Alberti Magni editum est et antea et nuper a Borguet, B. Alberti Magni opera omnia, vol. 34, Parisiis 1895, p. 1—270.

f. $147^v$ vacuum.

**2) Isidori Hispalensis sententiarum libri III.**

f. $148^r$ I *Isydorus de su(m)mo bono Incipiu(n)t capitola p(ri)mi libri Quod deus su(m)m(us) et inco(m)mutabilis sit Q(uod) i(m)me(n)sus et om(n)ipotens sit deus* eqs. Sequuntur f. $148^r$ I liber primus, $164^v$ II secundus, $184^r$ II tertius.

f. $211^r$ II *Illi eni(m) deplorandi sunt in morte(m) quos miseros infern(us) ex hac uita recipit, no(n) quos celestis aula letifica(n)dos includit. finis Explicit liber tercius Sancti ysydori episcopi spalensis de su(m)mo bono porta byrum brenge bir gib auch myr*

*Conturba(r)e* } *caue* { *no(n) e(st) placa(r)e su* } *aue*
*diffamare* } { *na(m) r(e)uoca(r)e gr* }

*Aue lu(n)a(m) calcas a nob(is)* . . . (?) *falcas Habe wir nicht brot von der garbe So habe wir ad(er) tynte vnd rote varbe Deo Gracias Alleluia.*
f. 211ᵛ vacuum.

**3)** f. 212ʳ I *Prologus in expo(sitione)m ep(istu)laru(m) d(omi)ni(ca)liu(m) lectoris* ***Ioh(ann)is Merkelyn*** *Ordinis Heremitaru(m) Sancti Augustini In christo Reve(re)ndissimo p(at)ri ac d(omi)no d(omi)no henrico di(vi)na et ap(osto)lice sedis gra(tia) Warũes(is)* (= *Warmiensis*) *ecclesie Ep(iscop)o frater Ioha(n)nis merklyn l(e)c(t)or mi(ni)m(us) ordi(ni)s he(re)mitaru(m) S(an)c(t)i Augusti(ni) Co(n)uentus vredibergens(is) Caminens(is) dyoces(eos) v(ir)tut(is) p(ro)gressu(m) et exitu(m) p(raese)ntis* (?) *exilij cu(m) salute Cu(m) nup(er) ad mente(m) mea(m) reduxeri(m) qualiter iocu(n)do a(n)imo libru(m) de instrucc(i)one simpliciu(m) sacerdotum per me collatu(m) ac v(est)re distracc(i)o(n)i ad corrigendu(m) t(ra)nsmissu(m) suscepistis* eqs. Sequitur f. 213ʳ I **expositio epistularum dominicalium.** Explicit f. 380ʳ II *Gra(tia)m in pr(aese)nti (et) gl(ori)am in futu(r)o alleluia Sicio vere Am(en). Deo gratias alleluia finitu(m) sabbato an(te) marci Anno (et)c. XL V* (ie. 1445). Addit librarius lusus solito genere.

De Johanne Merkelin eiusque opere cf. Ossinger, Bibliotheca Augustiniana, Ingolstadii 1768, 585.

f. 381ʳ I incipit index rerum in hanc expositionem, cuius in fine (f. 388ᵛ I) librarius adscripsit: *Hy ist ny(m)me haw wek strömp(e)l Grob brot saw(r) bir dorre fleysch lange meylen Su(n)t in westfalia si no(n) vis crede(re) lawff dar.*

**4) Vita s. Reginae virginis.**

f. 389ʳ in margine superiore manus recentior scripsit: *De Santa Regina v(ir)gine legenda festu(m) ip(s)ius celebrat(ur) in vigi(lia) n(a)ti(vi)t(atis) Mar(i)e.* Deinde incipit textus: *Ut dequalitatibus et co(n)dicionibus vite beatissime regine v(ir)ginis nobis asserit certitudo plenaria* eqs.

f. 392ʳ II *Implo(r)em(us) v(ir)gine(m) gloriosam ut nob(is) p(e)c(ca)toribus a domi(n)o impetret graciam copiosam Et ad vita(m) eternam p(er)ducat de hac vita tediosa Amen dicant om(n)ia.* Subscripsit alia manus: *festum sancte regine celebratur in vigilia natiuitatis beate marie virginis frischlich mit freuden.*

cf. AA. SS. 7. Sept. III 24 sq.

f. 392ᵛ—396 vacua. [Z.]

## M 1305.

Codex membranaceus formae quadratae (0,175×0,245 m) foliorum 41 (quattuor quinionum, unionis) versuum 28, saec. XV. in Italia nitide scriptus. Lemmata et litterae initiales variis coloribus et auro picta; f. 1r in margine inferiore cernuntur arma gentis alicuius nobilis: leo aureus sedens in area caerulea, cuius in partibus cervus et cerva iacent. In tegumentis et in folio membranaceo codici praefixo (in quo alio arma delineata sunt) et in foliis 40 et 41 possessor pristinus saec. fere XVI. varia conscribillavit, et versus Latinos fortasse ab ipso miselle consutos et versus lingua Italica vulgari conceptos et alia. Aliquot versus ita scripti, ut pro vocalibus *a, e, i, o, u* primum numeri *1, 2, 3, 4, 5,* deinde littera *p* hasta recta semel vel bis vel ter vel quater vel quinquies transversa, tertium unum vel duo vel tria vel quattuor vel quinque puncta posita sint. Saepius legitur nomen *Augustius* et f. 41r etiam *Antoni fraca(n)zane* et *Ant(oniu)s Lanza Pataui(nus)*. Insunt:

**1) Ciceronis Cato Maior de senectute.**

f. 1r *M. Tullii Ciceronis de senectute liber feliciter incipit O Tite siquid ego* eqs.

f. 16v *De senectute liber explicit.*

**2) Ciceronis Laelius de amicitia.**

f. 17r *M. C. de amicicia feliciter incipit Quintus Mutius* eqs.

f. 32r *ut ea excepta nihil amicitia praestabilius putetis* (subscriptio deest).

**3) Ciceronis Paradoxa Stoicorum.**

f. 32v *Animaduerti brute saepe Catonem auunculum tuum* eqs.

f. 39v med. desinit in verbis *nec debemus nec possumus* = Parad. 5, 41; subscriptio deest, reliqua pars paginae vacua. [Z.]

## M 1357.

Codex chartaceus 0,145×0,195 m foliorum 97 saec. XVI. vel XVII., continet commentarium in Ciceronis Laelium, quem aliquis studiosus litterarum ad professoris scholas conscripsisse videtur. Tegumentum e membrona factum textum ecclesiasticum saec. fere XII. scriptum continente. [Z.]

## M 1371.

Codex chartaceus 0,145×0,19 m foliorum 325 anno 1655 scriptus. Quid insit, edocemur titulo in f. 1r scripto: ***Anthologicum Sallustianum,*** *hoc est, Monita, Parallela Dicta, et Exempla, Ex C. Sallusti Crispi Catilina, Iugurtha, Orationibus ad C. Caes. et Fragmentis Histor. ac aliorum insuper Operibus Excerpta et Digesta, Eclogario* ***Christoph. Colero.*** Subscr. f. 305r: *Finita haec Commentatio Politica Die VI. Cal. VI.tiles* (supra. scr. *VIIbris*) *Aĩ C. CIƆIƆCLV. Deo Uni sit Laus et Gloria in Sempiterna Secula.*

f. 305v—325 vacua. [Z.]

## M 1385.

Codex chartaceus formae quadratae (0,145×0,21 m) foliorum 143 (2 senionum, quinionis, 3 senionum, quaternionis [71—78, postea inserti, ex alia charta], senionis, quaternionis 2 foliis decurtati [post f. 96], quaternionis uno folio decurtati [ante f. 97], quaternionis integri, quinionis, senionis, quinionis), scriptus in Italia saec. XV. exeunte (ex parte annis 1480 et 1481). Insunt:

1) f. 1r Carmen lingua Italica volgari conceptum, continens 4 strophas 6 versuum et strophae quintae versus 2 primos.

Inc. *Lo foco la feĩa la terra*
*Et labisso nõ dicono may basta.*

Expl. *Volendo illostragiãr ṽe loro uio* (?)
*Temo nõ offenda cortesie.*

f. 1v exhibet indicem eorum, quae continet codex, a manu recentiore scriptum.

2) f. 2r—70v **Iuvenalis saturae** I—X, 303. Singulae paginae 19—20 versus continent; scholia in margine adscripta sunt; post f. 70 decem folia excisa.

3) f. 71r—78r **Tractatus anonymus de prosodia,** ab alio librario scriptus et codici postea insertus.

Inc. *Quom optimar(um) rer(um) studia exercitac(i)onesq(ue) meas* eqs.

Expl. *hec aut(em) ad te scribere compediose m(ihi) p(er)suasi no(n) q(uod) ip(s)e paucis metrica usq(ue) quaq(ue) ãre* (?) *co(m)prehe(n)di queat Set q(uod) cognitis hijs nichil e(st) quin nu(mer)osa or(ati)o(n)e p(er)spicue scribere queas Vale finis.*

f. 78$^{v}$ enumeratio singulorum numerorum.
f. 79$^{r}$ adnotationes grammaticae.
f. 79$^{v}$ vacuum.

4) f. 80$^{r}$—96$^{r}$ ***Ars uersificandi grabielis aurofoni*** *ad siluestrum filiu(m).*

Inc. *Versificandi artem grabielis respice lector*
*Lector alexandro grates conferre meme(n)to.*

Expl. *q(uae) h(abe)nt uocalem longa(m) q(uam)uis sequat(ur) muta cu(m) liquida et ista no(m)i(n)a s(eu) cirag(ra) et podag(ra) sunt ad plantu(m).*

f. 96$^{v}$ vacuum.

5) f. 97$^{r}$—108$^{v}$ **Carmen elegiacum de facetia,** ex duodecim partibus compositum fortasse a librario ipso.

Inc. *Moribus et uita quisquis uult esse facetus*
*Me legat et discat ut mea musa docet.*

Expl. *Quom sicut est dictum p(ro)piam vult duce(re) uita(m)*
*Terrigena doctus arte facetus erit. Finis Amen.*

6) f. 108$^{v}$—111$^{v}$ **Ovidii heroidum** epistula Sapphus.

Inc. *NVM quid ubi aspecta est studiosae lictera destrae.*

Expl. *Vt michi leucadiae fata petam(us) aquae finis Amen deo gracias.*

7) f. 112$^{r}$—117$^{r}$ **Catonis praecepta** et **disticha.**

Subscr. *Censorinus de moribus foeliciter explicit Amen.*

Cf. Baehrens PLM III 214—235.

8) f. 117$^{v}$—121$^{v}$ **de differentiis** verborum similium tractatus versibus heroicis conceptus, **Guarino** attributus.

Inc. [*D*]*Icitur esse nepos denepa luxuriosus.*

Expl. *Est hara porcor(um) uenerabilis ara deorum*
*Prima breuis petit h longa est sine h s(cribend)a*
*Expliciu(n)t diferencie guarini M°CCCCLXXX anno Dn̄j*
*Nostri Iesu Xp̄i anno uero XIII In̄d die III Agusti etc.*

f. 122 vacuum.

9) f. 123$^{r}$—131$^{v}$ **Homeri Batrachomachia** in Latinum translata a **Carolo Marsuppini.**

Subscr. *Homeri poetae greci clarissimi de mur(um) et Ranar(um) bello per carolum aretinu(m) traductus liber explicit.*

f. 131$^{v}$ explicatio nominum propriorum Graecorum Batrachomachiae.

f. 132$^r$ *[N]Vper suauissime marrasi quom apud . . . relaxar(e) a(n)i(m)um possis. Vale finis.*

cf. ad cod. R 74, p. 40.

f. 133$^v$ vacuum.

**10)** f. 134$^r$—137$^v$ **variae sententiae morales.**

Inc. *PRimum igitur que deorum sunt pie cole no(n) solu(m) sacrificia persoluens uer(um) et(iam) sacrame(n)tum obseruans.*

Expl. *honeste mori proprium est p(rae)stanciu(m) fortissimor(um)q(ue) viror(um) AMEN. Precepta uero Socratis notatu digna expleta fueru(n)t per me lanciloctu(m) deplutino Anno dñj M°CCCCLXXXI XIIII Ind Indie p̊ septe(m)bris feliciter Amen Stellifero principi gr(ati)as referendo.*

**11)** f. 137$^v$—140$^r$ **Lactantii de ave Phoenice.**

Subscr. *Opus dignissimi poete lactancij formianj super recreac(i)onem phoenicis fuit expletu(m) p(er) lanciloctu(m) deplutino ll* (= *litterarum*) *Studente(m) A(n)no Dñj M°CCCCLXXXI XIIII Ind die II° Septembris.*

**12)** f. 140$^v$—141$^r$ **Lancilocti de Plutino carmen.**

Inc. *AEloquium musaeq(ue) precor concedite linguae.*

Expl. *Milib(us) et digno gaudeant ia(m) no(m)i(n)e p(rae)sto.*

Subscr. *De quadam prece et suasion(e) mixta facta et conpilata in uersib(us) p(er) lanciloctum deplutino ad ithalos reges ut venient(es)* [?] *theucru(m) et ut opitulent(ur) regi fer (et) quid inde habita victoria sequent(ur).*

**13)** f. 141$^v$—142$^v$ **Carmen ad Mariam virginem,** 22 strophis Sapphicis satis barbarice conceptum, fortasse ab ipso Lancilocto librario.

Inc. *Iam stabat pulcro residens olimpo*
*luna quom t(er)ra(m) clausit tenebris*
*Ip(s)a suos rades duxerat In altum*
*Medio caeli.*

Expl. *Alma o uirgo genetrixq(ue) dey*
*Facilem precor genib(us) et humj*
*Flexus: curas eripe et benigna(m)*
*Indulge venam.*

f. 143 vacuum. [Fink-Z.]

## M 1438.

Codex membranaceus est e duobus codicibus **A** et **B** a bibliopega compositus.

### A.

Codex membranaceus formae minoris (0,11×0,175 m) foliorum 121 (quaternionis, 2 quinionum, 2 quaternionum, 2 quinionum, 3 quaternionum, quinionis, 3 quaternionum, quorum ultimi ultimum folium abscisum est) versuum 35, scriptus saec. XIV. Hic illic notas marginales adspersit manus recentior. Insunt

**Claudii Claudiani carmina.**

**1)** in Rufinum libri duo.

f. 1ʳ *Claudiani poete in rufin(um) lib(er) I. i(n)cip(it) Phebeo domitus phiton cu(m) decidit arcu* eqs.

f. 6ᵛ *Incip(it) s(e)c(un)d(u)s lib(er) (et) p(ri)m(us) de c(on)sulatu stilichonis. [I]AM post edomitas alpes* eqs., omissa igitur hoc loco praefatione libri II.

f. 14ʳ, 22 explicit liber II, quem excipit vacuo relicto versu uno eiusdem praefatio, quae explicit f. 14ᵛ, 8. Sequitur omisso lemmate:

**2)** de bello Gildonico liber I.

f. 14ᵛ, 10 *[R]edditus imp(er)iis auster. subiectaq(ue) rursus* eqs.
f. 22ʳ, 10 *Suspensa zephiros expectant classe fauentes*;

**3)** in Eutropium libri duo.

f. 22ʳ, 11 *In eutropiu(m) liber prim(us) incipit. [S]emiferos partus* eqs.
f. 29ʳ, 33 *Vulgus (et) addictus sub uerbare corpuit ensis.* = fin. libri I.
*Incip(it) p(rae)fatio t(er)cij lib(ri) in eut(ro)piu(m).*
*[Q]ui m(odo) sublimes reru(m) flectebat habenas* = lib. II. praef.
f. 30ᵛ, 6 *Explic(it) p(rae)f(ati)o t(er)cij. Incip(it) IIII. in eut(ro)pium*
*[M]IGdonii cin(er)es (et) siquid restat eoi* = lib. II. init.
f. 39ʳ, 14 *Unaq(uae) p(ro) gemino desudet carmi(n)e uirtus* = fin.

**4)** Fescennina de nuptiis Honorii Augusti.

f. 39ʳ, 15 *Incip(it) fesce(n)nina de nuptijs honorij augusti*
*[P]Rinceps chorusco sid(er)e pulc(ri)or* eqs.
f. 41ʳ, 1 *formosus mariam ducit honorius* = fin.

**5)** Epithalamium de nuptiis Honorii Augusti.

f. 41ʳ, 2 *Incip(it) epithalamiu(m) de eisdem nuptiis*
*[S]urg(er)et in thalamu(m) ducto cu(m) pelion arcu* eqs.
f. 46ʳ, 15 *Paru(us) honoriades genibus considat auitis* = fin.

**6)** Panegyricus de tertio consulatu Honorii Augusti.
f. 46ʳ, 16 *p(rae)f(ati)o de III. consulatu stilichonis.*
*[P]aruos no(n) aquilis fas est educere fetus* eqs.
f. 46ʳ, 34 *et chelis augusto iudice nostra sonat* = fin. praef.
f. 46ʳ, 35 *Incip(it) sextus liber de eodem.*
f. 46ᵛ, 1 *[T]ERCIA ROmulei sumant exordia fasces* eqs. = Paneg. 1.
f. 49ᵛ, 1 *Indus ebur. ramos panchaia. uellera seres* = Paneg. fin.

**7)** Panegyricus de quarto consulatu Honorii Augusti.
f. 49ᵛ, 3 (omisso titulo) *[A]uspiciis iter(um) sese regalibus annus* eqs.
f. 58ᵛ, 22 *Ultima frat(er)nas horrebu(n)t bactra secures;* = fin.

**8)** Panegyricus dictus Manlio Theodoro consuli.
f. 58ᵛ, 23 *T(er)ci(us) pangeric(us) d(i)c(tu)s theodoro consuli.*
*[A]udebisne p(re)cor doctę subiecta cat(er)uę* eqs.
f. 63ᵛ, 32 *Manlia continuo numeret(ur) co(n)sule proles* = fin.

**9)** De consulatu Stilichonis libri tres.
f. 63ᵛ, 33 *de c(on)sulatu stilichonis p(ri)m(us) liber*
*[C]ontinua(n)t sup(er)i pleno romana fauore* eqs.
Sequitur f. 69ʳ, 32 liber II cum titulo, f. 76ʳ, 10 liber III sine titulo.
f. 81ᵛ, 12 *linces (et) insolite mirant(ur) carbasa tigres* = fin. libri III.

**10)** Panegyricus de sexto consulatu Honorii Augusti.
f. 81ᵛ, 13 *p(rae)f(ati)o de VI^to c(on)sulatu honorij Aug(us)ti*
*[O]m(n)ia que se(n)su uoluu(n)t(ur) uota diurne* eqs.
f. 82ᵛ, 5 sequitur ipse Panegyricus, titulo instructus: *liber terci(us) de c(on)sulatu stilichonis.*
f. 91ʳ, 29 *Nomine. pret(eri)tas melior. uenientibus actor* = fin.

**11)** De bello Gothico.
f. 91ʳ, 30 *p(rae)fatio de bello geticho.*
*[P]OST resides a(n)nos lo(n)go uel(u)d excita so(m)no* eqs.
f. 91ᵛ, 14 incipit ipsum carmen hoc titulo instructus: *Incip(it) lib(er) qui(n)t(us) de bello gethico.*
f. 100ᵛ, 28 *Discite uesane romam non temp(or)e gentes* = fin.
*Claudiani liber explicit.*

**12)** Carmina minora, hoc ordine digesta:
f. 100ᵛ, 30 *Incip(it) descript(i)o portus mirensis* = c. II Birt.
f. 101ʳ, 5 *Descriptio armenti* = " IV "
f. 101ʳ, 19 *[S]olitas galea fulgere comas* (sine titulo) = " I "

| | | |
|---|---|---|
| f. 101$^{r}$, 31 | *descriptio insule. [E]st p(ro)cul ingenti* | = c. V Birt. |
| f. 101$^{v}$, 1 | *de actibus dementis. [I]n iaculu(m)* | = „ VI „ |
| f. 101$^{v}$, 6 | *de quadriga marmorea* | = „ VII „ |
| f. 101$^{v}$, 15 | *de pastilicate (et) p(er)tica* | = „ VIII „ |
| f. 101$^{v}$, 22 | *de lucusta. [A]vdiera(m) memora(n)de* | = „ IX „ |
| f. 102$^{v}$, 1 | *de vino et castorea* | = „ X „ |
| f. 102$^{v}$, 6 | *sepulchru(m) speciose* | = „ XI „ |
| f. 102$^{v}$, 11 | *de balneis q(ui)ntiliani q(ui) era(n)t invia* | = „ XII „ |
| f. 102$^{v}$, 16 | *sipodagr(um) i(n)uectio q(ui) dicebat carmi(n)a n(on) stare* | = „ XIII „ |
| f. 102$^{v}$, 21 | *ad maximu(m) qui ei mel miserat* | = „ XIV „ |
| f. 102$^{v}$, 24 | *de paup(er)tate amantis* | = „ XV „ |
| f. 102$^{v}$, 27 | *de eodem* | = „ XVI „ |
| f. 102$^{v}$, 30 | *Aspice suadentes uenerando* (sine titulo) | = „ XVII „ |
| f. 103$^{v}$, 8 | *de pecudib(us) q(uae) gallicis u(er)bis reguntur* | = „ XVIII „ |
| f. 103$^{v}$, 29 | *Incip(it) ep(istu)la ad ge(n)nadiu(m) exproconsulem* | = „ XIX „ |
| f. 104$^{v}$, 3 | *de senatore uerone(n)si* | = „ XX „ |
| f. 104$^{r}$, 25 | *de theodoro (et) adriano* | = „ XXI „ |
| f. 104$^{r}$, 30 | *excusatio pro se ad adrianum* | = „ XXII „ |
| f. 105$^{r}$, 18 | *In aletiu(m) q(uae)storem c(on)questio* | = „ XXIII „ |
| f. 105$^{v}$, 4 | *de lucusta. [H]orret apex capitis* | = „ XXIV „ |
| f. 105$^{v}$, 9 | *epithalami(us) dictus p(rae)fatio* | = } „ XXV „ |
| f. 105$^{v}$, 18 | *Sine titulo. [F]orte uen(us) bla(n)do* | = } „ XXV „ |
| f. 107$^{v}$, 24 | *Fons antheonie uita(m)* (sine titulo) | = „ XXVI „ |
| f. 109$^{r}$, 20 | *[O]cceani su(m)mo circu(m)fluus* (sine titulo) | = „ XXVII „ |
| f. 110$^{v}$, 26 | *[F]elix qui pharias* (sine titulo) | = „ XXVIII „ |
| f. 111$^{r}$, 32 | *Incipit Magnes* | = „ XXIX „ |
| f. 112$^{r}$, 20 | *pref(ati)o magistri girardi. [D]ic mea* | = „ XXX „ |
| f. 115$^{v}$, 11 | *Incipit ep(istul)a ad serenam* | = „ XXXI „ |
| f. 116$^{v}$, 4 | *de saluatore* | = „ XXXII „ |
| f. 116$^{v}$, 26 | *de cristallo* | = „ XXXIII „ |
| f. 116$^{v}$, 31 | *de eodem* | = c. XXXIV—XXXIX „ |
| f. 117$^{r}$, 35 | *ad dolobrium* | = c. XL „ |
| f. 117$^{v}$, 25 | *ad probium* | = „ XLI „ |
| f. 118$^{r}$, 9 | *In curetium. [T]oruus aper* | = „ XLII „ |

| | | |
|---|---|---|
| f. 118ʳ, 14 | *de apro (et) leone. [F]allaces uitreo* | = c. XLIII Birt. |
| f. 118ʳ, 25 | *de curetio* | = 〃 XLIV 〃 |
| f. 118ʳ, 34 | *Incipit de creta* | = 〃 XLV 〃 |
| f. 118ᵛ, 4 | *de munerib(us) bonor(um)* | = 〃 XLVI 〃 |
| f. 118ᵛ, 20 | *de equo honorij* | = 〃 XLVII 〃 |
| f. 119ʳ, 1 | *de phalera equi* | = 〃 XLVIII 〃 |
| f. 119ʳ, 14 | *de turbidine* | = 〃 XLIX 〃 |
| f. 119ᵛ, 6 | *In iacobum magistru(m) equitu(m)* | = 〃 L 〃 |
| f. 119ᵛ, 21 | *Incip(it) inphera archimedis* | = 〃 LI 〃 |
| f. 120ʳ, 3 | *de gigantomachia* | = 〃 LIII 〃 |

Explicit in media pagina 121ᵛ.

### B.

Codex membranaceus eiusdem formae foliorum 49, signatorum 122—170 (quaternionis, binionis, 5 quaterniorum, quorum ultimi folia 3 ultima abscisa sunt), primum 38 deinde 35 versuum, ab alio librario eiusdem aetatis (saec. XIV.) scriptus. Multa scholia adspersa sunt marginibus. Insunt:

**Ovidii Heroides.**

f. 122ʳ Titulus, qui videtur fuisse [*P. Ovidii Nasoni*]*s hero*[*idum*] *incip*[*it*] *liber* evanuit. Incipit: *Hanc tua penelope le*(*n*)*to tibi mittit ulixe* eqs. = ep. I. Sequuntur f. 123ᵛ epistula II, 125ᵛ III, 127ᵛ IV, 130ʳ V, 132ᵛ VI (ita: *Liber II. ypsiphile iasoni*), 134ᵛ VII, 137ᵛ VIII, 139ʳ IX, 141ᵛ X, 143ᵛ XI, 145ᵛ XII, 148ʳ XIII, 150ᵛ XIV, 152ᵛ XVI, 156ᵛ XVII, 160ʳ XVIII, 163ᵛ XIX, 168ᵛ (quod folium debebat poni inter f. 165 et 166) XX, 170ʳ XXI, quae desinit in fine eius paginae in v. 10, ubi subscr.: *explicit ovidi*(*us*) *heroidum. p*(*er*)*lecto libro fra*(*n*)*ga*(*n*)*t*(*ur*) *crura magist*(*ro*).

f. 170ᵛ brevis tractatus de Ovidii vita et carminibus, multis compendiis scriptus lectuque difficilis. Deinde aliqua erasa, sed manserunt haec: *dei gr*(*ati*)*a maior p*(*rae*)*posit*(*us*). *th. decan*(*us*) *archid*(*iaconus*) *totu*(*m*) *q*(*ue*) [capitulum?] *maioris eccl*(*esi*)*e leod*(*icensis*) *sacerdoti de timis* (?) *sal*(*utem*) *Mandam*(*us*) *uobis q*(*ua*)*tin*(*us*) (?) *B. famulu*(*m*) *n*(*ost*)*r*(*u*)*m*. [Z.]

## M 1443.

Codex chartaceus formae quadratae (0,11×0,17) foliorum 132, signatorum a. b. 1—30. 1—80. 110—129 (16 quaternionum, quorum duo [C = f. 15—21 et M = f. 54—60] singulis foliis decurtati sunt, et ter-

nionis [D = f. 22—27]) 19—25 versuum, saec. XVII. diligenter scriptus. f. b[r] rubro scriptum: *Sum ex libris Casparis Sampadij,* quem virum ipsum codicem exarasse ex similitudine scripturae satis elucet. Insunt:

1) f. 1—30 ***M. Tullii Ciceronis Laelius*** *sive de Amicitia ad T. Pomponium Atticum.*

2) f. 1—80, 110—125[r] ***Annotationes nonnullae in Ciceronis Laelium.***

f. 125[v]—129[v] vacua. [Z.]

## M 1455.

Codex membranaceus formae minoris (0,9×0,145 m) foliorum 612, binis columnis litteris valde spissis sed sat diligenter saec. XIV. scriptus. In parte interiore tegumenti anterioris haec scripta: *Gott zu ehren Kirchen vnd Schulen zu nutz, den lieben nachkommenden zu seinem lobwürdigen gedechtnis, verehret Herr Georg Fürst, diese auf Pergament geschriebene Lateinische Bibel in einem theil, auf die Bibliothecam zu Sanct Mariae Magdalenae. Anno 1587 den 17 Julij.* Supra arma Georgii Fürst picta sunt additaque sententia: *Recht vnd schlecht, bei deinem Wort, erhalt mich Herr.* Insunt:

**Biblia sacra.**

Textus implet f. 1—567; f. 568 vacuum; annexae sunt in f. 569—612 interpretationes Hebraicorum nominum per alphabetum digestae.

[M.-Z.]

# III. Codices Bernhardini.

## B 1604.

Codex chartaceus formae maximae (0,22×0,315 m) foliorum 332 (1—331 chart., 332 membr.), e senionibus, sed interpositis aliquibus septenionibus, compositus, scriptus binis columnis in Germania saec. XIV. vel XV. In tegumenti parte interiore praeter alia legitur expositio *de ordinib(us) et religionib(us) chr(ist)ianitat(is)*, deinde haec: *Iste liber fuit Egregy quond(am) et V(e)n(erabi)lis viri d. docto(r)is Andree Wayn(e)rs* (?) *de Nampslã Can(oni)ci Wrat(islaviensis) In q(uo) c(on)tine(n)t(ur) ista It(em) Exerpta ex varys lib(ri)s et Ep(istu)lis m(u)lt(u)m nota(bi)lia et Vtilia cu(m) R(egistr)o alph(abeti)co It(em) Durand(us) c(on)t(ra) Thoma(m) et soluc(i)o dura(n)di et salua(ci)o S(ancti) Tho(m)e It(em) Trac(ta)t(us) quid(am) breu(is) q(ui)* (?) *et Vinc(u)l(u)m Francisci maro(nis) or(dinis) mi(n)or(um) intit(u)lat(us) In fi(n)e coll(e)cte qued(am) Et p(er)tinet ad liberaria(m) loci S(ancti) B(er)nhar(di)ni ext(ra) wrat(islaviam) Ad VItu(m) pul. s.*

Insunt:

**1) Varia excerpta.**

I. f. 1ʳ I ex Cassiodorii epistulis.
II. f. 5ᵛ I ex Lactantii institutionum divinarum libris.
III. f. 9ʳ I ex Ciceronis orationibus decem (in quibus sunt invectivae Sallustii et in Sallustium).
IV. f. 10ᵛ I ex Ciceronis Laelio sive de amicitia.
V. f. 11ᵛ II ex Ciceronis Catone sive de senectute.
VI. f. 12ᵛ I ex Senecae epistulis.
VII. f. 35ᵛ II ex Senecae de clementia libris.

VIII. f. 37r II ex Senecae de septem artibus liberalibus (?)
IX. f. 37v II ex Ciceronis paradoxis Stoicorum.
X. f. 38r I ex Ciceronis de officiis libris.
XI. f. 42v I ex Senecae (patris) declamationibus.
XII. f. 43v I ex Senecae naturalium quaestionum libris.
XIII. f. 47v I Proverbia Senecae per ordinem alphabeti.
XIV. f. 49v I ex Senecae de providentia libris duobus (!).
XV. f. 51v II ex Senecae de vita beata libro.
XVI. f. 52v I ex Senecae de tranquillitate animi libro.
XVII. f. 54v II ex Senecae de ira libris.
XVIII. f. 58r I ex Senecae ad Marciam de consolatione libro.
XIX. f. 58r II ex Senecae ad Helviam matrem de consolatione libro.
XX. f. 59r I *De cura (et) mo(do) rei fa(m)iliaris Ep(istu)la quedam Bu(r)hardi ad que(n)d(am) militem.*
Inc.: *Doceri cupis a nob(is) de cura (et) modo rei fa(m)iliaris vtilius gub(er)nare (et) qualit(er) p(at)res fa(m)ilias debeant se g(ere)re.*
Expl.: *(et) seruus testari non p(otes)t go* (?) *an(te) q(uam) spuis* (?) *facias testam(en)tu(m).*
XXI. f. 59v I *Liber Senece de moribus.*
XXII. f. 60r I ex Ciceronis de oratore libris.
XXIII. f. 62v I ex Francisci Petrarchae de laudibus vitae solitariae libris.
XXIV. f. 63v I ex Francisci Petrarchae de remediis utriusque fortunae libris.
XXV. f. 75r II ex Senecae de beneficiis libris.
XXVI. f. 78r I ex Gregorii Magni moralium libris XXXV (= expositio in librum Iob).
cf. Migne, Patr. lat. t. 75, 509 sq.
XXVII. f. 118r I ex Hieronymi epistulis aliisque scriptis.
f. 149—184 Registrum alphabeticum in excerpta.

**2) Durandi iunioris** seu **Durandelli evidentiae contra Durandum.**

f. 185r *Pu(n)cta in quib(us) Du(r)and(us) r(e)p(ro)bauit b(ea)t(u)m tho(m)a(m) (et) su(n)t 182.* Sequitur laterculus.

f. 186r *Durand(us) rep(ro)bat seu redarguit b(ea)t(u)m tho(mam) d(e) plu(r)ib(us) c(on)clusio(n)i(bus) Sed* (?) *quida(m) alt(er) frat(er) no-*

*(m)i(n)e durantill(us) soluit motus* (?) *du(r)andi (et) saluat b(ea)t(u)m thoma(m) in singulis Sedens adu(er)s(us) fr(atr)em tuu(m) loquebaris (et) adu(er)s(us) filiu(m) m(at)ris tue po(n)ebas sca(n)da(lu)m Hec fecisti et tacui* eqs.

f. 319v II *Expliciu(n)t r(e)p(ro)bac(i)o(n)es eor(um) que m(a)g(iste)r dur(andus) de s(an)cto porciano i(n) suis sc(ri)ptis S(ente)n(t)iar(um) p(er)* . . . (?) *factus dixit et posuit c(ontra) doct(ri)na(m) s(an)cti tho(m)e Et intitula(n)tur Euidencie c(ontra) Durand(um) Deo g(ra)cias.*

Commemoratum inveni Durandelli librum (annis fere 1310—1320 scriptum) in Casimiri Oudini Commentario de scriptoribus ecclesiae antiquis, tom. III p. 796 (Lipsiae 1722).

3) **Francisci de Mayronis** de essentia essentiae et existentiae.

f. 320r *Incipit vinculu(m) fratris francisci de maro(n)is docto(r)is S(anctissimae) theo(logi)e studij pa(r)isien(sis) ordinis mi(n)or(um) de e(ss)e(ntia) essencie (et) existencie.*

f. 325r I desinit ante finem ut videtur; f. 324v in margine inferiore scriptum: *explicit t(ra)ctat(us) d(omi)ni francisci maronis.*

cf. Wetzer u. Welte's Kirchenlexikon [2] VIII 1117.

4) **Varia scholastica.**

f. 325r II variae sententiae.

f. 325v I *De Causali(ta)te sacror(um).*

f. 325v II *Cura effectu(m) missal(is) officii p(rae)t(er) moni* (?) *dubitacio.*

f. 326r I subscr.: *Sup(ra)dict(us) poicos* (?) *docuit frat(er) arnoldus De monerdam* (?) *oriund(us) doctor theo(logi)e Coloniens(is) In Heidelb(er)ga ordinis Cist(er)ciens(ium).*

f. 326v definitiones scholasticae.

f. 328r—329r vacua.

5) Excerpta ex **Alberti Magni Mineralium** libro primo.

f. 329v *Alb(er)t(us) p(rim)o mineraliu(m) It(em) Alchimiste uoca(n)t lapide(m)* eqs.

cf. B. Alberti Magni opera omnia ed. A. Borgnet, vol. V (Parisiis 1890), 1 sq.

6) f. 330—331 Variae adnotationes scholasticae, quarum prima est de metallis, secunda et quarta Lactantii mentionem faciunt.

7) f. 332 membranaceum diploma est mutilatum, datum a pontifice quodam *dilectis filijs beate Marie in Arena extra muros Wratislaviens(es),* quo *Iohanni Czermck* (vel *Czerinck*) *Canonico Olomucen(si)*

canonicatus eius ecclesiae Wratislaviensis videtur conferri. Anni numerus periit, sed est saeculi XV.

8) In tegumenti postici parte interiore legitur epistula **Humberti de Romanis** ad Albertum Magnum anno 1260 data; inc.: *Carissimo in xpo fr(atr)i Alberto lecto(r)i Coloniensi fr(ater) humbert(us) ordinis p(rae)dicator(um) seruus invtilis Eterna(m) in celo salute(m)* eqs.; subscriptum: *Hanc Epistolam scripsit Venerabilis Humbertus Sacre theo(logi)e p(ro)fessor quondam gene(r)alis magister ordinis fratru(m) predicator(um) Egregio Magistro Alberto fr(atr)i eiusd(em) ordinis Similit(er)q(ue) eiusd(em) facultat(is) p(ro)fesso(r)i Reuocando ip(su)m a fastu Ratispone(n)sis Episcopat(us) ad hu(m)ilitate(m) ordinis sui sectandi* [vel *-d(am)*?]. cf. Wetzer und Welte's Kirchenlexikon² I 415, VI 416.

Sequitur adnotatio lectu difficillima, ab alia manu scripta, cuius haec certo legi: *Anno d(omi)ni MCCCCLXV^to ulti(m)a dies februa(r)ij.*

[Z.]

## B 1708.

Codex membranaceus formae quadratae maioris (0,195×0,265 m) foliorum 138 (14 quinionum, quorum septimo folium exsectum [inter f. 64 et 65], ultimi folium ultimum tegumento adglutinatum est), versuum 18, scriptus in Italia exeunte saec. XIV. vel ineunte XV. satis nitide. Paginae f. 1^r, 59^r, 93^v ornamentis varie coloratis insigniter pictae, litterae initiales rubro vel caeruleo colore. Tegumento arma impressa sunt familiae Rybisch hac inscriptione instructa: *Rybischorum familiae nobilitatis ornamentum.* In parte interiore tegumenti scriptum: *Andreas Steynkeller.* Codici praefixum folium membranaceum, in quo arma picta sunt tauri protomen continentia, Danielis scilicet Bucretii; supra arma legitur *Vinco ferendo,* infra: *Davidis Alberti, Viri integerrimi, civis reipub. Vratisl. primarii, Restauratoris huius bibliothecae liberalissimi, Pietatem imitari, Nominis vero memoriam ab oblivione vindicare Hoc munusculo voluit Daniel Bucretius philosophiae et medicinae D. et huius reipub. physicus ordinarius.* Insunt

### Ciceronis de officiis libri tres.

f. 1^r *Marci. Tullij Ciceronis Arpinatis Consulisq(ue) Roma(n)i Ac oratorum maximi ad Marcu(m) Tulliu(m) Ciceronem. filiu(m) suu(m) officioru(m) liber primus, praefa(ti)o Quamquam te marce fili* eqs.

f. 59^r incipit liber II., f. 93^v liber III.

f. 138^v explicit sine subscriptione. [Z.]

## B 1797.

Codex chartaceus formae quadratae (0,165×0,215 m) foliorum 230, scriptus annis 1604—1611 a **Davide Rhenisch,** qui tamen in hoc codice nomen non dedit. Insunt:

**Annotationes in Ciceronis Epistularum ad familiares** libros IX—XVI.

f. 1r *Annotationes in IX. lib. Epistol. ad Famil. M. Tullij. Ciceronis. a. d. 3. Novemb. 1604.*

f. 55r incipiunt annotationes in librum X., f. 77v in XI. et in margine scriptum *1607,* f. 94r in XII. *1. Augusti 1607,* f. 123r *Finis Epistol. lib. XII. ad Famil. a. d. 23. April. anni 1608.* f. 124r incipit lib. XIII. *a. d. 7. Maij 1608.* f. 177r lib. XIV., f. 196r lib. XV. *21. Julij 1610,* f. 225r explicit lib. XV. *15. Junij, 1611.* f. 226r incipit lib. XVI., f. 228v *Finis, anno 1[6]11. a. d. 27. Julij.*

f. 229—230 vacua. [Z.]

## B 1798.

Codex chartaceus formae quadratae (0,17×0,215 m) foliorum conscriptorum 302, e pluribus fasciculis consutus, annis 1591—1601 a **Davide Rhenisch** scriptus. Scriptura annorum 1591 et 1592 satis diligens, posterior tam neglegens est, ut eiusdem librarii esse eam primo obtutu vix credas. Insunt **varia collectanea et adnotata.**

1) f. 1—71 *I. N. D. In C. Horatii Flacci de arte poetica librum,* ὑπομνήματα *a Ioachimo Danckio Medicinae Licent. & poetices p(ro)fessore. A(nn)o 91 die 19 M. Augusti.*

2) f. 73—86 *In Grammatica(m) latinam . . . 1598. 29. X.*

3) f. 87—97 *In prosodia(m) praecepta . . . 19. Ian. 1601.*

4) f. 98—101 *De pedibus.*

5) f. 102—181 *In Aeneida Virgilianam.* Subscr.: *Finis libri primi. Absoluit feliciter 15. Septembr. A(nn)o. 1592.*

6) f. 182—191 *In Virgilium: Aeneidos lib. 4.* Adscriptum rubro: *Vratisl. D. R. V. Vice Dn. Pridmani, tum decumbentis ad mortem, anno 1598. in 1. ordine.* cf. ad 10.

7) f. 192—219 Commentarius in Vergilii Georgica; initium deest.

8) f. 220—250 *Annotata In C. Horatij Flaccj Ep(istu)lar(um) librum secundum, tradita a D. L. Ioachimo Tanckio poetices p(ro)-fessor(e) publico, in celebri Academia Lipsica A(nn)o 92. 21. Februarij.* f. 250[r] subscr.: *Absoluit 20. Maij.*

9) f. 251—267 *In Ep(istu)lam Fl. Horatij ad Iulium Flor(um) commentaria. a p(rae)stantiss(im)o & doctiss(im)o uiro D. Ioachimo Tanckio . . . tradita A(nn)o 92. die 30. mensis Martij.* f. 267[v] subscr.: *Absoluit hanc lecturam 14. April: A(nn)o. 92.*

**10)** f. 268—277 Commentarii in Terentii Heautontimorumenon fragmentum. Initio idem rubro adscriptum quod ad 6).

**11)** f. 278—290 *I. N. D. Dialogus de senectute siue Cato maior. Quem ad enarrandum explicandumq(ue) suscepit D. Matth: Dreßerus Medicinae D. in celeberrima Lipsensi Academia. die XVI M. Augusti A(nn)o 91.*

**12)** f. 291—292 *In primum librum Rhetorices Artis.*

**13)** f. 293—302 varia de lingua alphabetoque Hebraeorum, Armeniorum, Chaldaeorum, Arabum, Aethiopum, Syrorum.

[Z.]

## B 1799.

Codex chartaceus formae quadratae (0,175×0,212 m) foliorum conscriptorum 401, e duabus partibus compositus, annis 1598—1604 a **Davide Rhenisch** scriptus. Insunt:

**1)** f. 1—130 **Adnotationes ad Horatii carminum librum I.**

f. 1[r] *Annotationes in I. Librum Carminum Horatii, P. P; in Schola ad D. Mar. Magd., Superioris Ordinis Scholasticis. Coeptum opus a. d. 19. Aprilis, 1602.*

f. 130[r] *Finis I. Lib. Carminum Horatii. Absolui a. d. 14. Novemb. anni 1603.*

2) f. 131—401 **Adnotationes in Ciceronis epistularum ad familiares libros** II.—VII. et IX.

f. 131[r] *In epistolarum M. Tullii Ciceronis, quae Familiares appellantur, Libros aliquot, nempe II. III. IV. V. VI. VII. Expositiones scholasticae, P. P., in Schola ad D. Mar. Magd. per annos VI. cum II. mens. Wratisl. a D. R. W. eius Scholae Conrectore.*

f. 132$^r$ *15. Augusti 1598.* f. 195$^v$ incipit liber III., f. 237$^r$ liber IV. *1600. 31. Maij Preslae.,* f. 273$^r$ liber V., f. 315$^r$ liber VI. *3. Iulij anno 1602.,* f. 346$^r$ liber VII., f. 395$^r$ liber IX. *a. d. Octobris 1604.*

f. 401$^r$ subscr. *Wratisl. e dictatis N. Steinperg. transscripsi haec, M. Novemb. anno D(omi)ni 1604.* cf. cod. B 1797. [Z.]

## B 1800.

Codex chartaceus formae quadratae (0,165×0,21 m) foliorum conscriptorum 264, a **Davide Rhenisch** annis 1606—1611 scriptus. Insunt:

### Adnotationes ad Horatium.

**1)** f. 1$^v$—59$^r$ in librum II. carminum; f. 1$^v$ *Coeptae a. d. 16 Ian. 1606.* f. 59$^r$ *13. Sept. 1607 finit.*

f. 59$^v$—60$^r$ inserta *Ad Spiritum Sanctum, ode sapphica,* ex 5 constans strophis; initio adscr. *M. Melch. Titus* (?), subscr. *28. Novemb. 1607.*

**2)** f. 61$^r$—87$^r$ in epistulam I, 1; f. 61$^r$ *5. Octob. 1607.*

**3)** f. 88$^v$—186$^v$ in librum III. carminum; f. 88$^v$ *Coeptum, a. d. 11. April. 1608.*

**4)** f. 187$^r$—205$^r$ in epistulam II, 2; f. 205$^r$ *Finij, a. d. 7. Maij, 1610.* Textus plerumque consentit cum eo, qui est in cod. B 1798, n. 9.

**5)** f. 206$^v$—250$^v$ in librum IV. carminum; f. 206$^v$ *a. d. 21. Maij, 1610.* f. 250$^v$ *1611. a. d. 13. Maij.*

**6)** f. 251$^r$—256$^v$ in carmen saeculare.

**7)** f. 257$^r$—264$^v$ in epodos I et II; f. 264$^v$ *Hic Interrupta fuit lectio Horatij mea, propter meum, e schola discessum. a. d. 29. Iulij, anno 1611.* [Z.]

## B 1801.

Codex chartaceus 0,17×0,22 m foliorum 122. Insunt:

***In Eclogas Vergilij Annotationes*** *pro scholasticis II. ordinis in schola Elisabethica Anno 1569. 1570. 1571. 1572.* [Z.]

## B 1818.

Codex chartaceus formae quadratae (0,165×0,205 m) foliorum conscriptorum 127, saec. XVII. scriptus. Insunt:

1) f. $1^v$—$114^r$ **Grammatica linguae Hebraicae.**
f. $2^r$ in margine adscriptum: *Anno 1628 d. 23. Octob.*

2) f. $115^r$—$127^v$ ***Syntaxis elegantiarum,*** *tradita a D.* ***M. Michaele Coelio,*** *die 10. Iunij.* [Z.]

## B 1828.

Codex chartaceus formae quadratae (0,17×0,22 m) foliorum conscriptorum 251, annis 1604—1610 scriptus a **Davide Rhenisch.** Insunt:

1) f. $1^v$—$93^r$ **Compendium rhetoricum** in usum scholae compositum; f. $93^r$ *Finis. Absolui, a. d. 24. Martij, anno 1610. in vigilia F. Annunciationis Mariae.*

2) f. $94^r$—$120^v$ ***Materia Orationis Solutae,*** *in I. ordine maioribus, Scholae Mar. Magdal. P. P. Wratisl. ad annum Christi 1604.*

3) f. $121^r$—$132^r$ ***Materia Carminum*** *Scholasticis I. Ordinis, in Schola ad D. Mar. Magdal., P. P. ad annum Christi M. D. CIIII.*

4) f. $132^v$—$136^r$ **Carmina tria Rhenischii.**

a) f. $132^v$ *In nomen et diem Nicolai Mnemosynon . . . D. R. W., a. d. 6. Xbris, anno 1604.*

b) f. $133^r$ Ode Sapphica, in nuptias *Iohannis Schwab a Buchen in Vncrusten, Senat. in Repub. Wratisl. primarij* et *Marthae Wunderlichin, Viri celebris ac praestantis, Dn. Sigismundi Kernstocks . . . relictae viduae . . . a. d. 24. Januar.* composita. Subscr. f. $135^r$ *aut. David. Rhenisch. Wratisl. V. div. ministro, ad aedem S. Barb., et Scholae ad D. Magdal. primar. Coll.*

c) f. $135^v$ Δεκάστιχον, *annum simul et mensis diem sacri nuptialis ac gaudij, continens,* quod typis expressum non esse auctor in subscriptione queritur.

5) f. $137^r$—$158^v$ ***Materiae argumentorum,*** *Scholast. in II. Ordine Scholae Mar. Magdal. P. P. Wratisl. Anno . . . CIV sup(ra) sesquimillesimum 5. Januar. die.*

6) f. 158a$^v$—$159^r$ ***Elegiacum,*** *in Nuptias Dn. Iohan. Schwab . . . et Marthae Wunderlichin . . .* Subscr. *nomine Dn. Andreae Camerarij . . . a. d. 21. Ian. anni 1605.*

7) f. 160$^{v}$—219$^{r}$ ***In Q. Horatii Flacci de Arte poetica Librum Notae.*** *in ord. I. Schol. ad D. Mar. Magd. Coeptum a. d. 16. Iul. anno 1604. Vratisl.* Subscr.: *Absol. a. d. 23. Septemb. 1605.*

8) f. 220$^{r}$—249$^{v}$ **Adnotationes in Ciceronis pro Archia orationem.** *1606 a. d. 13. Decemb.* Subscr. f. 249$^{r}$: *Absolvi explic(ati)o(n)em huius orationis, a.* [?] *d. Aprilis, anno 1607.*

9) f. 250$^{v}$—251$^{r}$ **Gratulatio,** Domino Henrico ab Haugwitz die natali oblata, mense Iulio 1606. Subscr.: *Fridr. Bauman Raul.*

[Z.]

## B 1957.

Codex membranaceus formae minoris (0,11×0,165 m) foliorum 527 per duodeniones plerumque digestorum, binis columnis exeunte saec. XIV. vel ineunte XV. nitide scriptus. Praefixa 6 folia membranacea a—f. f. a vacuum; in f. b$^{r}$ turris delineata, ex qua pendet tabula cum inscriptione *Biblia sacra.* f. b$^{v}$ scriptum: *Iohann. 5. cap. Scrutamini scripturas . . . perhibent de me etc. 1621.* (Ioh. 5, 39); infra in circulo picta mensa, in qua videntur biblia aperta et lumen candens modio in pavimento iacente; circumscriptum: *Iam lucet omnibus modio remoto.* f. c$^{r}$ picta *insignia famil. Saxonum,* capricornus stans in monte; supra scriptum *post nubila Phoeb(us),* infra *Ducke dich, laß furüber gahn, Daß Vnglück will sein willen hahn.* f. c$^{v}$—d$^{v}$ vacua. f. e$^{r}$ talia scripta: *B. I. B. L. I. A. Animae Pharmaca: Sanctissima Bibliotheca: lecta placent Xies repetita placebunt* eqs. f. e$^{v}$ crux picta additis undique sententiis excerptisve e sacris scripturis petitis. f. f$^{r}$ columba picta super orbem terrarum, quem anguis circumserpit; infra scriptum: *Sapient. 9 Deus Patrum meorum . . . in sua potentia* (Sap. 9, 1—11). f. f$^{v}$ picta *scala coeli* triplex, sinistra prophetica a purificatione ad perfectionem, media theosophica ab obiecto ad similitudinem, dextra apostolica a verbo ad beatitudinem. Insunt:

**Biblia sacra**

secundum Hieronymum. Subiunctae (f. 488) interpretationes Hebraicorum nominum et (f. 525) ordinatio epistularum dominicalium.

f. 524$^{v}$ manus recentior scripsit *Iohn brygge,* deinde *Amor venseth o(mn)ia Et nos cedamus amori.* Infra manus vetustior: *ista biblia constat,* cetera erasa. [Z.]

# Appendix

scripta aliquot continens quae in codicibus Rehdigeranis servata aut nondum edita sunt aut ita ut pro ineditis haberi possint.

## I. Andronici Bryennii oratio ad Nicolaum V. papam[1].

(e cod. R 36, f. 51r—54v.)

Vellem tantum mihi esset flumen ingenii tantaque dicendi copia, beatissime pater, ut apud sanctitatem tuam hodierno die maiestatis imperatoriae animum benivolentiamque cum erga universalem ecclesiam tum erga sanctitatem tuam eius principem possem aperire. Quae profecto tanta est, ut nulla ei non divina possit eloquentia exaequari. Et ut Alexander[2]) a nemine se fingi commodius quam a Lysippo aut pingi expressius putavit quam ab Apelle, sic serenissimi huius principis in sanctitatem tuam voluntas cura studium reverentia non nisi aut Demosthenica aut Ciceronis effingi[3]) posset oratione. Itaque cum videret studio in ecclesiam suo beatitudinemque tuam omnium facile[4]) superari eloquentiam, quoniam non tam eloquentiores quam fideliores mittendi erant, nos potissimum elegit, quos mitteret, qui si minus graviter minusque ornate quam pro huius loci dignitate oporteret, coram sanctitate tua verba fecerimus, excusabit imperitiae nostrae culpas praecipientis auctoritas. Non enim parum me terret splendor ipse sanctitatis tuae, beatissime pater: sic enim vidi faciem tuam quasi viderem faciem[5]) dei: eius namque locum tenes, eius vices geris in terris[6]), cuius etiam figura apparentis flamma ignis et iustus ille Moyses[7]) faciem suam abscondit. Summa tamen erga omnes clementia tuae sanctitatis confisus, fideliter quidem ut iussit utque voluit imperatoria maiestas atque vult, oratione vero longe a gravitate rerum remota [f. 51v] humili atque abiecta omnia exponam, conaborque ante oculos ponere quae audivimus, quae vidimus, quae scimus. Verum quoniam duo nobis videntur maxime imperatorium animum in sanctitatem tuam declarare, quantum scilicet adversitate ipsius doluerit, et quantum nunc fugata tempestate gaudeat, haecque duo et praestitis pro sanctitate tua suis laboribus et promissionibus in futurum certis firmantur, de his postremis dicendum est nobis breviter. Primum igitur, si, ut sapiens ille ait, amicus certus in re incerta cernitur[8]), non latet beatitudinem tuam, quanta ex Italia ille Basileam usque advolaverit velocitate[9]), quo cursu transvectus sit Alpes, cum fatigati labore omnes paene sui sub-

---

[1]) *Hic titulus, qui deest in ipso codice, legitur in tegumento codicis et concluditur ex initio responsi a Nicolao V. imperatori Constantino dati, cf. p. 4.* — [2]) alexander se, se *del. man. alt.* — [3]) effungi, *corr. m. 2.* — [4]) facille cod. — [5]) faciem *in* vultum *corr. m. 2 et adscr. in marg.* Gen. 23. — [6]) d' elec. signifi . . . *in marg.* — [7]) exodi 3 *m. 2 marg.* — [8]) Plautus *m. 2 mg.* — [9]) uelociter *cod.*, r *del. m. 2.*

sedissent, notum est omnibus; neque enim clam esse potuit tanti principis inaudita velocitas atque volatus, ut si nunc etiam liceret quemadmodum prisci viri solebant res magnas fictis fabulis maiores ostendere, non dubitaremus aut alatum[1]) confingere Daedalum aut, quod propius est, nubigenas quondam centauros, qui sua celeritate cuncta facile superarent. Basileae vero cum esset ibique tuae sanctitatis multo magis quam aliarum rerum gratia moram traheret, quis ignorat, quanta diligentia, quanta cura, quanta vigilantia pro dignitate beatitudinis tuae excubuerit? Dolebat enim vehementer, cum nonnullorum animis abalienatis a sanctitate tua omnia perturbari videret, quos vi arcere et sibi turpe [f. 52r] et ecclesiae periculosum putabat. Nam et malo id exemplo futurum existimabat, et maiores inde seditiones tempestatesque asperiores prorupturas non dubitabat. Qua difficultate rerum districtus prudentissimo usus consilio dissidentes[2]) a patre filios, alios monendo alios corripiendo, hos hortando illos terrendo, nonnullos etiam orando, tandem auctoritate, cura, labore perfecit, ut a parente cogitati dissidii filios paeniteret. Itaque ut Themistoclem per noctem vagari solitum ferunt, quoniam trophaea Miltiadis[3]) eum dormire non sinerent, sic imperatoris animus ad hunc usque diem sollicitudine[4]), quam ex rebus sanctitatis tuae capere solet, quiescere non potest. Quotiens ille prae dolore vel lacrimas effudit, cum audiret ecclesiae id est tuae sanctitatis et suos hostes — neque enim sui esse non possunt, qui tuam sanctitatem oppugnant — ecclesiae civitates invadere. Quotiens optavit: o utinam commutari posset fortuna, ut ego in illis laboribus essem, et sua sanctitas nihil angoris, nihil sollicitudinis haberet! Etenim est vere amantis animi proprium, ut se potius periculis quam quem amat quemque pie observat obici velit. Quotiens desideravit, tecum obsideri et oppugnari potius quam longe abesse ac solo animo tuos sentire labores. Sensit hac ex re verum esse quod saepe legerat atque audiverat: amicos veros non parum delectari cum incommoditatis amicorum participes sint. Itaque ut [f. 52v] haec omnia[5]) adversus sanctitatem tuam accidisse nollet, sic quoniam animo solum, non re quoque particeps fuerat, non mediocriter dolet. Erat praeterea maiestati suae molestissimum, quod longe ita abesset ut nullo pacto pro brevitate temporis tantis adversitatibus succurrere posset, adeo ut saepius ab eo audiverimus: quid nos reges illustres imperatoresque esse iuvat, si laborantibus afferre opem parentibus non possimus? Verum quod in his rebus et maiestas imperatoris et ceteri omnes quibuscum sermonem habuimus nosque ipsi vehementer et admiramur et laudamus, fortitudo atque constantia tuae sanctitatis est. Quis enim vir non admirabitur, aut quis oratione tantam magnitudinem animi non extollet! Clamant omnes ore uno, beatissime pater, hostibus undique circumdatam sanctitatem tuam non solum non extimuisse, verum etiam nullo modo commotam fuisse, sed „dominus mihi adiutor est, non timebo, quid

---

[1]) allatum *cod.* — [2]) disidentes *cod.* — [3]) trophea milciadis *cod.* — [4]) solicitudinem *cod., sed* m *del.* — [5]) omnia *add. m. 1 mg. pro* oportet, *quod in textu del.*

faciat homo[1]), semperque fiat[2]) voluntas domini" constanter solitam dicere. Fixeras enim omnem spem tuam in domino deo tuo, ideoque et affuit in tribulatione tecum dominus, et ait: ecce ego, quia vocasti me, eripiam te et requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis, puniam omnes qui gratulantur in tua ruina, quoniam iudicabo causam tuam[3]) et ulciscar ultionem tuam. Elegi enim te, ait dominus, sacerdotem [f. 53r] mihi sine macula; Unxit te super hereditatem suam[4]), ut liberes populum eius de manibus inimicorum eius. Quae res omnibus profecto laudibus in caelum efferenda est, cum praesertim huiuscemodi fidentia in hominis animo nasci non soleat, nisi ceteris omnibus virtutibus innitatur. Nam nisi prudentia humanas res cunctas caducas fragilesque esse cognoveris, nisi modestia nihil mortalium concupiscere discas, nisi iustitia alienas has res a nobis et de mamona iniquitatis ducas, ac idcirco turpissimum illecebris suis vinci existimas, nisi praeterea fide omnes spes non in terrenis, sed in caelis collocaveris, nisi denique caritate omnes motus perturbationesque animi domentur, vel ut apertius dicam, eradicentur funditus, ad eam excellentiam animi roburque invictum ascendere non poteris, ut et illam ex animo vocem emittas, et invictus in eadem consistas fidentia. Quae quidem res, ut stuporem intulit imperatori, sic dolorem auxit: Tanto enim magis dolore vexari solemus, quanto singulariori[5]) virtute praeditos constantes fortes laboresque omnes nequaquam timentes iniuria exagitari videmus[6]). Verum cum in huiuscemodi propter sanctitatem tuam squalore et luctu imperialis maiestas versaretur, bonus dominus confortans in tribulatione multiplicavit magnificentiam suam et conversus consolatus est eum. Eripuit enim te de [f. 53v] contradictionibus durissimi populi, confusi sunt et defecerunt[7]) detrahentes animae tuae, operientur confusione et pudore qui quaerebant mala tibi. Quibus ex rebus percipere potest beatitudo tua, non minore nunc maiestatem imperatoris, quoniam in florentissimam hanc civitatem deducta est tua sanctitas, gestire gaudio, quam cum iactati procellis undique nautae repente tranquillitatem maris aspiciunt. Respiravit itaque ac omnia prospere[8]) sperat futura sanctitati tuae, in dominum confisus orationibus, cui ne deesse videatur, non statuit terendum[9]) esse tempus, sed continuo nos ad eam misit, non ad congratulandum solum, quia iam ex insidiis evasisse videatur, verum etiam multo magis ad offerendum se sanctitati tuae, providendum deliberandumque quid in his rebus tam angustis ecclesiae pro debito ecclesiae sanctitatique[10]) tuae imperiali suo[11]) officio fieri placeat. Eius enim est, quoniam ornasti eum[12]) sanctitatem tuam universamque Christi ecclesiam tueri atque defendere: nam multa undique videt imminere incommoda nec omnino transactam tempestatem arbitratur, magisque de

---

[1]) m homo *cod.*, m *del.* — [2]) fuit *cod.* — [3]) tuam *add. m. 2 supra lin.* — [4]) tuam, *sed corr. cod.* — [5]) singulari, *corr. m. 2.* — [6]) solemus, *corr. m. 2.* — [7]) deficientes, *corr. m. 2.* — [8]) prospere *add. m. 2 mg.* — [9]) terrendum *cod.* — [10]) sanctitatisque *cod., sed corr.* — [11]) officio suo *cod., transposuit m. 2.* — [12]) eum *add. m. 2 mg.*

futuris timet quam de praeteritis erat sollicitus. Quid sive perspicacia ingenii, quod divinum possidet, a rebus ipsis cogitat, sive in sanctitatem tuam pietate maxima omnia pertimescat: hominis[1]) enim est, quanto magis amat, tanto timere magis, ne quid amato accidat: ita difficile dictu [f. 54r] mihi videtur, ut utrumque potius asserere non dubitem. Cum ergo sentiat[2]) quod et praedicat ad summam dignitatem, post divinam gratiam opera munere gratiaque sanctitatis tuae[3]) pervenisse, gloria enim et honore coronasti eum, posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso, imperatorium gladium tradidisti ei, ut pro unione, pro pace ecclesiae, pro felicitate Christianorum, pro universae rei publicae Christianae perpetua[4]) aeternaque laetitia, tuo iudicio cuncta disponat. Cum ergo ad[5]) haec, inquam, pervenisse se[6]) sentiat, statuit gratos agricolas imitari, qui primitias suorum fructuum ei offerunt deo, a quo acceperunt semina. Itaque quoniam is est in sanctitatem tuam suus animus, ea voluntas atque intentio, ut, quicquid potest, ei potius quam sibi ipsi posse velit, nil agere decrevit, quod non statutum ordinatumque a sanctitate tua esset. Statue igitur atque ordina, quid a maiestate sua fieri possit, et fiet; impera, et obtemperabit, utere regno imperio sociis copiis ceterisque rebus suis omnibus, tamquam tuis; neque sua esse mavult, quam tua, neque ea solum tuae sanctitati offert, verum etiam se ipsum, quo sibi nihil carius tradit: etenim omnia secunda prosperaque optat tam sanctitati tuae quam imperio suo divinitus concedi. Quodsi secunda in mixtura cum adversis rerum dispositio est, quod plerumque facit, ut Pylades[7]) [f. 54v] dicitur Orestem se regi Thoanti professum, ut eo mendacio pro amico ipse necaretur, Orestes mirabili amici beneficio et regis ignoratione protectus viveret: sic imperatoris maiestas, siquid sanctitati tuae adversi imminet, ad se solum totum id transferri peroptat. Quas ob res etiam atque etiam hortatur et orat, ut tempus praeoccupes, nolis expectare incommoda, sed ventura prohibeas. Numquam enim sui sceleris conscios quieturos hostes arbitratur; nam ut luporum atque canum rabies semel pecudum imbuta sanguine semper postea in maius fertur, sic tyrannorum imperandi cupiditas, si pudorem exuerit[8]), revocari amplius nisi ferro non potest. Atqui ut est apud Ciceronem, ut Cato maior nisi excisa Carthagine urbem Romam numquam tranquillo imperio fungi posse arbitrabatur, sic maiestatis imperatoriae iudicio, quousque sanctitatis tuae adversi et vivant et possint, numquam tuto in portu quiescet ecclesia. Quare cum longe absit, nec tam cito aut scire, quid hic fiat, aut subvenire possit, quam cito quid velis quomodoque fieri, ne quicquam interim perturbetur, significandum est. quicquid autem imperaveris, significaveris, annueris, sine mora cum omnibus suis complectetur, hocque caput sit quod iussit, maiestatem suam nihil magis cupere, quam morem in omnibus tuae gerere sanctitati. Dixi. **[W.]**

---

1) omnis *cod., corr. m. 2.* — 2) sanctiat *cod., corr. m. 2.* — 3) sanctitatem tuam *cod., corr. m. 2.* — 4) pro perpetua *cod.,* pro *del. m. 2.* — 5) inquam ad *cod.,* inquam *del.* — 6) se *add. m. 2* — 7) pillades *cod.* — 8) exuperit *cod.*

## II. Carmen elegiacum in honorem Mariae virginis.

(e cod. R 37, f. 87r—88r.)

Virgo decus nostrum, cuius se condidit alvo
Divum ille aeternus rex hominumque pater,
Cuius ab humano sanctissimus ille deorum
Atque incorrupto sanguine natus homo,
Salve virgo, salus hominum, salve optima, nostrae
Quae fidei et nostrae curam salutis habes.
Salve virgo, humiles tibi dicimus ore,
Tu pie charitas sume Maria preces.
Salve virgo, tuis flentes advolvimur aris,
Te dignam nostris fletibus esse sinas.
Salve, quae fessis requiem mortalibus affers,
Quo portus populo levis et aura tuo es.
Salve, quae miseros relevas, quae pascis egentes,
Quae sancto lapsos erigis auxilio.
Quae regis errantes, quae das solacia maestis,
Quae perturbatos concilias animos.
Salve virgo parens, animarum sedula custos,
Quae nusquam frustra quando vocaris abes.
Tu spes certa boni, nostrae tu semita vitae,
Tu vitae et fidei firma columna sacrae,
Tu fons, unde fluit quaecumque est gratia nobis,
f. 87v] Tu dux, qua numquam te duce fallit iter.
Virgo, in te conversi omnes speramus opemque
Poscimus. Alma tuum respice virgo genus,
Respice virgo gregem: mitis tutare tuisque
Consule supplicibus, consule, virgo, tuis.
Virgo, precare tuum, virgo mitissima, gnatum,
Funde preces gnato, funde, Maria, tuo.
Quem sola aethereis deducere sedibus ad te
Traxeris ad miseri vincula servitii,
Quem de patre deo genitum te matre fatemur,
Non poterit precibus flectier ille tuis?
Ille tibi arbitrium ius imperiumque deorum
Aeterna in divos sceptra tibi ille dedit,
Ille tibi caelos parere et sidera iussit,
Angelicos posuit sub tua iura choros,
Tu regina hominum facta es regina deumque,
Te celebrant divi, te celebrant homines.
Ipsa iter ad superos reserasti ad caelica regna,
Caelica nec quicquam regna adeunda prius.
Ipsa Erebi taetro servasti e carcere et ipsa
Tutata auxilio es nos pia uirgo [maria] tuo.
f. 88r] Ergo quando tibi tanta est permissa potestas,
Quando et pro nostra nata salute venis,
Suscipe, virgo, tuis et nos defende sub alis
Nos fragile humanum protege, virgo, genus.

---

8 pia? summe *cod.* 9 oris *cod.* 13 releues *cod.* 16 perturbantes *cod.* 20 uita *cod.* 25 tuumque *cod.* 28 fonde *bis cod.* 30 traseris *cod.* 34 ille] uile *cod.* 35 parem *cod.* 41 erebri *cod.* 42 tuta *cod.*

Inficimur tanta peccati labe, tot extant
Tam longa in natum crimina nostra tuum,
Ut quis eum sine ⟨te⟩ speret lenire precando,
Quis sine te veniam ⟨speret⟩ opemque suam[que]?
Salve, ⟨et⟩ quas dedimus, virgo, tibi vota precesque,
Virgo, intercessor nostra, fer ante deum.
Laus Deo. [W.]

52 deum] sensum *cod.*

## III. Carmen elegiacum.

(e cod. R 51, f. 117$^{v}$.)

**Versus amabilij auctoris manu scripti.**

Qui periturus erat subito, dux magne, sacerdos,
Invidia sospes dicitur esse mea.
Sed tibi me, per quem non defuit illud habere
Quod petii, extremum debeo ad usque diem.
Quumque licebit, agam memori tibi pectore grates
Atque tuo magnus crescet honore liber.
Ut tamen hoc possim melius praestare, parentis
Aequasti Galeaz qui monumenta puer,
Alterius reditus mihi sed concede sepulti
Atque resurgentem poscere posse veta:
Nam vereor, ne quum pervenisse audiet ad me
A Stygio redeat protinus umbra loco.

Sis alias medicus, nunc vates esto; sacerdos
Carior alterius cur tibi Phoebe tuo?
Nonne vides — namque es venturi praescius — esse,
Si valet iste, sequi sacra necesse nova
Cumque ara sterili te linquere? Nec tamen ullus
Deditus est uno me tibi Phoebe magis.
Cultores retine, qui pauci iam sumus, istos,
Illum autem ante Iovem si petet astra iuva.
Sic ego. „Vota" deus „frustantur te tua" dixit
„Conveniat pariter numen utrumque mihi."
Dixit et est morbus sanatus letifer. Arte
Iamque alia cogor vivere. Phoebe, vale! [W.]

## IV. Varia theologica.

(e cod. R. 52, f. 54$^{v}$.)

**1)** *hymnus in natalem Christi diem compositus, cuius priores versus, qui in margine sinistro summae paginae scripti sunt, legere non potui; quae distinxi, haec sunt:*

... quem totus orbis non baiolat · portant puellae viscera · R[a]dix iesse iam floruit · et virga fructus edidit · fecunda pa ... (*desunt duo*

*versus et dimidius*) qui lucis auctor extitit · cum patre caelos condidit · sub matre pannos induit · legem dedit qui saeculo · . . . (*desunt duo versus*).

factus est homo · sub legis esse vinculo. · Adam vetus quod polluit · Adam novus hoc abluit · tumens quod ille deicit · humillim[us hic erigit] · (*desunt duo versus*). nox et victa mors · venite gentes credite · deum Maria genuit · Deo patri sit gloria.

2) de sancto Michahele . . . (*desunt duo versus*) . . . in conspectu angelorum · votis voce psallimus · alternantes concrepando · melos damus vocibus · conlaudamus venerantes . . . (*desunt duo versus*) . . . caelestis exercitus · Michahelem in virtute conterentem zabulum · quo custode procul pellens rex Christe piissime omne . . . (*desunt duo versus*) . . . paradyso redde tuo nos sancta (*?*) claementia. · gloriam patri melodis personemus vocibus · gloriam christo canamus . gloriam parady . . . *desunt reliqua.*

3) *in ima pagina* $54^v$ *extat versus memorialis (saec. XIV. scriptus):*

Ver parit omne bonum, fovet aestas, ponit in vino
autompnus sapiens, omnia vastat hyems.

4) Rithmus musicus de virtutibus et meritis ac passione beati Pauli apostoli.

Sancte Paule pastor bone vas electum domini praedicator gentium egregie · quem Damasco propinquantem · lux divina si . . . ad te Jesus · Saule · Saule · quid me cedis · ego Jesus Nazarenus · omnium conditor · loquor tibi quem male persequeris *eqs. Ultimi versus sunt:* Sancte Paule praesul magne · nobis opem fer divinam · et perenne gaudium. In saecula.

*Cetera omitto.* [W.]

## V. Versus varii.

(e cod. R. 58, f. $80^r$—$81^v$.)

Versus in laudem Caesaris

Caesar tantus eras quantus et orbis
Et nunc in modico clauderis antro.
Post hec quisque sciat se ruiturum
Et quod nulla mori gloria tollat.
Florens imperii gloria quondam
Desolata suo Caesare maeret,
Hanc ultra speciem non habitura
Quam tecum moriens occuluisti (occulisti *cod.*).
Leges a senibus patribus actas,
Quas lassata diu raserat aetas,
Omnes ut fuerant ipse reformans
Romanis studuit reddere causis.

In longinqua satis regna locosque,
Quod nullus poterat, flectere Caesar
Romanos onerans viribus arcus
Ac civile decus excoluisti.
Quae te nunc doluit, Caesar, obisse
Vel quae te timuit patria vivum
Sed quae te timuit patria uivum
Et te nunc doluit, Caesar, obisse.

*Sequuntur disticha Martialis p. 19 indicata.*

f. 81v Versus deducentes quod totus mundus transit per culum symeae.

Devorat agricolam rex, regem tiro, sed illum
Usurarius edit, comedit quoque presbiter ipsum,
Presbiterum meretrix, meretricem leno remordet
Lenonem caupo, sed cauponem parasitus,
Illum senipedes symea senipedem edit.
In mundo quaeque sic per culum facit aeque
Symea transire. potes haec ex his reperire.

Accola canus herus, vigil venator amator
Ter tres nugigeri, medicus quaestor ioculator:
Vis tribus est primis, reliquos decet, est opus imis.

[W.]

## VI. Versus varii.

(e cod. R. 58, f. 129v—130v.)

| | | | |
|---|---|---|---|
| Heu iam presbite | | laqueo trahit | |
| Et capit armige | | si non fugit | |
| Cum populo cle | | stultum facit | |
| Et quandoque fe | | cor mitigat | |
| Non reveretur he | | sed destruit | |
| Cordibus in vete | | flammas facit | |
| O quam mortife | rum | vulnus gerit | ars mulierum |
| Et vitam paupe | | tibi porrigit | |
| Ad foveam scele | | stultos trahit | |
| Perditio re | | quod sit facit | |
| Consilium proce | | iam dissipat | |
| Philozophum ve | | freno trahit | |
| In mundo mise | | me posuit | |

f. 130r] Casibus his quinque dampnabitur omnis adulter:
Aut hic fit pauper aut debet carcere claudi
Aut membrum perdet uel morte mala morietur
Aut hunc mundana confundet pessima fama.

In overspul soe wie dat leeft
Vyf manieren van plagen heeft:
Arm van haef wart hi van buten
Of in den kerker moetmen sluyten

Syn lit dat moet hy duwyl deruen
Of quader doet soe moet hy steruen
Quaet geruch der werelt wyt
Sal hem beschamen tot alre tyt.

Ille vir est, vitiis quicumque viriliter obstat;
Ille vir est, quem non confundit ars mulierum.

*Quae in f. 130$^v$ leguntur, ad contentiones inter Hollandiae urbes et Burgundionum duces, imprimis Carolum Temerarium, sunt referenda.*

[W.]

## VII. Hesiodi opera et dies in Latinum conversa a Nicolao de Valle et Pio II. papae dedicata.

(e cod. R. 60, f. 27$^v$—47$^v$).

f. 27$^v$] Pio II. pontifici maximo Nicolaus de Valle.

Si vacat, Aenea rerum dignissime praesul,
Grataque sunt animo carmina nostro tuo,
Perlege, quae quondam dulci modulatus avena
In Latios ausus vertere Graeca modos.
Ascraei inspicies ἡμαίρας καὶ ἔργα poetae,
Graecia quo quondam floruit Hesiodo.
Haec fuerant, fateor, plectro meliore canenda,
Hic opus ingenii quippe senilis erat.
At quia nonnullos tam magna superbia vates
Elevat, ut nullo Graeca in honore putent:
Sum tamen hoc ausus, bis septem et quatuor annis
Dum mea labuntur lustra trahente dea,
Sumpsimus et tenues Graecorum e fontibus haustus,
Mixtaque cum Graeco lingua Latina fuit.
Quicquid id est, ad te, vatum clarissime vates,
Mittimus: es Clario non minor ipse deo.
Suscipe, et Hesiodum placido complectere vultu:
Hic quoque iudicio stetque cadatque tuo.
Vale.

28$^r$] Hesiodi poetae ἔργα καὶ ἡμέραι idest opera et dies, Georgicon liber, Nicolai de Valle e Graeco conversio.

Pierides Musae, quarum viget inclyta cantu
Fama ducum et vestri decus immortale parentis,
Dicite, cur hominum pars haec sine nomine vitam
Ducat et illius cur fama aeterna per altum

---

*Adnotabo — omissis orthographicis — lectionis discrepantiam et e codice Rehdigerano (cod.) et ex editione (ed.), quam in nostra bibliotheca inveni, cuius in fine legitur:* Liber georgicor(um) Hesiodi a Nicolao de Valle translatus finit feliciter. impressus Liptzik Per Jacobum Thāner herbipolēsem Anno a natali christiano .1.4.99. .16. calendas maias. *Quam ex editione principe, quam p. 23 laudavi, puto expressam esse.* 8 Hoc? 9 Et *cod.*

Evolet: haec Iovis est magni divina voluntas.
Ille etenim altitonans summi regnator Olympi
Excitat imbelles animos et fortia corda
Debilitat, duce quo fortuna inimica superbos
Deprimit atque humiles clarum super aethera tollit.
Tum mala mens hominis meliorem inclinat ad usum
Et cupiunt molles crudelia pectora cultus.
Exaudi, qui cuncta polo specularis ab alto,
Cui nihil ignotum est: sanctissima dirige iura
Iustitiae, liceatque mihi fraterna monere
Pectora et ignotos vivendi ostendere mores.

Sunt geminae in terris, quibus altercantur in unum,
28 v] Mortales causae, varia quae mente trahuntur.
Una quidem studium laudabile sedula curat,
Altera crudeli rerum depascitur haustu:
Bella cupit pugnaeque exercet iniqua tumultus,
Invisum atque atrox pestis genus. Hanc tamen ipsi
Mortales fugiunt, tandemque volentibus hanc dis
Exoptant, nequeuntque huius cohibere furores.
Illam autem prius obscurae genuere tenebrae,
Sed fato meliore: pater Saturnius illam
Et generi humano et terrae radicibus imis
Imposuit; segnes artus et inertia corda
Excitat. Alter enim, segnis cui vita manebat,
Alterius spectans cumulos, mora nulla, bovesque
Iungit et impresso terram divertit aratro.
Sive domum curat sive inserit alter ad artes,
Vicinum vicinus agit. Laudabilis haec est
Pugnandi ratio, fugienda sed altera, sub qua
Invidet aut figulus figulo vel egenus egeno
Sive faber fabro dulcisque poeta poetae.

Haec mea dicta, precor, toto cape pectore, Perse:
Nec te crebra foro speculantem iurgia vulgi
Avocet a studiis pugnandi inimica voluntas.
29 r] Nemo forum sequitur, quem non fovet annua messis
Et bene clausa domi Cereris gratissima dona.
Haec quaerenda prius, dehinc si vacat i, pete vulgus
Et fora, in alterius rebus certamina pone.
At non illud ages iterum, germane, quod olim
Ausus es, infelix: litem hanc data iura resolvent.
Scis, quondam inter nos patria est partita facultas.
At tu nil iusta multum plus parte vereris
Tecum efferre rapax; corruptus munere iudex
Ille tuo est, sub quo tota haec sententia pendet.
Ignarus: non novit enim, quam dulcius aut quam
Sit medium toto melius, seu vivere malva
Utilius quantum dulci seu vivere porro.

---

11 capiunt *cod.* 27 arctus *cod.* 34 figulis *cod.* 36 Nec *cod.* 42 fera *ed.*

Hos veterum victus occultavere superni
Inque polo retinent caelestes, tempore quorum
Sat fuit una dies tenui exercenda labore,
Una quiescenti tibi dehinc alimenta parabat
Annua; tunc poteras temonis robora fumo
Exploranda dare, et nulli iuga curva premebant
Terga boum, nullum hemiones sensere laborem.
Hos voluit faciles vivendi abscondere mores
Ira Iovis, cum se deceptum fraude Promethei
29v] Sensit et illius causa mortalibus auxit
Curarum moles subreptumque abdidit ignem.
Reddidit hunc iterum terris curvaque latentem
Subripuit ferula cauto puer ille Tonanti
Iapetionides, iacto qui fulmine gaudet.
Lusit fraude sua. Subitam tamen arsit in iram,
Haec pater effatus nubis collector aquosae:
„Iapetionide, cuius prudentia cunctos
Consilio excellit, magnum sprevisse Tonantem
Arte tua gaudesque dato mortalibus igne:
Heu nociture tibi, generi nociture futuro!
Tale mali genus excutiam, quo pectore toto
Exultent homines, cupidi sua damna ministrent."
Subrisit fatus divum pater atque hominum rex
Vulcanum aspiciens atque illi talia mandat:
„Vade, celer speciem e terra mixtoque liquore
Confice, mortalem cui vocem et robora iunge,
Sitque ea virgineae caelestis imago puellae,
Quam sibi quisque velit, dea quam doctissima Pallas
Instruat et varias percurrere pectine telas.
Adiciat capiti facilem Venus aurea formam,
Curet ut assidua stimulata cupidine corpus.
30r] Fallacemque addat mentem et fallacia verba
Interpres superum, victor Cyllenius Argi.
Dixerat; imperio Iovis annuit aequa voluntas
Coelicolum. Extemplo fingis, Vulcane, puellam
Virginis ora deae similem; quam glauca Minerva
Cinxit et ex omni fulgentem parte polivit.
Huic etiam Charites, etiam celeberrima Pitho
Aurea candenti posuere monilia collo,
Effusaeque comas Horae de flore coronam
Vernali tribuere deae; tamen Attica Pallas
Illam praecipuo formae decoravit honore,
Et superum interpres, victor Cyllenius Argi,
Fallacem attribuit mentem et fallacia verba.
Sic pater altitonans divino iusserat ore.
Quandoquidem dederat sua munera quisque deorum,
Mercurius merito Pandoram nomine dixit,
Exitiale malum mortalibus et fera pestis.
Postquam autem tantos confecit Iuppiter astus,
Mercurium ad magnum iubet ire Epimethea, dono

69 excellet *cod.* 81 venus *ed. et in mg. cod.*] Deus *in textu cod.* 91 Horae] horti *ed.*

Cui ferat hanc. Qui nil veritus praecepta Promethei
Cepit et accepto novit sua damna Epimetheus.
Nam prius humano generi secura manebant
30v] Tempora: nulla mali species aut cura laboris
Morborumque genus, tristem qui funeris atri
Corripuere viam, quibus omnis frangitur aetas;
Vivere dulce fuit. Quadam sed tegmen ab urna
Dum Pandora levat, totum exiliere per orbem
Curarum infestae effigies. Spes sola remansit
Intus et e labris ima sub parte resedit;
Obstitit impositum nam tegmen abire volenti.
Sic, qui fulmen agit nubis collector aquosae,
Iusserat. Innumeraeque etiam mortale vagantur
Per genus infandae species, quibus aequor et omnis
Terra infecta tumet, morbi noctesque diesque
Sponte sua sine voce ruunt; namque ab Iove summo
Ablata est illis quaecumque potentia fandi.
Sic impune parens offenditur ille deorum.
Si vacat, o frater, si non audire recuses,
Ordine plura cauam. Genus immortale creatum
Ac mortale simul credendum est. Aurea primum
Saecula di superi totum sparsere per orbem,
Tempore quo caeli imperium Saturnus habebat.
Tunc homines divum vivebant more, neque illos
Anxia curarum moles operumque labores
31r] Quassabant, aberat tristi cum mente senectus,
Semper et in valido regnabant corpore vires,
Nulla mali labes, convivia laeta placebant,
Mors similis somno fuit, atque uberrima tellus
Omnia liberius nullo cogente ferebat
In commune bonum, nec quisquam invidit habenti.
Quam felix aetas! Erat omnibus una voluntas,
Et taciti laetos solvebant pectora in usus.
Aurea postquam hominum paulatim defuit aetas,
His pater altitonans meritos adiunxit honores.
Sub terris habitare dedit; qui numina facti
Et genus humanum sanctae quoque iura tuentur
Iustitiae, tenebris circumfusique peragrant
Terrarum fines et opes mortalibus augent.
Proxima successit terris argentea proles,
Auro deterior sensuque et moribus impar.
Tunc sibi quisque suae fecere sub ubera matris
Otia mortales. Paulatim adolevit in annos
Ingenii rude principium, quo decolor aetas
In propriis etiam laribus rude pectus agebat.
Aucta tamen postquam ad summum pervenerat aetas,
Vivendi brevius spatium fuit, anxius ardor
31v] Curarum incumbens aderat, quas improba mentis
Gaudia fecerunt, alterna iniuria nunquam

---

108 Vincere *ed.* 113 ait *cod.* 125 nec *ed.* 127 Cassabant *ed.* Lassabant *cod.* 135 defluit *cod.*

Destitit, et nulla in superos reverentia, nullos
Sacrorum ritus aetas argentea vidit.
Hanc deus extinxit meritam flammatus in iram.
Postquam hominum occuluit argentea saecula tellus,
Non tamen illorum sine nomine vita recessit,
Sub terrisque dei sedes coluere secundas.

Tertia post illam successit aënea proles.
At nihil argento similis dryadumque creata
Sanguine, dura quidem robustaque pectora tendens,
Tota feri misero Martis fervebat amore.
Nulla quies illi, nullum ius, durior aetas
Ipso adamante fuit, vultu metuenda superbo.
Cui nunquam invictum robur fortesque lacerti
Defuerant humeris. Tunc aerea tela domusque,
Omnis in aere labor; non ferri emerserat usus.
Haec autem proprio proles consumpta furore
Ad gelidi loca nigra dei sine honore recessit,
Et quamquam extiterit invicto robore, ab atra
Morte tamen victa est solis lumenque reliquit.

Postquam autem occulta est atque aenea corruit aetas,
32 r] Quarta fuit soboles melior, cui plurima toto
Iustitiae haerebant animo praecepta verendae,
Divinum genus heroum primumque vocari
Semidei immensos illi potuere per orbes.
Hos insanus amor Martis bellique nefandi
Ardor Agenoridae septem prope moenia Cadmi
Oedipode imperii causa consumpsit, et alti
Hos maris undisoni fluctus cum Pergama classes
Argolicae peterent. Ubi pallida mortis imago
Desuper incubuit, dum iusto ulciscitur ense
Tyndaris. Hos etiam toto divisit ab orbe
Iuppiter et vitae meliorem tradidit usum
Elysiosque dedit colles habitare profundi
Litus ad Oceani. Felix et sancta propago!
Hic tibi vernat humus, ubi dulcia poma quotannis
Ter gremio effundit nutrix uberrima tellus.

O utinam non me quinta cum stirpe creassent
Fata, sed ante mori seu post licuisset oriri!
Ferrea nunc aetas, quam curae et mille labores
Nocte dieque premunt paulatimque illius instant
Exitio. Sic dis placitum. Sed prospera tanto
Fata etiam venient aliquando in turbine rerum.
32 v] Nec minus haec infanda hominum delebitur aetas,
Cum matura annis illorum tempora cani
Inficient crines, natis nec ut ante parentes
Nec patribus nati similes nec ab hospite tutus
Hospes erit, sanctum corrumpent foedus amici
Et furet arma ciens inter discordia fratres,
Vivet honoris inops hominum properata senectus,

---

162 superbi *cod. ed.* 167 dei] ditis *cod.* 170 atque] et *cod.* aerea? *cf.* 157 175 nefandus? 185 tibi] ubi *cod.* 186 effudit *cod.* 187 O utinam] Ostendunt *cod.* 196 ab *om. cod.*

Nec pudor effractos senio obiurgare parentes.
Infelix soboles! Legem et praecepta deorum
Nesciet; invalido non haec alimenta parenti
Iusta suo reddet. Quid enim quod iniqua rapaces
Appetet usque manus urbesque et moenia narrem
Alterna deleta manu? Iurataque fallent
Numina, Iustitiae nulli tribuentur honores.
Pulsa gemet Bonitas. Illum venerabitur orbis,
Cui mala mens suadet fera crimina, tota iacebit,
Tota quidem orbato tecum, Reverentia, vultu,
O dea Iustitiae! Soboles en improba laedet,
Si probus ullus erit. Quem contra insurget iniqua
Voce furens fictum affirmans, alitrixque malorum
Invidia incedet fatali turbida vultu.
Protinus humanas sedes Astraea relinquet,
Diva suos pariter tendet Reverentia cursus
Ad superos, nitido velatae corpus amictu.
Mille recedentes illae mortalibus aegris,
Non cessanda tamen, rerum mala semina linquent.
33 r] At nunc te moneam, quamquam sapis omnia, iudex:
His intende animum. Sed quid iuvat ista monere?
Stultus, maiori quicumque resistere tentat:
Vincitur et magno poenas subit indé pudore.
Sic ego sum tamquam volucris, quam prenderit astur
Prensaque sublimes agitur Philomena per auras.
Haec dolet infelix, ungui transfixa recurvo,
Quam contra horribili raptor sic intonat ore:
„Quid, misera, exclamas? Te multum fortior astur
Te premit. Huc adsis, quo te meus egerit ardor.
Et quamquam bene suave canas, mihi cena futura es,
Si lubet, aut dimissa iterum remeabis in auras.“
Sic fatus tacuit pennatus et impiger astur.
Tu modo Iustitiam cole, nulla Iniuria, Perse,
Tecum habitet. Fatale gerit secum illa nec illam
Ullus amat, nisi mens cui vilis et improba surgit.
Vir bonus hanc inferre timet, quam si intulit, acti
Paenitet et magno contristat corda dolore.
Est via Iustitiae melior, qua vincitur omnis,
Omnis ad extremum veniens iniurius ardor.
Quid dicam, quod numquam aliquid dementia noscit,
Ni modo passa prius? Sic, qui male iura ministrat,
Peierat et tandem dementi panditur error.
Eripe Iustitiam: corruptus munere iudex
33 v] Ius violat. Dolet haec et nulli visa per urbem
Tristis it et lacrimans poenam mortalibus orat,
Qui violant iura et recti sacra foedera rumpunt.
Verum ubi Iustitiae sancti servantur honores
Iudicioque pares et civis et advena pendent,

---

202 Nescit et *cod.* 203 sua *cod.* 210—213 *om. cod.* 222 pudorem *cod.* *post* 227 *v.* 224 *repetitus, vv.* 228—230 *omissi in cod.* 232 nullaque *ed.* 235 quam] que *cod.* 237 Et *cod.* 240 si quis *ed.* 243 volat *cod.* 244 lachrymas *cod. ed.*

Urbs viget, augetur soboles, pax laeta vagatur,
Pax iuvenum nutrix. Numquam his fatalia bella
Praeparat Altitonans, nullis in rebus egestas
Imminet, in quemquam nulla est offensio, dulci
Quos iuvat interdum genio alleviare labores.
Terra quibus large fundit sua semina, et altae
Montibus innatae mittunt sua munera quercus,
Glandiferae in summo; media tamen arbore mussant
Undique apum ingentes acies, vestemque ministrant
Lanigerae pecudes. Per se magis omnia florent.
Non his externas merces vehit ardua puppis,
Omnia dat tellus. Quid enim quod iuncta marito
Et patribus similes emittit femina partus.
  Non datur hoc quibus illa placet violentia iuris.
Hos ad supplicium vocat alti cura Tonantis.
Saepe subit poenas plebs tota miserrima tantum
Unius ob noxam, pestis furit atra per urbem
34r] Et malesuada fames. Paulatim deficit omne
Vulgus et evacuos ostendunt tecta penates.
Femina nulla parit. Sic saevit Iuppiter erga
Quos malefacta iuvant. Qui si modo forte cruentum
Militiae exercent studium, mora nulla, sinistro
Marte cadunt. Vel si potius iuvat ire per altum,
Illorum in medio submergitur obruta puppis.
  Vos igitur, qui iura datis, convertite mentem
Ad tales hominum poenas. Divina potestas
Mortales circumvolitans videt, improba quorum
Iudicia emergunt multorum in damna deumque
Ignorant monitus. Genus hi mortale pererrant
Innumeri tenebris circumfusique tuentur
Iustitiae sacra iura, domant genus omne malorum.
Illa quidem virgo est, supero Iove nata parente,
Nomine clara suo coetuque verenda deorum.
Quam si quis violet, lacrimans sua fata parentis
It Iovis ante pedes et lamentabile fundens
Humanos queritur mores ac debita poscit
Supplicia in populos. Tu, iudex, causa malorum,
Qui violas sacra iura deae, iam dirige mentem,
Ius cole, in alterius te nulla pecunia vertat
34v] Damna. Nocet sibi, qui cuiquam nocet, et male suadet
Ille sibi, in quemquam si quis male iura ministrat.
Cuncta videt pater omnipotens, et quod mihi tecum est,
O iudex, modo si lubeat, speculatur ab alto.
Nil latet hunc, aut hoc quales tribuantur honores
Iustitiae in populo. Quam non ego pectore toto
Nec mea progenies coleret, postquam orbe sub isto
Spreta iacet bonitas et ius iniuria vincit,
Invito Iove ni fierent. Haec accipe, frater,
Haec animo meditare, iniustum pone furorem,
Ius quoque, frater, ama, sine quo genus omne ferarum

248 Urbis uigit *cod.* 272 conuertere *cod.* 280 dare *cod.* 291 hunc] huc *cod.* 292 in *om. cod.*

Credimus alterno certatim corpore pasci.
At nos instituit vitae melioris origo;
Iura dedit pater omnipotens. Ea pectore toto
Si quis habet, decus aeternum pia praemia reddet
Iuppiter, affligit, si quis pro teste vocatus
Peierat, ac merito pensatur culpa nocentis
Supplicio: offendens ius ille offenditur una.
Ex quo obscura quidem nulli quoque cognita surget
Posteritas; iusto de sanguine nata propago
Clara caput tollet patrio servata decore.
  Haec quoque, quae referam, stultissime concipe frater,
35r] Quam facile innumeras vitiorum amplectimur artes.
Haud procul illa habitant, brevis est via, qua sit eundum.
Est via virtutis contraria: sudor anhelus
Hanc sequitur, quae se scopulosis ardua clivis
In longum prorumpit iter; riget aspera primo
Ingressu, levis est, postquam cacumina tanges.
  Optimus hic, sese qui novit cuncta magistro,
Prospiciens rerum fines meliora secutus.
Dignum laude virum parentem recta monenti
Credimus. Ille tamen, sibi qui non consulit, aut qui
Alterius praecepta fugit, vir inutilis extat.
  Ergo age frater ades generoso e sanguine Perse
Neu fuge fraternos monitus: operare laborem.
Invideat tibi dira fames, spicaque recenti
Alma Ceres ornata caput sua dona ministret.
Sit tibi plena domus, segnem crudelis egestas
Opprimit. Hunc homines odio superique sequuntur,
Torpenti similem fuco. Cui spicula surgunt
Horrida, distensumque favis consumit edendo
Semen apum, piger ipse sedet vitatque laborem.
Tu modo curam operi quantum potes adice, frater.
Horrea sic rumpunt messes, sic copia rerum,
35v] Sic pecus augetur, sic tu mortalibus aut dis
Gratus eris. Segnes animos et inertia corda
Oderunt; operi laus est imponere curam,
Turpe sed hinc prohibere manus: incumbe labori.
Forsitan ad studium torpentia pectora vertes,
Dum partas ostendis opes, virtutis adeptus
Nomen et aeternum laudis decus. Utere quaeso
Arte, para victum, violare aliena nefandum est.
Fac superis aequandus eas, incumbe labori.
Nec pudeat: pudor hic multos inhonestus egentes
Secum habet. Auget opes fiducia, quam melior res
* * * * * * * * * * * * * * * * * * * * *
A superis non vi. Proh rerum insana cupido!
Proh animis infusa lucs! Iam nulla pudoris
Cura; iacet passim longe post terga relictus.
Tu coleris, duce te paulatim corruit ille
Dis invisus homo, cui mens intenta rapinis

316 fingis *cod.* sequuntur *ed.* 328 uitaque *cod.* 334 huic *ed.* concumbe *ed.* *post* 341 *excidit versus unus vel plures.*

Invigilat. Neque enim semper felicia durant.
Nec minus Omnipotens poenis infligit eisdem,
Qui servum offendit, vel qui sanctissima frangit
Foedera amicitiae, seu qui cum coniuge fratris
Non pavet infandos coitus fraternus adulter,
Vel qui in pupillos audet vim ferre nefandam,
36r] Vel qui in longaeva confectum aetate parentem
Horribili voce insurgit vixque abstinet illi
Verbera. Non impune tamen: stat poena nocenti
Post obitum. Depone igitur tam falsa superbae
Mentis consilia et melioribus utere, quaeso.
Ture pio venerare deos, his tempore in omni
Et munde et pure liba, cum clara nitescet
Sole dies, aut cum nox circumfusa tenebris
Abscondet terras. Casto torrenda sub igne
Hostia mactetur, hymnos cane, tura ministra,
Ut tibi di faveant immensaque copia rerum
Hinc tibi nascatur, multis ut egentibus ipse
Subvenias, non ut vivas, germane, rapina.
Convivas inter si vis discumbere, amicus,
Non hostis veniat; primum vicinia. Nam si
Adversum quicquam acciderit de more repente,
Primum illa accurret; quae si sine vestibus esset,
Nuda etiam veniet, quod non tibi sanguine iunctus,
Non aget: iste sibi vestes atque omnia ponet.
Improba damnosa est vicinia, sed proba si sit,
Utilis. Haec igitur cupienda est pectore toto
Tamquam laudis opus. Neque enim lamenta refundes
36v] Amisisse bovem, proba si vicinia tecum est.
Acceptum metire et eodem pondere redde
Vicino, tibi ut hic iterum succurrat egenti.
Res male parta mala est damnosaque semper; ab illa
Ergo cave, nec te vincant in amore sodales.
Illum adeas, qui te; fac mutua munera reddas.
Sponte datum capias, scelus est letale rapina.
Quicumque etsi magnum aliquid largitur amico,
Laetatur. Quicumque iacit de fronte pudorem
Et rapit alterius, quamquam infima, turbat amici
Visceraque et mentem, cui vis illata rapinae.
Adde parum parvo, parvo superadde pusillum;
Fiet et hoc magnum, infelix pelletur egestas.
Si modo rem cumules, hominem nec laedit haberi
Cuncta domi; nocet esse foris. Quam dulce bonumque
Praesens accipere atque absente carere molestum est!
Tunc bene potandum, cum plena effundit ab alvo
Vina cadus. Tunc parcus eris, cum parte Lyaeus
Defluit e media. Sed cum declinat ad imum,
Spumantes iterum cyathos et pocula sume.
Quicquid polliceare, homini servetur amico.
Si quicquam cum fratre tibi est, testem adice rebus

358 hiis *cod.* 379 uincat *cod.* 391 plena *om. cod.*

37r] Subridens: nocuit non credere, credere semper.
Neve tuam alliciat meretrix cave femina mentem.
Rem totam vorat illa, nimis dum blanda videtur.
Heu, quam damnosum est mulieri fidere cuiquam.
Rem patris acceptam melius fovet unicus heres
Auget et hanc. At tu plures in morte relinque
Ex te ortos, nam plura pater Saturnius illis
Attribuet. Sed te si caecus tangit habendi
Ardor adhuc fragilisque placet tibi gloria rerum,
Hoc age, quae moneam, et varios operare labores.

### Eiusdem liber secundus de agricultura.

Cum caelo emergunt sublimi ab Atlantide natae
Pleiades, truncanda Ceres; morientibus illis
Mitte in aratra boves. Latitare ea sidera dicunt
Viginti totidemque dies, annoque voluto
Apparent iterum: maturam incidere messem
Rursus et incipiunt dentata falce coloni.
Hanc legem agricolae atque habitantes litora servant
Aut qui pingue solum vallosaque tecta tenerent:
37v] Nudus ara nudusque sere et mete corpore nudo,
Si tempestivos agrorum ducere cultus
Augerique illos magnis successibus optas.
Neve aliena roges interdum pauper egenus.
Quodsi ad nos supplex iterum fortasse redibis,
Non iterum dabimus. Iuvet exercere labores,
Improbe, quos inter mortales diva potestas
Sortita est, ne tristis inops cum coniuge maesta
Aut cum natorum misera comitante caterva
Victum a vicino rogites: dare negliget iste.
Bis seu ter fortasse dabit. Dehinc si petis ultra,
Proficies nihil. At tu plurima verba refundes
Orabisque iterum, frustra tamen; artibus, ut te
Iam pridem admonui, invigila atque incumbe labori.
Dira fames procul hinc abeat, tua debita solve.
Imprimis tibi conde domum pretioque ministram
Dehinc eme, quam possis custodem adiungere bobus.
Pone domi, quantum toto tibi sufficit anno.
In rebus spes est alienis irrita. Nam si
Hic dare forte neget, tu semper pauper egebis,
Tempora labuntur, operum quoque deficit usus.
Ad cras rem differre nocet, numquam horrea, numquam
38r] Implet iners aut qui tempus producit; habenda est
Cura operi. Turgescet opus, mala mille molestant
Affliguntque hominem, cui segne et inutile corpus.
Cum bene se posuit rapidi vis ignea Phoebi,
Ac pater omnipotens fecundis imbribus Aether
Desilit in terras, et languida membra resumunt
Iam pridem amissas aestivo in tempore vires:

---

3 ducunt *cod.* 23 dura *ed.* 25 possem *cod.*

Nam breve Sol hominum supra caput astat ab alto,
At de nocte magis currus exercet agendo:
Tunc operum multo ante memor discinde securi
Silvam incorruptam, tunc germina desinit arbos
Fundere datque suas volitare per aëra frondes.
In tres tende pedes mortaria, contineat tres
Pistillus cubitos, pedibus quoque confice septem
Temonem. Qui si fuerit protentus in octo,
Hinc tibi malleolus crebros formetur in ictus.
Palmarumque trium rota sit, variisque repone
Ligna efficta modis, validamque in montibus altis
Quaere vel effuso campi super aequore primum
Ac stivam compone manu, qua firmet arator
Temonem cuneis dentalique alliget imo
Torqueat et fortes illa durante iuvencos.
38v] Binaque praeterea tectis serventur aratra.
Sic melius; nam si casu discinditur unum,
Restat adhuc aliud validos agitare iuvencos.
Temonem ex ulmo viridi seu confice lauro.
Stiva sit ex pinu, dura dentalia quercu.
Duc in aratra bovem, nono qui vivat in anno;
Apta aetas operi matura est; franget aratrum
Bos iuvenis, minitans iuvenili proelia cornu,
Et rixam exacuens opera imperfecta relinquet.
Quaere quater decies annorum aetate bubulcum.
Quadrifidus panis et ofellas caesus in octo
Sit cibus huic. Recto sulcabit vomere terram,
Si maturus erit. Studium intermittet arandi
Iunior, aspiciensque pares aetate colonos
Ibit ad hos, ludosque ciet lasciva iuventus.
Ergo non melior iuvenis nec semina versae
Spargere humi, quantum terrae mensura requirit.
  Contemplare etiam, cum grus e nubibus altis
Assiduos agitat clangores: nuntiat imbrem
Venturamque hiemem tempusque indicit arandi,
Angit et illius mentem, cui nulla boum spes.
Tunc redeant fessi plena ad praesepia tauri,
39r] Tunc proprios operare boves et plaustra. Sed inquis:
„Non habeo, dabit hic“: facile est petere atque negare.
Mentis inops alius: quid enim, componere currum
Tunc volet ignarus; non novit, quantus in illo
Sit labor, et centum compagibus insita ligna
Quae debent multo ante domi provisa reponi.
  Praeterea, cum tempus adest rescindere campum,
Fortius insistas opera exercere ministros.
Nam vertenda duplex tibi sicca atque humida tellus.
Vere novo veniant celeres ad aratra iuvenci
Fertilis et gravida culmus procumbat arista.

---

48 effincta *cod.* 50 manum *cod. ed.* 51 Temoni *cod.* 53 seruetur *cod.* 57 pinu] primo *cod.* 63 Quadrificus *cod.* 67 sciet *cod.* 69 Sparge et *ed.* 70 e] et *ed.* 74 fessi] fetu *ed.* 79 lingua *cod.* 80 prouisi *cod.* 82 operi *cod. ed.* 85 gravida] fervens *ed.*

Neu te decipiat cum semina colligit aetas.
Sit nova cui studeas tellus nec arata quotannis:
Terra recens large natis alimenta parabit.
Plutonem imprimis venerare atque annua sacrae
Vota refer Cereri, cum stivae innixus agendo
Incipis exercere boves stimuloque fatigas.
Sic immensa tibi surgent cerealia dona.
Semina cum terrae committis, pone sequatur
Servulus atque avibus rastro sata laeta recondat.
Optima, crede, iuvat rerum prudentia cunctos,
Laeditur adverso, qui neglegit omnia, fato.
39v] Si sit pingue solum, gravidae inclinentur aristae
Felicesque operum successus a Iove summo
Hinc capies, neque sub tectis extendet arachne
Fila, sed immensae replebunt horrea messes.
Tunc gaude et cani florentia tempora veris
Laetus agas, cum te in cassum crudelis egestas
Aspicit, et parto turget domus, atque aliena
Re tibi non opus est; tua pluribus adiumentum.
Fit sterilis tellus medio versata sub aestu,
Hincque solo residens imas falcabis aristas
Aversos religans culmos, tenuisque sequetur
Spes vitae, pauci te mirabuntur, ab agris
Parva sub exiguo referentem farra canistro.
Difficile interdum mutabile noscere tempus,
Mobilis et varia est alti natura Tonantis.
At si tardus aras, tarde tibi solus aranti
Afferet auxilium, si largis imbribus Aether
Tres noctes totidemque dies non cessat ab alto,
Donec replerit validi vestigia tauri,
Tempore quo querna residens super arbore coccys
Exululat, gaudentque hominum mortalia corda
Vere sub aprico. Sic tardus forsitan aeques,
40r] Qui tempestivo divertit vomere terram.
His intende animum, nec florida tempora veris
Te lateant, glacialis hiems tibi cognita surgat,
In qua incumbendum est. Nec te ulla taberna moretur
Aut narrata loco sub aprico fabula tardet.
Dum frigent alii, vir rem tamen impiger auget.
Surge igitur, nec te paupertas opprimat illo
Tempore. Dira fames tenues facit esse lacertos
Elatosque pedes et crura tumentia multo
Sanguine. Segnis inops et spe suspensus inani
Inclinat mentem sceleri et meditatur, iniquos
Unde paret victus. Hominem spes nutrit egentem
Irrita, cui nihil est, et tota luce vagatur.
Dum media elapsa est aestas: „Properate ministri,
Condite“ dic „casulas; nam semper non erit aestas.“

---

87 aratra *cod.* 94 recondant *cod.* recondet *ed.* 99 exendit *cod.* 112 tarde] tardus *ed.* amanti *ed.* 116 residensque sub *ed.* 124 fringent *cod.*

Lenaeo ·mensem dictum cave. Nubibus ille
Letalem bobus glaciemque et frigora ducit.
Thracius insurgit Boreas et turbine facto
Disturbat maria ac campos silvamque sonantem,
Alticomas quercus annosaque robora pinus
Diruit ex alto et valles iaculatur ad imas.
Silvarum auditur fragor undique, sed fera duros
40v] Arrigit ipsa pilos caudamque in cruribus angit.
Quin etiam quibus est villis densissima pellis,
Perforat ille quidem saetosaque pectora transit.
Nec se defendunt dura sub veste iuvenci
Et miserae algescunt hirsuto crine capellae.
Vincit ovis boream instantem fultoque repellit
Tegmine lanarum; sed non obsistitur illi
A senibus: curvo facit hos incedere collo.
Nec tamen ad teneram penetrat Boreale puellam
Frigus, at illa domi, cui nondum nota libido,
Matris apud carae gremium sedet atque hiemales
Non sentit glacies et tota nocte quiescit
Atque oleo teneros interdum perluit artus.
Tunc polypo durum est gelidis habitare sub undis,
Nec videt, unde sibi venetur in aequore praedam
Allevietque famem: proprios tum denique in artus
Vertit atrox rabiem immensam. Sic imbribus atris
Turbatur mare, sic atra caligine caelum.
Sol quoque ad Aethiopas radios et lumina fundit,
Rarus apud Graios. Fugiunt animalia curvi
More senis valles imas et dente trementi
Concava saxa petunt nemorum tenebrosaque tecta.
41r] Tunc quoque, ne noceant hiemes, tibi protegat artus
Mollis laena tuos, cui texta ex ordine recto
Pauca, sed adverso ducantur plurima fila.
Sitque ea crure tenus: vetat haec per corpora saetas
Surgere et instanti prohibet durescere vento.
Tegmina sint pedibus taurorum e pelle cothurni,
Nec nocet hos inflare pilis, ut frigora vincas.
Haedorum teneras nervo bovis insue pelles
Ac dorso suspende. Tegant capita alta galeri;
Ne madeant aures borea spirante cavendum est
Frigoribus. Tunc ros caelo diffusus ab alto
Intus alit Cererem sacros operumque labores.
Ille quidem vi ventorum e fluvialibus undis
Tollitur in sublime et matutinus in agros
Desilit, interdumque expectat tempora noctis,
Interdum Borea nubes agitante procellas
Vertitur in ventosam hiemem. Fuge providus illam.
Acceleretur opus, pete tecta obstantia ventis,
Ne forte obscuro nebularum infusus amictu
Immadeas largosque imbres pluat humida vestis.

134 Aiano *cod. ed.* 149 Non tamen *cod.* 163 ne] te *cod.* 164 sexta *ed.* 173 res *ed.*

Pascua tunc carpant quamvis non pinguia tauri.
Quippe levis labor et longa sub nocte quiescunt.
41v] Nutrimentum ingens, vobis uberrima mando,
Agricolae, facilique dies transire labore.
Haec servanda tibi, donec nox aequa diebus
Atque iterum satio committit semina terrae.
At dum sex decies Sol arduus occidit undis
Hibernum post solstitium, sacrosque relinquens
Oceani fluctus sublimi Arcturus Olympo
Exoritur primumque cupit splendescere sidus,
Tunc vites incide, novi neque nuntia veris
Antiquos iterans questus praecedat hirundo.
Dum tamen immensos effundit Pleias aestus
Prosiliensque umbrosa petit plantaria limax
Tellure e sicca, tunc vinea nulla ligonem
Sentiat, accelerent uncata falce ministri
Maturam in segetem, nec te pulcherrima Tempe
Detineant segnem matutinique sopores.
Eia age, rumpe moras, pelle otia segnia, pelle,
Dum vocat alma Ceres, robustaque collige farra,
Pone domi, quantum toto tibi sufficit anno.
Mane operi assurgens operis pars tertia mane
Conficitur; labor haud gravis est; de mane viator
Longum linquit iter taurosque exercet arator.
42r] Praeterea sua dum scolymus florentia mittit
Germina et in ramis dulces resonare cicadae
Sole sub ardenti incipiunt trepidantibus alis,
Fit capra tunc mollis, tunc sunt dulcissima vina,
Feminaque urenti Veneris prurigine corpus
Appetit insanos coitus, lassantur ab aestu
Membra virum tantumque potest vis ignea Solis:
Tunc licet ardores gelida relevare sub umbra
Fontis ad apricos latices semperque fluentis
Murmur aquae, faciles quam circum leniter aurae
Aspirant, zephyris plerumque agitantibus illas.
Hic hilares laetus cyathos et pocula sume
Biblina, ter infusa magis quae temperet unda.
Hic tibi ab uberibus caprarum caseus adstet,
Quae nullos pascant fetus, hic lactea liba,
Hic tibi silvestris ponatur caro iuvencae,
Quae nondum enixa est, hic mollior haedulus adsit,
Et iaceas saturus patula sub tegminis umbra.
Surge tamen, caelo cum fulget Orionis astrum.
Tempus adest. Cereri sacras terat area fruges
Ad ventos posita atque ingenti aequata cylindro,
Nec nisi libratae ducantur ad horrea messes.
42v] Postquam autem satis ad victum tibi contulit aestas,
Continuo, cui nulla domus sit, quaere ministrum.
Adde etiam ancillam, quae sit sine prole; molestum est
Et grave servitium illius, quam cura remordet

184 arbor levis *ed.* 215 ad] apud *cod.* 219 Rublina *ed.* 228 libatae *ed.*

Natorum. Blandire cani panemque ministra:
Pervigil ante fores sedet ille domumque tuetur
Dente rapax furique altis latratibus instat.
His propere exactis faenum paleasque reconde,
Hemiones quantum satis ac nutrire iuvencos.
Inde laboranti requies praebenda colono
Tempus et exhaustis pariter iuga demere tauris.
Dum tamen in media caeli statione refulget
Sirius Orionque loco splendescit eodem
Et rosea Arcturi cernit Pallantias astrum,
Tunc uvas tenero abscindens de corpore matrum
Per bis quinque dies tepido sub Sole iacentes
Pande, dies etiam mollescant quinque sub umbra,
Dehinc torque, capiant vegetes iocunda Lyaei
Munera. Sed sidus cum deficit Orionis
Pleiadesque Hyadesque cadunt, meminisse iuvabit
Protinus impresso subvertere vomere terram.
Stat tempestivo cuncta exercere labore.
43r] Si tamen infestum iuvat ire per aequor et alta
Puppe vehi, moneo ne, quando ab Atlantide natas
Orion sequitur totoque excludit Olympo,
Ut videas illas medio submergere ponto,
Navigio incumbas: mare tunc tollentibus Euris
Obscurum undosos iaculatur ad aethera fluctus.
Tunc igitur iaceant religatae ad litora puppes,
Saxorum obnixae obicibus, ne forte ruentes
Discutiant venti. Pateat pars ima carinae,
Ne pluviam excipiens putri marcescat ab imbre.
Instrumenta domi navaliaque arma quiescant
Pensa, gubernaclique exploret robora fumus.
Interea Cereris sacros operare labores
Nec prorsus fugiendus ager. Labatur in altum
Aequor amica ratis, dum non magis unda tumescit
Nec refluunt vasto sublati gurgite montes.
Vadat onusta tamen, censu reditura superbo.
Sic meus ille quidem genitor, dum pauper egeret,
Errabat maria alta secans fluctusque profundos.
Ille olim Aeolidem Cumam atque ea litora linquens
Appulit huc, non spe lucri commotus avara:
Durum opus exercere invisa urgebat egestas.
43v] Ille vagus demum prope Tempe Heliconia sedem
Ascraeam incoluit, caeli in regione molesta:
Frigore nunc nimio, nunc intolerabilis aestu.
Tempore quosque suo iuvat exercere labores,
Navigium ante omnes. Cuius si te ulla remordet
Cura placetque altos sulcare per aequora fluctus,
Dum faciles spirant venti et furor ille quievit,
Ne te invisa fames alieno vivere parto
Cogat et invitus multorum debitor extes,

245 molli stent *ed.* 250 labori *cod. ed.* 257 litora] equora *cod.* 262 gubernandique *ed.* 268 Hic *ed.* 270 eolidam *cod. ed.* 280 Nec *cod.*

Vade, nec in cymba, sed te vehat ardua puppis.
Ingentes referant census ingentia mercis
Pondera. Praeterea quae sint aptissima nautis
Tempora, narrandum est, quamquam mihi parva per undas
Vita fuit vixque ex illa tantum Aulide cursus
Litus ad Euboeum, sub qua omnis Graecia quondam,
Dum pelago desaevit hiems, convenit in unum
Et merito infandos fatum iuratur in hostes.
Inde mihi placuit non longe ad Chalcida cursus,
Huc, ubi magnanimum genus Amphidamantis Achivi
Constituunt populis certamina et inclyta quondam
Munera defuncti ponunt in honore parentis.
Hic ego me dulcis referentem praemia cantus
Auratos memini tripodas, quos sponte dicavi
Musarum ante aras, quibus antra Heliconia curae,
Illae ubi me primum dulcem docuere poesim.
Tantum igitur mihi res navalis cognita surgit.
44 r] Dicam aliquid tamen et varios pandam Aetheris usus.
Haec etiam nobis aspiravere Camenae.
  Aequora tuta legant instructae remige puppes,
Cum decies quinque est series exacta dierum
Aestivum post solstitium et iam deficit aestas.
Nam neque tunc classes medio nec navita ponto
Obruitur, ni forte velit Iovis alta potestas
Aut deus ipsarumque parens Neptunus aquarum.
Exitus omnis in his rerum manet, exitus omnis.
Ut lenes spirant Zephyri, tranquilla quiescunt
Aequora, tunc celerem ventis committe carinam.
Vadat onusta tamen. Reditum properare memento,
Quam prius ipsa novos fundunt vineta liquores
Autumnique imbres et hiems infesta procellis
Aut Notus insurgat pluvia rorantibus alis
Incumbatque mari totumque evolvat ab imo.
Exercent etiam studium navale sub ipso
Vere novo, cum se tam latas arbor ab alto
Induit in frondes, quantum vestigia cornix
Pandit humi depressa; silet tunc nabilis unda.
Ast ego navigium grave tunc semperque molestum
Crediderim. Hoc naturae homines levitate nefanda
44 v] Subtraxere. Agitant diversa pericula fluctus.
Et tamen ire placet, quamquam mors dura sub undis.
Divitiae sunt vita hominum atque insanus habendi
Ardor. Ad haec animum, germane, intende parumper.
Concipe fraternos monitus. Maria alta secando
Fac tecum ne cuncta vehas, maiora reserva.
Nec nimis est oneranda ratis: sit ponderis aequi
Quicquid in hac. Durum est adverso occurrere fato
Fluctibus in mediis. Currus discinditur omnis

286 tamen *ed.* 287—290 *om. cod.* 301 instructo *cod. ed.* 302 est] et *cod.* 305 uelut *cod.* 308 At *cod.* 312 Autumnumque *ed.* infausta *cod.* 318 humus *ed.* 327 nauis *ed.*

Si gravius superinstat onus. Servare memento
Mensuram in rebus et idonea tempora ad usus.
Cum prope ter decies tibi vita elabitur annos,
Conubium maturum aderit, decimumque puella
Exigat et quartum, sed quinto nubat, et illa
Virgo sit atque habitet prope te, cui sedulus adstes,
Sedulus inspicias artemque usumque puellae.
Haec age, ludibrio ne te vicinia cantet.
Coniuge nil melius casta, nil turpius illa,
Quae Venerem prurit sine fine et prostat ad omnes
Semper, et exitio superimminet illa virorum.
Nemo etiam fratris in amore aequetur amicus.
At par si quis erit, sit amandus tempore in omni,
45r] Nulla ex te inceptum foedus discordia solvat.
Mentiri scelus est; praestat compescere linguam.
Infandam si vim tibi quisquam inferret amicus
Aut ore aut manibus, surge et te ulciscere, redde,
Redde vicem duplicem. Quodsi illum paenitet acti
Ac poenam implorans iterum te exoptat amicum,
Suscipe. Vile quidem est homines nova quaerere semper
Foedera amicitiae. Multos si, frater, amabis,
Non laudo; nullos etiam; medium sit in isto.
Si tibi corda tument, vultus non indicet iram.
Turpe sequi sceleratum hominem, maledicere cuiquam
Infandum est, qui iam vita laudatur honesta.
Numquam a te, numquam misera obiurgetur egestas.
Divinum donum est divumque aeterna voluntas
Illa quidem, quae saepe viri sublime molesta
Impedit ingeniumque vetat super alta levari.
Qui loquitur parce linguam nec in omnia solvit,
Thesaurum prae se gerit ille, ea gratia magna est,
Ut linguam moderes pensataque verba loquaris.
Si quemquam verbo laedes, laederis et ipse.
Grata in amicorum venias convivia sumptu
Communi, dato particulam; gratissima sunt haec.
45v] Acre Iovi vinum seu dis de mane cavendum est
Illota libare manu: tum vota precando
Incassum fundes, nulli exaudita deorum.
Solis ad aspectum nec quemquam mingere fas est
Nocte sub obscura recto neque corpore nudo,
Nox quia sacra deis, media nec credimus illud
Posse licere via; si declinetur ab illa,
Esse etiam vetitum divis. Vir et omnia noscens
Haerens parietibus sedet atque exponit urinam
Intus, ubi orbatae tenuis latet angulus aulae.
Nec coitu polluta sacros genitalia pandas
Ante ignes, neque cum dulci tibi coniuge praestet
Concubitum ut generes, dum maesto a funere tristi
Mente redis, superum sacra sed laetus ab ara.

---

331 idonea *om. cod.* 339 Quem *cod.* 346 te *om. ed.* 351 medium] nedum *cod.* 377 gemeres *ed.* 378 credis *cod.* sed] seu *ed.*

Credimus invisum superis semperque molestum,
Qui natat assiduo labentia flumina cursu,
Quam prius ablueritque manus pia vota precesque
Fuderit ante ipsas supplexque oraverit undas.
Infandum ante aras ungues incidere, cum dis
Sacra facis. Scelus est cyathos imponere vasi
In quo vina latent. Sacros operare lebetes,
Nil tibi cum in sacris etiam hinc lavisse nefandum est.
46 r] Perfice tecta prius quam cornix garrula ab alto
Nuntiet atram hiemem; ruit haec inimica procellis.
Fac sedeat bis sex quibus aetas exigit annos
Aut totidem mensis natorum cara propago
Sede sub instabili. Iuvat hoc omnemque repellit
Segnitiem, facit esse agiles et ad omnia promptos.
Foedum ac turpe virum est thermis muliebribus uti.
Hoc prorsus fugiendum etiam, stat talibus atrum
Supplicium: ante aras superum obiurgare; nefandum est
Sacra ministeria ac divinos spernere cultus.
Nec licet in fluvio neque fontis mingere in unda,
Est quoque turpe aliud vetitum. Fuge pessima Famae
Nomina, Fama malum facile in sublime levatur.
Est grave sufferri nimium nimiumque molestum,
Difficile ut taceat; numquam delebitur illa
Sedula quae varias populi penetravit ad aures.
Est dea Fama quidem, sunt ipsi numina Famae.

Sit tibi praeterea series servanda dierum.
A Iove natae omnes, sunt a Iove tempora nata.
Ultima mensis erit nullo exercenda labore.
Hac genio utendum est, illa omnes festa per urbes
Ducitur, illa forum claudit neque iura resolvit.
46 v] Prima dies sacra est et quarta et septima. Prima
Natus Apollo die radiantia lumina fudit.
Luce domum quarta felix ducenda sit uxor
Omine captato; sunt omnia prospera rebus,
Et licet incurvam trabibus componere navim.
At quintas fuge, namque illarum pallidus ortus;
Tum dirae Eumenidum facies toto orbe vagantur,
Castigant, si qua in terris periuria, falsum,
Affirmant quae lis alterne agitata creavit.
Sexta dies tristem ostendit mulieribus ortum,
Laeta viris, multique etiam nascuntur in illa,
Quis mala mens, fallax animus, fallacia verba,
Et qui concubia exercent arcana per artem.
Hac ovium fetus licitum castrare vel haedos,
Et licet infixa pecudes circumdare mandra.
Scindimus octava forti genitalia tauro
Castramusque sues. Felix est ponere plantas
Nona, viros gigni vel amica sorte puellas.
Luce viris decima faustos quoque credimus ortus.

382 exoraverit *cod.* 391 Sed *cod.* 393 ac] aut *ed.* mulieribus *cod.* 409 Prima notanda dies et quarta *ed.* 414 quintam *ed.* 415 Dum *cod.*

Unaque post decimam felix incidere vites
Et tempestivam segeti supponere falcem.
Hoc curat bis sexta etiam, felicior illa,
47 r] Stamina et ex alto tenuissima torquet arachne,
Ingentem accumulant formicae farris acervum
Et iuvat arguto percurrere pectine telas;
Tunc quoque silvestres licitum castrare iuvencos.
Tertia post decimam plantaribus optima surgit
Spargere semen humi, pallet contraria semper
Quartaque post decimam mulierum prospera natu
Ac prensos domitare boves validosque labori
Hemiones, canibus faciles adiungere cultus
Et lenire manu pecudique imponere mores
Atque aperire cados et dulcia fundere vina.
Sextaque post decimam plantaribus invida surgit,
Opportuna viros nasci, sed iniqua puellas
Aut nasci aut thalamos petere atque haerere maritis.
Septima post decimam Cereris ferat hordea sacrae
Ingentemque licet ferro discindere silvam
Ac varias aptare trabes, quibus ardua tecta
Moliri aut structam possis agitare carinam
Nonaque post decimam felix est, cum dea surgit
Lutea, sed medium caeli cum venit in orbem,
Fit gravis, ex media ad finem laetissima fulget.
Proxima lux sapientem hominem divina creandi
47 v] Insigni viget officio, nec luce dolendum est
Post illam quarta; laeta est ea, laeta trahantur
Gaudia: quinta dies post hanc iuga curva iuvencis
Ponit et hemiones et colla exercet equorum
Altaque velivolas deducit ad aequora puppes
Et nova componit dulci sua vasa Lyaeo.
Quam pauci novere et recto nomine dicunt.
  Sunt harum humano generi servanda dierum
Tempora; quippe illud magnis successibus augent.
Sunt aliae ancipitesque tamen sine mente neque ullo
Officio excellunt. Hanc alter laudat et illam.
At paucis natura illarum cognita surgit.
Nam tunc ipsa dies totum complectitur orbem
More piae matris, saevae modo more novercae.
Nunc fulget, nunc atra latet, felixque beatus
Ille quidem, qui dis gratus, cui cognita sunt haec,
Omniaque inspiciens rerum se exercet ad usus. [Z.]

457 veliuolis *ed.* 459 mouere *cod.* 468 Ille quidem fertur que dijs cui *ed.*

## VIII. Varia.

(e cod. R. 69, f. 8v.)

a) fol. 8v *a sinistra parte:*

In superliminari s̄ci sepulchri.
Quid mulier ploras iam iam quem queris adoras
Me dignum recoli. iam uiuum tangere noli.

Extra introitum caluarie.

Hic locus insignis caluaria sanctus habetur
Pro duce pro precio pro cruce pro lauacro.
Nempe iesus cruor et titulus sacra corporis unda
Nos saluat redimit protegit atque lauat.

Intus ad deposicionem dn̄i.

A caris caro cara dei lacrimata leuatur
A cruce pro miseris rex pius hoc patitur.

Intus prope ad simulatam sepulturam dn̄i.

Conditur in tumulo conditus aromate christo
Tollitur ad superos meriti moderamine iustus.
Gaudet homo, trepidant manes, gemit omnis abyssus
Est excessus adest christo veniente remissus.

Intus ibidem super medium.

Sub tumulo lapidis dum sic christus tumulatur
Eius ad exsequias homini celum reseratur

Super locum natiuitatis in betlehem.

Angelice lumen uirtutis et eius acumen
Hic natus uere deus est de uirgine matre.

Infra in sepulchro.

Christo resurgenti locus et custos monumenti
Angelus et vestis fuit estque redemptio testis.

b) fol. $8^v$ *a dextera parte:*

barbifer hospicium consuetus uisere nostrum
venit nil secum praeter auete ferens.
hunc ut eram solitus uultu gaudente recepi
hincque ministrando sedula martha fui,
sedimus ante focum cereri bachoque litantes,
intermiscentes seria saepe iocis.
ipse mihi barbam summatim forpice (*l.* forcipe) carpens
errantes reseco cautus ab ore pilos.
hos inquam granos tecum potare volentes
vis circumcido frater ab ore tuo
mox sibi cum granis mordaci forpice (*l.* forcipe) barbam
furatus raptu uellere nudo genas.
ille manu tractare volens et comere barbam
nil nisi nudatam sensit ubique cutem.
ve mihi ve, clamat, quid fratres, quid prior, abbas,
quid dicent alii? verbera dura dabunt.
me rasi barbarum (*l.* barbam) pueri per rura vocabunt,
abbas atque prior uerbera dura dabunt.
frater, in ede mea sum praepositus, prior, abbas:
hoc sanxit Iesus, mos habet, ordo tenet.
clericus aut monachus, conuersus quando fit hospes
more domus uiuat, quae iubet hospes, agat.
extollens manibus tumidum cratera duabus

do debarbato. qui bibit; inde bibo
pacem gertrudis eleuans. sic faucibus udis
complentes noctem duximus in requiem.
ille mane surgens nullum benedicite dicens
intrat septa suis ludibrium sociis. [Tk.]

## IX. Iliadis Latinae[1]) specimen.

(e cod. R. 74, f. 91—111.)

v. 1—8: Iram pande mihi pellide diua superbi
Tristia quae miseris iniecit Funera grais
Atque animos Fortes herorum tradidit horco
Lattrantumque dedit rostris uolucrumque traendos
Illorum exangues inhumatis ossibus artus
Conficiebat enim smmi (*sic*) sententia regis
Pertullerant ex quo discordi pectore pugnas
Sceptrigi atrides et bello darus achilles.

v. 1063—1070: Etsi iam siste gradum finemque impone labori
Caliope uatisque tuis moderare carinam
Quem cernis paucis stringentem littora remis
Namque tenens portum metamque potentis homeri
Peritum comitata choors (*corr. ex* choros) summitte rudentes
Sanctaque uirgineos pallas redimita capillis
Ipsa tuas depone liras. addes inclita pallas
Tuque faue cursu uatis iam phebe peracto. [Tk.]

## X. Carmen Italicum vulgare.

(e cod. R. 77, f. 1ᵛ.)

Sdruzoli in laude d' una donna.

La laude del tuo nomi mi fa scendere
In rime tanto col mio pensier stabile,
Sperando a ciaschadun di far intendere
Di tua belta ch' è tanto laudabile.
L'altiera fronte, che 'l sol vol incendere,
E quella qual mi fa esser errabile;
Perche io te diro: non posso credere
Che 'l ciel tanta belta possa possedere. [Z.]

---

1) De Iliade Latina egit Joh. Tolkiehn, Homer u. die röm. Poesie, Leipzig 1900, p. 96—119; praeterea idem in Bursians Jahresber. 1912 p. II (vol. 158), pag. 37—41. Novam editionem publici iuris fecit Frid. Vollmer (Poetae Latini minores 2, 3) 1913; idem de libello recensendo et explicando uberrime rettulit in Sitzungsber. d. bayer. Akad., philos.-philol. u. hist. Kl. 1913, 3. Abhandlung.

## XI. Versus Leonini.

(e cod. R. 99, fol. praefix.)

Incipiunt carmina quibus quis possit mollificari.

Ve michi quod quero, Pharaonem flectere quero.
Plus induraris, Pharao, dum sepe rogaris,
Clamo: non exaudis; precor: at precordia claudis,
Cum voco surdescis, cum flectere tento tumescis,
Nec prece mittescis, sed torpes et lapidescis,
Cum tibi plorando, quo ledar pondere, mando.
Nec prece fis lenis, sed mando semen arenis.
Duricie tanta solidum vincis adamanta,
Molliri discat tandem, mollita fatiscat
Ubique scias tandem, quid queram, quid tibi mandem.
Aurem corque vellis nostris adhibere querellis.
Cum tibi cuncta bene, nostre reminiscere pene,
Cum fueris letus, nostri reminiscere fletus[1])
Cum bene cenabis, cum fercula multa parabis,
Tecum compensa[2]), quam tenuis sit mea mensa.
Cum bene vestitus et vestibus es redimitus,
Me vestimento cultu carere memento.
Mens calligatur, fletus[3]) mihi multiplicatur,
Tu nubem mentis, tu fletum comprime mentis.
Mesto solamen, languenti fer medicamen.
Erige labentem, releva me deficientem.
Scripta tui vatis lege letus et accipe gratus,
Nam quia sum vates, tibi soli confero grates. [Z.]

## XII. Epitaphia.

(e cod. R. 104, f. 1v.)

### 1) *Gotefridi cuiusdam.*

Hic ego qui iaceo, thesaurus philosophię
Quadruvio fueram preditus et trivio,
Nec genus omne stili concinnius edidit alter
Inter eos, nomen qui meruere stilo.
Omne, quod edideram, carmen seu prosa, Maronis
Esse videbatur vel Ciceronis opus.
Contegor Octobris Gotefridus luce suprema
Rupe sub hac. Flete participes studii.

### 2) *Waltheri cuiusdam.*

Nec sanguis procerum nec honor nec copia rerum
Nec tibi, Walthere, species tutela fuere.
Par modo iumento sanie fluis in monumento,
Ore iacens fedo gravis et vitanda putredo.

---

1) flectus *cod.* 2) cũpensa *cod.* 3) flectus *cod.*

Sed tibi quod pane satiasti vulgus inane,
Nunc eternorum parit emolumenta bonorum,
Nec sine spe venię prope limina sacra Marię
Clauderis hac fossa, donec tuba suscitet ossa.

*3) Isembardi cuiusdam.*

Forma, genus, mores, populi favor, ampla supellex
  Praetereunt, pereunt nec reditura ruunt.
His licet ornatus, licet horum pondere clarus,
  Isembarde, ruis, facte ruina tuis,
Spes miseris, tutela reis, solamen egenis
  Vivus eras, vivens sit sibi vita dei
Ter quater et bis ter solarem volverat orbem
  Marcius, in cineres cum resolutus abis.

*Quartum quod sequitur epigramma 6 versuum maximam partem evanuit.* [Z.]

## XIII. Epitaphium matronae nobilis, a Signorello Cambio confectum.

(e cod. R. 110, f. 157$^{v}$.)

Hoc, quodcumque vides quam parvo marmore clausum,
  Nobilibus fueram grata puella procis
Tunc lusus cecidere pii, cecidere choreae,
  Cum rapuit miserum mors inimica caput.
Haec tamen Elisios inter michi gloria manes
  Coniugii pactam non temerasse fidem.

Segnorellus Cambius divus poeta.

*Quos porro versus f. 158$^{v}$ scriptos in appendice editurum me esse p. 78 promiseram, mitto, cum maiore ex parte evanuerint nec certe gravioris momenti sint.* [Z.]

## XIV. Versus philosophici de morte.

(e cod. R. 111, f. 33$^{v}$.)

Omnia que cernis vanarum gaudia rerum,
Umbra veluit tenuis veloci fine recedunt.

Quid valet argentum? Quid annis vivere centum?
Post miserum funus pulvis et umbra sumus.

Ortus cuncta suos repetunt matremque requirunt
Et cedit ad nichilum, quod fuit ante nihil.

Occurrunt animo pereundi mille figure,
Morsque minus pene quam mora mortis habet.

Tarde vel subito vita decedere nil est.
Si bene decedas, Pindare, non nichil est. [Z.]

## XV. Versus de castitate.

(e cod. R. 128, f. 73r.)

De luxuria evitanda et castitate servanda.

Omnem luxuriam fugit qui discere gliscit,
Cum foetore quidem non bene iunctus odor.
Dedecet in foedis pretiosa scientia vasis,
Stercore thesaurus nobilis esse dolet.
Vt doctus fias, mulierum cesset amamen,
Doctrinae caeli carneus obstat amor.
Spiritus et corpus mulierum putret amore,
Mens alienatur negligiturque deus.
Virtutes mores aes vires gratia forma
Visus lucra decus diminuuntur eo.
Ex tanto vitio consurgunt crimina lites
Irae bella focus fama pudenda nimis
Caedes rusticitas opprobria dedecus ausus
Derisus damnum falsificata fides
Corporis atque animae pestis corruptio foetor **[Sk.]**

---

*versus 1 bis scriptus.* 3 essentia? 6 caelo *cod.* 12 Ite *cod.* 15 ac *cod.*

## XVI. Guarini epitaphium falconis.

(e cod. R. 138, f. 15r.)

Epitaphium falconis domini Leoneli Marchionis Estensis, editum per clarissimum ac eloquentissimum oratorem, Guarinum Veronensem.

Flete decus vestrum, volucres, convellite plumas
Unguibus, et rostro proprium confundite pectus.
Falco diem extremum clausit Leonelius: illi
Nunc dolor, ast olim vite dulcedo serene.
Iussus abibat enim iussusque redibat, herumque
Ad voces primas celo repetebat ab alto.
Grus impune volet, secura ciconia plaudat,
Quos pugil invicto † cessavit Marte cruento,
Non secus ac Teucros sevus laceravit Achilles.
Hic iacet, et tantas mors abstulit impia vires.
Illa tamen dominum placant solacia, quod non
Ocia falconem, non venter ademit inertem:
Fortia magnanimus periit per vulnera miles. **[Z.]**

---

1 contōdite *cod.* 8 vexavit? laceravit? lassavit?

# Indices.

I. Index auctorum.
II. Index operum et rerum.
III. Index nominum personarum, quae in codicum descriptionibus commemorantur, omissis auctorum, possessorum, librariorum, additis sanctorum, nisi quae in ind. II. s. v. „vitae sanctorum“ recensentur.
IV. Index locorum.
V. Index librariorum.
VI. Index possessorum.
VII. Index chronologicus.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Codices | 10— 472 | sunt | Rehdigerani. |
| | 1006—1455 | „ | Magdalenaei. |
| | 1604—1957 | „ | Bernhardini. |

# I. Index auctorum.

# II. Index operum et rerum.

## III. Index nominum personarum

quae in codicum descriptionibus commemorantur, omissis auctorum, possessorum, librariorum, additis sanctorum, nisi quae in ind. II. s. v. „vitae sanctorum“ recensentur.

# IV. Index locorum.

# V. Index librariorum.



# VI. Index possessorum.

# VII. Index chronologicus.

## 1. Temporis notae a liberariis additae sunt in his codicibus:

| | | |
|---|---|---|
| a. [1338: | cod. | 141] |
| = 1350(?): | = | 100 |
| = 1358: | = | 62 |
| = 1378: | = | 97 |
| = 1385: | = | 114 |
| = 1386: | = | 121 |
| = 1386: | = | 1062 |
| = 1391: | = | 119 |
| = 1393: | = | 181 |
| = 1397: | = | 1047 |
| = 1400: | = | 356 |
| = 1406: | = | 286 |
| = 1408: | = | 458 |
| = 1413: | = | 1030 |
| = 1416: | = | 133 |
| = 1418: | = | 80 |
| = 1420: | = | 75 |
| = 1421: | = | 98 |
| = 1427: | = | 162 |
| = 1440: | = | 177 |
| = 1445: | = | 1068 |
| = 1447: | = | 44 |
| = 1448: | = | 127 |
| = 1451: | = | 81 |
| a. 1451—2: | = | 73 |
| = 1453—5: | = | 74 |
| a. 1455—6: | = | 269 |
| ante a. 1457: | = | 17 |
| = 1459: | = | 132 |
| a. 1463—5: | = | 1066/7 |
| a. 1465: | = | 77 |
| = 1468: | = | 10 |
| a. 1468—70: | = | 96 |
| a. 1469: | = | 51 |
| = 1471: | = | 10 |
| = 1471: | = | 370 |
| = 1472: | = | 134 |
| = 1473: | = | 58 |
| = 1474: | = | 10 |
| a. 1480—1: | = | 1385 |
| a. 1491: | = | 109 |
| = 1497: | = | 117 |
| a. 1569—72: | = | 1801 |
| a. 1591—1601: | = | 1798 |
| a. 1593: | = | 76 |
| a. 1598—1604: | = | 1799 |
| = 1604—1611: | = | 1797 |
| = 1604—1610: | = | 1828 |
| = 1606—1611: | = | 1800 |
| a. 1628: | = | 1818 |
| = 1655: | = | 1371 |

## 2. Conspectus codicum omnium.

saec. VII.: 169 . . . . = 1 codd.
= IX.: 107 . . . . = 1 =
= IX./X.: 108; 163; 284 = 3 =
= X./XI.: 54; 97; 104 . = 3 =
= XI.: 84 . . . . = 1 =
= XI./XII.: 53 . . . . = 1 =
= XII.: 52; 136; 140, 2; 436 . . . . . . = 4 =
= XII./XIII.: 140, 3. 4 . = 2 =

saec. XIII.: 69; 105; 135; 140, 1; 194; 238; 285; 372 . . . . . . = 8 codd.
= XIII./XIV.: 71; 110 . = 2 =
= XIV.: 43; 61; 62; 63; 68; 70; 72; 83; 86; 88; 90; 97; 99; 100; 101; 103; 114; 118; 119; 120; 121; 122; 126;

## Corrigenda.

pag. 19, cod. R 58, 5: est interpolatio I² quae dicitur. [H.]

„ 20, cod. R 58, 9: est vita Wilhelmi Magni eremitae in Stabulo Rodis, auctore Theobaldo, edita in AA. SS. Febr. II p. 452—472; cf. Anal. Boll. I 525. [H.]

„ 192, cod. R 436 revera non post saec. XII. exaratus est. [Z.]


„ 230 sq. cod. B 1604, 2 et 3: cf Überweg-Baumgartner, Grundriß der Geschichte der Philosophie, II¹⁰ (Berlin 1915) p. 592 et 574. 585. 194*. [Z.]

Druck von R. Nischkowsky in Breslau.


52

QUIA QUICUMQUE
DIMISERIT UXORĒ
SUAM NISI OB FOR
NICATIONEM ET
ALIAM DUXERIT
MOECHATUR;
CXCI DICUNT EI DISCIPULI
191 EIUS;
SI ITA EST CAUSA HO
MINI CUM UXORE
[illegible]


ET SUNT EUNUCHI
QUI FACTI SUNT AB
HOMINIBUS;
ET SUNT EUNUCHI
QUI SE IPSOS EUNU
CHIZAVERUNT PROP
TER REGNUM CAELORŪ;
QUI POTEST CAPERE
CAPIAT;
CXCII TUNC OBLATI SUNT EI
[illegible]



Nr. 1: Cod. R 169 (Quattuor evangelia), fol. 52r.


sanguinem opplaetum coici iubet. Non muliebriter increpitans:
satia te inquit sanguine quem sitisti cuius per annos XXX
insatiabilis perseverasti. Cambyses filius cyri.
X DE REGNO DARII QUALITER CONTRA
SCITAS ABIIT ET REFUGIT.
Anno ab urbe condita CCXLV darius cyro apud persas
interfecto post aliquantum intervallum sorte regnum adeptus est.
Darius itaque unus ex his qui magorum audaciam ferro
coercuerat consensu omnium rex creatus est; qui postquam
assyrios ac babyloniam per parthorum regno deficientem bello
recuperavit. Antyro regi scytharum hac uel maxime causa
bellum intulit quod filiae eius petitis sibi nuptiis non op
tinuisset. Magna satis ac necessaria pro unius libidine homi
nis DCC milia virorum periculo mortis exponit. Incredibili
quippe apparatu cum DCC milib. armatorum scythiam
ingressus non facientib. hostib. iustae pugnae potestatem. In
super repentinis incursib. extrema copiarum laceran
tib. metuens ne sibi reditus interrupto ponte histri flumi
nis negaretur. Amissis octoginta milib. bellatorum tre
pidus refugit. quamuis hunc amissorum numerum inter
damna non duxerit. Et quem habendum vix quisquam am
bire auderet perditum ille non sensit. Inde asiam
macedoniamq. adgressus perdomuit. Ionas quoq. naval
XI i congressione superavit. BELLUM DARII CONTRA
ATHENIENSES ET DE INTERITU EIUS.
Deinde darius in athenienses impetum fecit atq. arma
dirigit. porro athenienses ubi adventare darium
compererunt quamuis auxilium a lacedaemonis popos
cissent. tamen cum detineri per sacra quadriduana
religionis otio compertum haberent. spe mox occasione fu
menter instructis tantum decem milib. civium et plataeensib.

Nr. 2: Cod. R 107 (Orosius), fol. 17 r.



DIFFERENTIAE IMPARES

| III | V | VII | VIIII | XI | XIII |
|---|---|---|---|---|---|

| I | IIII | VIIII | XVI | XXV | XXXVI | XLVIIII |
|---|---|---|---|---|---|---|

DIFFERENTIAE PARES

| IIII | VI | VIII | X | XII | XIIII |
|---|---|---|---|---|---|

| II | VI | XII | XX | XXX | XLII | LVI |
|---|---|---|---|---|---|---|

At uero si inter primum et scdm tetragonum· primum parte altera longiorem ponimus· ad utrosq; eos una proportione coniungitur· In utrisq; enim proportionib; dupli multiplicitas inuenitur· Si uero inter scdm tertiū q; tetragonū scdm parte altera longiorem ponas· sesqualterae comparationis ad utrosq; forma cōponitur· Et si int tertiū et quartū tetragonū tertiū parte altera longiorē constituas· sesquitertia species nascit· Et idem si in cunctis feceris· cunctas sup particulares species inuenire miraberis·

Nr. 5: Cod. R 54 (Boëthius, Arithm.), fol. 60 v.




Nr. 4: Cod. R 48 (Valerius Maximus, Vol. I), fol. 131r.